ORIGINES
ET
ANTIQUITATES CHRISTIANÆ

FR. THOMÆ MARIÆ

MAMACHII

ORD. PRÆD. THEOLOGI CASANATENSIS

ORIGINUM
ET
ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM

LIBRI XX.

TOMUS PRIMUS

ROMÆ MDCCXLIX.

IN TYPOGRAPHIO PALLADIS
EXCUDEBANT NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI
SUPERIORUM FACULTATE.

REVERENDISSIMO PATRI

FR. ANTONINO BREMOND

MAGISTRO GENERALI ORD. PRÆD.

FR. THOMAS MARIA MAMACHIUS
FELICITATEM.

ETSI vetus consuetudo, multorumque exempla non poscerent, ut qui opus aliquod publicare instituerunt, esse illud magno cuipiam viro dicandum putarent, ex quo aliquid in eos beneficii profectum

ctum esset ; fecisset tamen , Reverendissime Pater , dignitas , virtus , doctrina , illustria in Christianam Rempublicam merita , atque benevolentia erga me Tua , ut qui a me primus omnium , Te Magistro , perscriptus esset , eum ego librum , quin Tuum nomen præferret , in lucem hominum prodire numquam committerem . Sed cum ei caussæ , quæ me impulerat , ut id consilii caperem , usus etiam accessisset,eo me minus pœnituit susceptæ rationis, quo facile perspicerem , si primum volumen de ORIGINIBUS , ET ANTIQUITATIBUS CHRISTIANIS, quod brevi ante perfeceram , Tuo clarissimo Nomini inscripsissem , nihil a me agi , quod non esset officii , quodque alienum ab usu communi , & more majorum esse videretur ; sin autem hoc idem prætermisissem , quo uno etsi non assequi magnitudinem tuorum in me beneficiorum , at quantum saltem Tibi deberem , quantique te facerem declarare possem ; vererer , ne reperirentur permulti , qui me & immemorem , & hominem minime gratum esse judicarent . Atque effugere profecto eorum reprehensionem non poteram , qui scirent , jam inde ab eo tempore , quo Romam venissem , quod me historiæ , sacrarumque disciplinarum studiis dele-

delectari intelligeres, tantam, tamque egregiam fuisse tuam in me voluntatem, uti me non modo comiter, ut soles, complecti, sed etiam quibus poteras modis, juvare conarere. Quod si qui sunt fortasse, quibus hæc minus comperta, atque explorata sint, hi tamen non ignorabunt; cum primum esses ad summum in Ordine nostro munus gerendum vocatus, accepisseque id eniti, ac laborare me, ut opus, quod Te hortatore, aggressus eram, perficere curarem; nihil abs Te fuisse neglectum eorum, quæ proposito, rationibusque meis conducerent. Itaque, ut tibi per tempus licuit, me qui cooptatus in Casanatensium Collegium ab hinc triennium fuissem, ut abundarem otio, quo carebam, ne cogitantem quidem, retulisti in ordinem Theologorum; idque jam sic ex voluntate fecisti, ut quam egomet lætarer, plus ipse gaudere de meis commodis viderere. Neque vero privatæ res meæ, sed quæ in Te ipsum natura, & virtus largiter contulerunt, unde tot, tamque magnæ in Ordinem Nostrum, inque Christianam Rempublicam extiterunt utilitates, feceruntque, ut non modo viris principibus, & S. R. E. Cardinalibus; sed etiam Benedicto XIII., Clementi XII., præcipueque BENE-

BENEDICTO XIV. Pontificibus Maximis, acceptus esses, ea me imprimis induxerunt, ut Te convenirem, obsecraremque etiam atque etiam, quo, Te auspice, atque patrono, primum hoc volumen emitti in lucem velles. Ac nisi ego gravitatem, ac magnitudinem animi tui probe nossem, agerem quod plerique solent, ut quæ de ingenio, de doctrina, deque ornamentis animi tui sentirem, diligenter describerem. Sed quoniam ea oratione cujusquam non egent, certoque scio, ejusmodi laudationem, si qua a me fieret, tibi gravem, atque molestam futuram, non committam, ut modestiæ tuæ faciam tam insignem injuriam. Quis autem est, qui esse ab aliis sempiternæ hominum memoriæ ejus eruditionem consecrandam putet, cujus opera & vindicata Sanctissimo Parenti Dominico nobilitas sua, & res Ordinis diplomatica collecta, totque editis voluminibus illustrata sit, ut non utilitati nostris solum, sed exemplo etiam viris doctis aliorum Ordinum fuerit, quod sibi in suis privilegiis publicandis ad imitandum proponerent? Ac præterirem equidem quod erat de dignitate, nisi me ratio, summusque in Ordinem nostrum amor impelleret, ut mihi, nostrisque hominibus

bus gratularer, qui, Te Magiſtro, non ſolum conſequuti ſumus, quod nobis prudentia, æquitas, fortitudo, ceteræque virtutes tuæ pollicebantur, ſed etiam proſpicimus fore, ut tua induſtria, labore, opera priſtinus Ordinis ſplendor reſtitui, amplificarique poſſit. Quum enim diſciplinæ ſeveritate, ſtudiiſque ſacrarum litterarum conſtitui, conſervari, augerique religioſi cœtus conſueſcant, id abs Te potiſſimum curari videmus, ut qui inſtituto noſtro ſe addixerit, quid ſit cuique noſtrum agendum ſciat, detque diligentem operam, ut ne quid faciat, quod repugnare præceptis, reguliſque, quas majores noſtri ſanxerint, videatur. Igitur eo conſilio Acta Capitulorum Generalium colligi, res a Sanctis viris in Ordine noſtro præclare geſtas deſcribi, Annales, quorum jam ſunt abs Te ipſo aliqua volumina perfecta, nunc eruditiſſimis juvenibus in ſubſidium vocatis abſolvi brevi oportere conſpicimus, ut propoſitis legibus, exempliſque majorum ante oculos conſtitutis, qui noſtræ ſe diſciplinæ obſtrinxerunt, & quid facto ſit opus cognoſcant, & habeant homines, quos ſequantur. Nam quid de ſtudiis litterarum dicam? Quæ me facile inducunt, ut ſi recte, quemadmodum ſunt abs Te inſtituta, pro-

cedant, peregrinarum linguarum peritos, insignesque Oratores, Philosophos, Historicos, Juris Canonici Doctores, atque Theologos Ordini Prædicatorum numquam defuturos sperem. Eoque magis in mea confirmor sententia, quo plane videam, in deligendis magistris apud Te non privata studia, non amicitiam, non commendationes Principum virorum, sed unam doctrinam, atque virtutem valere. Atque hæc quidem omnia, quasi multo ante, quam evenirent, optimus atque gravissimus senex Thomas Ripollius decessor tuus præsagisset, ut Te ex America, ubi aliquamdiu constiteras, tulerasque prædicato evangelio maximum vigiliarum tuarum, & laborum fructum, in Europam caussa rerum, quæ ad religionis decus, & gloriam pertinerent, reducem vidit; unum Te omnium maxime delegit, quem iis muneribus perfungi curaret, quæ Tibi munire viam ad summum Ordinis magistratum possent. Quæ cum ita sint, iisque jam plane confidam fore, ut qui hoc volumen probatum tibi fuisse cognorint, ob magnam omnium opinionem, quæ de virtute Tua est, esse ipsum alicujus pretii arbitrentur; D. O. M. oro, obtestorque, Te ut bono Ordinis diu nobis sospitem, atque incolumem conservet. Vale.

PRÆFATIO

PRÆFATIO

REIPUBLICÆ *Christianæ* ORIGINES, ET ANTIQUITATES *etsi jamdiu explicare statueram, cum tamen multis curis, negotiisque essem impeditus, tamque magnum opus, nisi præparato otio, non modo non absolvi, sed ne inchoari quidem posse viderem, impulit me tandem in eam sententiam ratio, ut non esse mihi hunc laborem ante suscipiendum censerem, quam tempus vacuum, ac liberum nactus essem, quo tot, tantisque rebus illustrandis, operæ quantum vellem, darem. Sed quoniam erant permulti, qui me hortarentur, ut ne diutius cunctarer, vererique se dicerent, ne nisi de manibus cetera, quæ cœpissem, deponerem, implere, quod eram pollicitus, non possem; ut illis interim, quibus mihi licebat modis, obtemperarem, si quæ subseciva tempora incurrissent, ea perire non patiebar, quin monumenta colligerem, quæ ad meum institutum conducere aliquando posse viderentur. Igitur cum plura jam haberem in promtu, iisque me curis, quibus ante distentus eram, magnam partem solutum esse perspicerem, sumendum mihi esse ad eam rem tempus judicavi, laborandumque etiam, atque etiam, ut quod aggredi tandem possem, id opus diligenter perficere curarem. Collegi autem initio me, ut priusquam animum ad scribendum conferrem,*

ferrem, quæ res, quanta multitudine, & gravitate mihi explicandæ, & quot in partes dividendæ essent, inquirerem. Intelligebam enim dici ab eo nihil dilucide, nihil distincte, nihil denique distribute posse, qui, ut fieri interdum solet, quin considerarit, quæ materia, quæ copia rerum, quæ opportunitates, quisque sit in iis collocandis ordo sequendus, res sane graves, multisque difficultatibus implicatas, non solum dicendo exponere, sed etiam litteris mandare conaretur.

Itaque cum diu multumque mecum cogitassem, accessi ad eam opinionem, ut quamvis secus nonnulli statuerent, ad omnia tamen, quæ propria veterum Christianorum fuissent, colligenda plus viginti libris opus non esse arbitrarer. Nam ejus generis universa cum partim Nominibus, partim rebus continerentur, essetque jam vetere scriptorum illustrium more constitutum, ut a vocibus scribendi initium duceretur, explicatus est is locus priore libro, ut quibus ipsi se appellare, quibusque ab Ethnicis vocari Nominibus Christiani consuessent, perspiceretur. Cumque appellationes, quas inimici nostris hominibus tribuebant, nisi cognitis Calumniis, ex quibus essent profectæ, intelligi vix posse viderentur, adjuncta est de Calumniis, earumque caussis disputatio, tertioque ejusdem libri capite demonstratum, quibus eas rationum momentis Patres depulissent. Quibus rebus perfectis, sequutus est de Origine, & Propagatione Christianæ religionis liber. Non enim probare illorum sententiam poteram, qui missis Originibus, Progressibusque religionis, neglectaque illa, quæ est de majorum nostrorum moribus, quæstione, post absolutum de nominibus librum, de forma Christianæ civitatis agendum sibi esse judicarent. Sed quia latius genus hoc argumenti patere animadverteram, dividendus is liber fuit in partes duas, quarum prima generatim quibus modis Orta, ac Propagata; altera, ut Introducta in varias provincias, in iisque disseminata Religio fuerit, explicarem. His autem perfectis, tertius addetur liber de Moribus, quibus Christiani veteres vivebant. Nisi enim propositis eorum virtutibus informari in animis nostris notio sanctissimæ illius, qua conjuncti fuissent, societatis vix potest. Atque ubi constiterit quorumnam hominum labore, qua vitæ institutione, quibus præsidiis doctrina, ac disciplina nostra in universum terrarum orbem manaverit, quartus liber sequetur de Ratione Christianæ Reipublicæ, quam vocare Hierarchiam Ecclesiasticam possumus. Magnus namque locus, atque a viris doctissimis tractatus uberrime, a me quidem certe, qui origines, antiquitatesque Christianas investigarem, omittendus non erat. Arbitrabar enim nostris hominibus inutile minime futurum, si mea quoque opera intelligerent, quis in Ecclesia universa primas

mas jam usque ab initio partes teneret, qui Patriarchæ, qui Primates regionum quarumdam, qui Metropolitæ, qui Hexarchi, qui Episcopi, qui Archipresbyteri, Presbyteri, Archidiaconi, Diaconi &c., a quo instituti essent, qua auctoritate, quibusque opibus valerent, quamque late eorum ditiones extenderentur. Nam de Clericis ceteris, de Monachis, de populo denique quid dicam, quorum quidem graduum, institutorumque cognitio satis constat, quanti ad eorum commoda intersit, qui se præsertim huic studiorum generi dediderunt? Potestatem autem celebrandorum conciliorum, ferendarumque legum, quæ inest Ecclesiæ, sexcentaque alia, quorum est insignis cum iis rebus conjunctio, & quæ continentur eodem libro, si perspecta, atque explorata sint, quis nesciat, conferre plurimum ad utilitatem posse? Quintus erit liber de Locis sacris. Cum enim in quaque societate id sit præcipuum, quod pertinet ad religionem; loca vero sacra eo consilio instituta sint, ut in iis summo rerum omnium auctori Deo sacrificium, cultus, honores, preces adhibeantur; absoluto eo, qui est de societatis, Reipublicæque Christianæ ratione, libro, de templis, de eorum partibus, deque iis rebus agatur necesse est, quarum magnam esse intelligimus cum ædibus saris affinitatem. Itaque subsequentur libri sextus de Vasis, septimus de Vestibus, octavus de Imaginibus ac reliquis ornamentis sacris Ecclesiarum, quibus accedet nonus, qui erit de Organis, de aliis Instrumentis musicis, deque Campanis, quarum rerum omnium neque tam est recens, ut quidam putant, neque est negligendus usus; quod fecerunt hi, qui cum novitati studerent, a nostris sacris, institutisque, conflato schismate, desciverunt. Et quoniam in Locis sacris congregari Christiani, in iisque orare, hymnos, psalmosque canere, stationes habere, remque divinam facere consuerant, tractabitur locus de Sacris Conventibus libro decimo adeo diligenter, ut eorum, quæ ad Agapas, Synaxes, Stationes &c. veterum Christianorum spectant, nihil quod grave, utileque sit, prætermissum esse videatur. Cumque Majores nostri, dum statis temporibus convenirent, aut jejuniis darent operam, aut festos dies agere solerent, post absolutam de conventibus sacris disputationem, edatur undecimus liber oportet, qui est de Sacris Temporibus. Quoniam vero sacris omnibus interesse nemini, nisi qui nostris mysteriis initiatus esset, licebat; estque in mysteriis primum Baptisma, quod sane qui suscepturi sunt, ii Catechumeni vocantur, duodecimus erit liber de Institutione, & Gradibus Catechumenorum. Quo quidem in libro de Symbolis, imprimisque de illo, quod dicitur Apostolorum agam, ut ratio postulaverit, accurate. Nam quæ de ritibus, disciplinaque Ecclesiæ in administrando Baptismate sunt,

ea

ea tertius decimus liber omnia complectetur. Descendam mox ad decimum quartum, quo ritus, ceremonias, rationesque conferendi sacramenti Confirmationis explicantur. Quintus deinde ac decimus de ratione, ritibus, disciplinaque celebrandæ, atque administrandæ Eucharistiæ succedet liber, quo omnis illius loci quæstio continebitur. Quæ ut fuerit plene, cumulateque perfecta, veniam ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, ac numeratis, explicatisque iis, quæ ad varios pœnitentium ordines, pœnasque iis inflictas attinent, cetera, quæ propria ejus sacramenti sunt, copiosissime persequar, eisque rebus aperiendis decimus, ac sextus impendetur liber. Septimus autem ac decimus, quia veterem Ecclesiæ in Sacramentis disponendis, numerandisque rationem consector, modum quo effici, administrarique Extremæ Unctionis Sacramentum debet, illustrabit; quem octavus & decimus sequetur, qui erit de sacris Ordinationibus, in iisque dandis Ecclesiæ disciplina. Quo sane libro tota quanta est, de beneficiis, deque privilegiis, quibus gaudere Clerici consueverant, disputatio expedietur. Nam decimus nonus erit de Matrimonio, ejusque Ministro, atque iis omnibus, quæ aut impediunt, ne perfici possit, aut in eodem perficiendo adhiberi debent. Extremus earum rerum tractationem complectetur, quæ de Cœmeteriis, Sepulcris, rituque sepeliendi sunt, itaque omnia illustrabuntur, quæ sunt propria Originum, & Antiquitatum Christianarum. Nulla enim res vetus in Ecclesia est, quæ ad ea, quæ numeravi capita, referri commode non possit.

Intelligo autem fuisse aliquos, qui in hoc genere versati fuerint, quorum ego, quamvis non fuerim ordinem, methodumque scribendi sequutus, non eo tamen deserendos putavi, quo illos negligerem, sed quo meam ad id, quod erat propositum, rationem potiorem esse judicarem. Si qua enim res est, ordo est scilicet, in quo servando suo cuique judicio sit utendum. Sed nostros quidem scriptores, qui in hoc genere argumenti versati sunt, ut magnum Baronium, Godeaum, Heribertum Rosweidum, Bollandianos, Tillemontium, Natalem Alexandrum, Pagium, Fleurium, Orsium, aliosque prætercam, qui cum historiam scriberent, omnia fere, quæ ad Origines Christianas & Antiquitates spectarent, sparsim aut uberrime, copiosissimeque explicarunt, aut saltem breviter attigerunt, Johannes Baptista Casalius Romæ anno 1645. opus de veteribus Christianorum ritibus *vulgavit in 4., subjecitque libris duobus, qui de* Ægyptiorum, Romanorumque Antiquorum ritibus *inscribuntur. Illud ipsum opus cum multis rebus auxisset, distribuissetque in partes quinque, quibus omnia, quæ ad Antiquitates Christianas pertinent, complecti, ut potuit, curavit, ibi-*

ibidem anno 1647. *in fol. formis Bernardini Tani Romani illius temporis Typographi excudi fecit. Verum is auctor, quod ea ætate viveret, qua neque tot monumenta, quot sunt aliquamdiu post magnorum virorum opera detecta, habere in promtu posset, neque critica facultas ita, ut factum deinceps est, coleretur; non modo parum elegans, sed etiam minus accuratus in scribendo fuit. Sequuti deinde sunt alii singulari & doctrina, & eruditione scriptores, quos sane quoniam non omnium sibi, sed aliquarum, quæ vel ad Ritus, vel ad Hierarchiam, vel ad Disciplinam Ecclesiæ spectarent, rerum illustrandarum onus susceperunt, prætermittendos hoc loco esse judicavi, propterea quod eorum alibi esse opportunius mentionem faciendam putarem.*

Multo autem plures e numero Protestantium fuerunt, qui in id studium curas, vigiliasque omnes suas esse conferendas arbitrarentur. Namque ut Centuriatores Magdeburgenses, Isaacum Casaubonum, Johannem Henricum Ottium, Adamum Baribechovium, Fridericum Spanhemium filium, Johannem Henichium, Johannem Hottingerum, Georgium Hornium, Thomam Ittigium, Christianum Kortholtum, Hieronymum Kromayerum, Samuelem, & Jacobum Basnagios, Johannem Clericum, Johannem Laurentium Moshemium, sexcentosque alios, ne sim longus, mittam, qui veterem Ecclesiæ Historiam eo consilio descripsisse videntur, ut quæ recte de S.R.E. fide ac ritibus a nostris constituta erant, everterent; Richardus Montacutius homo de secta Episcopalium Anglorum, qui Apparatum ad Origines Ecclesiasticas, & Origines ipsas Oxoniæ in fol.an.1635. *deindeque an.*1640. *Londini edidit item* in fol. θεανθρωπικοῦ, seu de Vita J. Christi D. N. Originum Ecclesiasticarum partem Posteriorem, *etsi sparsim quædam de ritibus, ac disciplina tractaverit, contorseritque, ut sectæ suæ decreta, si potuisset, statueret; tamen Historiam imprimis rerum a Christo Servatore gestarum, non ejusmodi Origines, Antiquitatesque complexus est, de quibus est nobis hisce libris agendum. Nam Balthasaris Bebelii, qui anno* 1669. *publicavit Argentorati in* 4. Antiquitates Ecclesiæ in tribus prioribus post natum Christum seculis Evangelicæ, *cum asperior sit oratio, tum est argumentis perpaucis contenta; quorum pars magna ad Theologiam, atque Historiam potius, quam ad ritus, disciplinamque Ecclesiæ veteris illustrandam spectat. Eduardi autem Waterhusii Dissertationem Anglice an.*1655. *in* 8. *editam, inscriptamque*: De Pietate, Charitate, & Politia Antiquorum temporum, & Primorum Christianorum, *cum nusquam viderim, cujusmodi sit, ne conjectura quidem assequi possum. Quamquam est ejus brevitas argu-*

argumento, illa ipsa neque contineri multa, neque collocari, ut ajunt, in bono lumine. Paullo est Guillelmi Cavei Angli de secta Episcopalium de Primitivo Christianismo *oratio copiosior. Est enim opus illius, quod Anglice anno* 1682., *deinde Belgice an.* 1692. *post Germanice an.* 1694. *postremoque Gallice ann.* 1712. duob. vol. in 8. *prodiit, divisum in partes tres. Earum autem prima crimina Christianis objecta depellit, ostenditque, suo quidem more, quæ illorum erga Deum religio, quis cultus publicus, privatusque, quæ demum eorum in celebrandis mysteriis ratio esse soleret. Altera qua veteres Christiani virtute præstiterint, demonstrat. Tertia quæ sunt de justitia, de caritate, de beneficentia, de concordia, & pace, de observantia erga Principes, ac Magistratus, deque eorum disciplina in administranda pœnitentia persequitur. Nihil de Godfridi Arnoldi, quos eodem spectare intelligo, libris octo Francofurti primum ann.* 1696. *tum* 1700. in fol. *editis dico, quod germanice scripti sint, neque in manus nostras hactenus venerint, ut ex interprete saltem possem, quid complectantur, cognoscere. Synopsim illorum exhibet in* decimo libri de Salutari Luce Evangelii capite *Johannes Albertus Fabricius, quin, tamen indicet, quo sint in pretio habendi. Nam quod eos Lutherani plurimi fecerint, parvi refert. Cur enim hominem sui similem, qui tantum in ea re laboris consumserat, celebrandum non esse arbitrarentur? Anno* 1708. *Josephi Binghami* Originum, & Antiquitatum Ecclesiasticarum *opus in decem vol. in* 8. *distributum, Londinique editum, postque a J. Henrico Groschovio Halberstadiensi latinum factum, & Halæ an.* 1724. *in quarto publicatum fuit. Dici vix potest, quam illud ad Auctoris existimationem augendam contulerit, propterea quod omnes perspicerent, nihil illum laboris, studiique prætermisisse, quod Antiquitatibus, Ritibus, Disciplinæque veteris Ecclesiæ illustrandis conducere posse videretur. Atque ii sane, qui a nostris Sacris, institutisque alieni essent, cum multa a Binghamo disputari scirent, quæ pugnarent cum doctrina Catholicorum, intelligerentque neminem horum fuisse, qui sibi illius refellendi onus sumpsisset; ei non quod scripserit modo, sed etiam quod vicerit, summam laudem tribuerunt. Interea Joh. Albertus Fabricius Bibliographiam Antiquariam paravit, qua paucis & Hebraicas, & Græcas, & Christianas antiquitates complexus est, scriptoresque, qui de iis rebus copiose agerent, indicavit. Eam an.*1716. *Hamburgi edidit. Post Georgius Walchius vir item, ut Fabricius, de secta Lutheranorum edi Lipsiæ curavit an.* 1733. *in* 8. *nescio cujus Scriptoris Anonymi ex eadem secta*: Compendium Antiquitatum Ecclesiasticarum, ex scriptoribus Apologeticis, eorumdemque commentatori-

toribus; & Conr. Samuelis Schurztfleiſchii controverſias, & quæſtiones inſigniores Antiquitatum Eccleſiaſticarum.

Hos igitur libros tot Scriptorum, qui aut Lutheranis, aut Calvinianis, aut Anglicanis partibus ſtuderent, cum incredibili diligentia pervolviſſem, cognoviſſemque magnam rerum earum partem, quæ iis continerentur, non ut veritas, ſed ut illorum decreta poſcerent, explicari; eo me minus pœnituit inſtituti mei, quo viderem, mihi & veritatis tuendæ eſſe, & novitatis refellendæ facultatem datam.

Exponam nunc rationem eorum, quæ ſum hoc volumine complexus. Ego cum a vocibus, ut dictum paullo ante eſt, initium diſputandi eſſe ſumendum putarem, ſciremque concordem ea de re eſſe & veterum, & novorum Scriptorum omnium opinionem, nomina primum indicari oportere exiſtimavi, quibus appellari majores noſtri conſueviſſent. Sed quoniam nomina duorum generum erant, alia, quæ honoris, & pietatis cauſſa a noſtris uſurpabantur; alia, quæ contumelia adhiberi ab Ethnicis ſolebant; Binghami in eadem re conſilium ſum ſequutus, ut priore loco de honorificis, *deinde vero de* contumelioſis *diſſererem. Atque in iis quidem numerandis, nihil diligentiæ prætermiſi. Quare multo plura quærendo reperi, atque illuſtravi, quam fuiſſent a Binghamo inventa, & illuſtrata. Quod ſi quæ monumenta vetera aut in cryptis Urbis, aut alibi detecta in manus meas venerunt, eorum figuras vel aliorum cura, & ſumtu, vel meo, æri, lignove inciſas, ea ut imprimerentur volui, ſuiſque locis opportune ponerentur. Quamquam eſt illud interdum a me factum, quod ad ornatum operis conferre quodammodo poſſe arbitrarer, ut in iis ſpatiis, quæ inter paragraphum unum alterumque, qui ſequeretur, eſſent, monumentorum quorumdam ſchemata collocarem. Nam cum de* piſciculorum *nomine* §. VI. Prioris capitis *egiſſem, tum extremis pag.* XXXI. 81. 208. 240. 261., & 428. *monumenta in cœmeteriis reperta, quæ ei rei explicandæ conducerent, inſeri curavi. Jam vero quæ gemmæ pag.* XXXI. *&* 428. *expreſſæ cernuntur, eæ in Muſeo Victorio ſervantur, lignaque quibus impreſſæ earum figuræ ſunt, incredibili, qua eſt humanitate, mihi Eques Franciſcus Victorius commodo dedit, ut iis opportune, ſi mihi ex uſu fuiſſet, uterer. Quod autem de piſcis hoc idem de columbæ nomine dictum volo. Etenim etſi* §. IX. *pag.* 65. *de eo diſputavi, tamen extremis* pag. 82. 105. 115. 131. 292. *figuras aut e ſepulcris veterum Chriſtianorum, aut e lucernis expreſſas produxi, quæ ad idem argumentum illuſtrandum conferrent. Et quia de figuris ejuſmodi facta eſt mentio, monendum eſſe lectorem puto, ne miretur, ſi monogrammata, aut coronas, aut anchoras, aut palmas &c. in calce pa-*

ginarum quarumdam impressas cernat, quin tamen quid significent, explicetur. Sunt enim ornamenti loco ea omnia adjuncta, hoc tamen consilio, ut dum tempus postulaverit, indicatis paginis, illustrari possint. Ex nunciis autem litterariis Florentinorum mensis Augusti an. 1749. *intellexi datam esse a viro docto Patavii operam, ut argumentum, quod est de pisciculorum significatione singulari Epistola accurate, copioseque tractaret. Sed scriptores qui mihi adjumento fuerunt, ut quæ de honorificis nominibus dixi, in bono lumine ponerem, cum laudati fuerint eodem primo capite, nunc omittantur.*

Sequitur ut de nominibus contumeliosis quid scripserim, quibusque auctoribus usus fuerim, pauca dicam. Equidem etsi Binghami in ea re studium non contemnerem, diligentiam tamen interdum desiderabam. Igitur pleraque adjungi nomina oportere censui, quæ ille, nescio quo consilio, sive casu potius, præterisset. Quamobrem Apologistas primum veteres Christianorum Justinum, Athenagoram, Tertullianum, Clementem, Origenem, Minucium Felicem, Arnobium, Lactantium &c. consulendos putavi; tum eos pervolvendos novos scriptores duxi, quorum est a me suis locis, ut ratio, tempusque monebat, facta commemoratio. Nam Johannis Friderici Hebenstreitii Christianum Polyonymum, sive de Christianorum nominibus in laudem & opprobrium datis, an. 1713. Jenæ publicatum schediasma *& N. Munichii* de Nominibus contumeliosis Cristianis a Gentilibus impositis Dissertationem, *quamvis nusquam videre potuerim, tamen ego, qui mihi conscius sum, quantum in ea re studii, diligentiæque consumserim, facile mihi persuadeo nulla, quæ ab iis numerata sint, aut perpauca esse a me hujus generis nomina prætermissa. Non nego, venisse quædam mihi in mentem, postequam scripsissem de contumeliosis nominibus, quæ ad eorum aliqua magis magisque evolvenda, atque declaranda pertinerent. Atque ex eo quidem genere sunt, quæ spectant ad nomen* Græcorum Impostorum, *de quo §.* IV. secundi capitis *disputavi. Quamvis enim recte animadverterim, propter Philosophicum pallium, tributam ab Ethnicis eam fuisse nostris hominibus appellationem, atque ἐπιθέτην* Palliatum *indicare constet, notandum nihilominus erat, tam vetera illa non esse nomina, ὁ γραϊκὸς ἐπιθέτης, ut superent Hieronymi ætatem; omnibusque Christianis hæserint. Cadunt enim potissimum in Monachos, qui cum quarto seculo aucti mirandum in modum, austerumque vitæ genus consectati essent, depositoque vulgari habitu pallium sumsissent; ab iis, qui vel in Christiana sacra male animati essent, vel improbe, scelesteque viverent,* Græci Impostores *appellabantur.*

bantur. De qua re vehementer Johannes Chrysostomus expostulavit Homilia XI. *in Epistolam ad Hebraeos. Etenim* ,, *Nunc*, inquit; *eo insaniae* ,, *devenimus, ut non solum hoc in pauperibus faciamus, qui ambulant* ,, *per compita, & angiportus, sed etiam in Monachis. Hic vel ille, in-* ,, *quiunt, est ἐπιθέτης impostor. Etsi vero haec nomina ὁ γραικὸς ἐπιθέτης junctim diu ante Hieronymum usurpata non fuisse arbitrer, tamen Christianos quosque ἐπιθέτας fuisse jam usque a Justini aetate vocatos, eodem Paragrapho demonstravi.*

Neque vero assequi ullo modo possum, quamobrem a Binghamo calumniarum, quas Ethnici adversus nostros excogitassent, omissa fuerit disputatio, quae sane ad cognoscendam tot nominum contumeliosorum originem mirifice contulisset. Atque perficere id quidem facile potuisset, post eorum praesertim studia, qui in eo genere magna cum laude laborarunt. Est enim illud viris eruditis compertum, atque exploratum, jam inde ab anno 1577. *editos Florentiae fuisse* in fol. *Dominici Mellini in* veteres quosdam scriptores malevolos Christiani nominis obtrectatores libros quatuor, *qui tametsi minus diligenter, quod ferre secus ea aetas nequiret, perscripti sunt, tamen plurima continent bonae frugis, quae magni esse momenti ad illud argumentum illustrandum possunt. Neque deerant Protestantes, quorum opera Binghamo uti liceret. Nam Guillelmus Caveus primis illius operis, de quo paullo ante est demonstratum, capitibus, calumnias, contumeliasque Ethnicorum in Christianos, non exposuerat solum, sed etiam propulsarat. Factum idipsum fuerat a Balthasare Bebelio* Tom. II. Antiquit. Ecclesiasticarum sec. IV. pag. 667. *a Jacobo Schudrio* Hist. Judaic. pag. 278. seq. *Adamo Quasio* Diss. de Caussis Calumniar. quas Pagani in Christianos conjecerunt, *& Christiano Kortholto, qui uberrime singulari libro an.* 1668. *in* 8. *& an.* 1683. *in* 4. *omnem fere* de calumniis Paganorum in Christianos veteres *materiem explicavit. Sed quaecumque tandem caussa Binghamum impulerit, ut de* calumniis *sibi non esse differendum censeret, me tamen ejus silentium deterrere ab instituto de illis ipsis agendi, non potuit. Qua vero in iis numerandis, explicandisque diligentia versatus fuerim, nihil attinet dicere. Ii namque, qui legent, recte, ut arbitror, judicabunt.*

In secundo autem libro, quamobrem de Origine, Propagationeque Christianae religionis egerim, cum paullo ante, & in Prooemio ad librum eumdem dictum sit, non est cur esse rursum dicendum putem. Quod si qui sunt, qui mihi Binghami exemplum, a quo tota illa omissa est quaestio, opponant; ii sic habeant: Non eum esse me, qui aliorum judicio in ordine ser-

 vando

vando esse insistendum existimem. Liberos nos esse in ea re præsertim oportet, nullaque ejusmodi adstrictos necessitate, ut nobis cujusquam, si quidem ea non placeat, tuenda ratio sit. Neque vero persuadere mihi umquam potero, Ortum, Progressusque Christianæ religionis præteriri ab eo debuisse, qui aggressus esset Origines Christianas evolvere. Atque Judaicæ Romanæque Reipublicæ, & reliquarum gentium, quis eo tempore, quo Christus venit in mundum, status esset, initio quærendum esse judicavi, ut lectores, quam opportune venerit, intelligerent. Descendi mox ad ortum Christi, resque ab eo egregie gestas describendas, propterea quod mihi proposuissem ostendere, ut ex parvis initiis Christiana religio ad amplitudinem tantam primum Christi, deinde Apostolorum, post Patrum trium præsertim primorum Ecclesiæ seculorum itineribus, laboribus, prodigiis, persequutionibus, martyriis denique creverit. Confido autem fore, ut nemo mihi vitio esse dandum contendat, quod quæ ab aliis sparsim disputata essent, colligenda, breviterque esse comprehendenda censuerim. Nam cum aliorum exemplum fuerim imitatus, qui aut Historicas, aut Theologicas Institutiones, quin actum egisse dicerentur, vulgarunt, quorumque magna semper apud viros doctos laus, atque existimatio fuit; si qui sunt, qui animum ad hosce libros legendos contulerint, ii quidem ita erunt affecti, uti me nisi laudent, certe vituperandum non esse putent. Atque essent hoc loco indicandi scriptores, quorum ego studiis, laboribusque profeci, nisi eos, dum tempus poposcerat, numerassem.

Sed immemor equidem essem beneficii, si præterire silentio vellem, quam eruditus juvenis P. Franciscus Pollidorius Urbevetanus Ord. Nostri S. T. L. in hoc opus meum intulerit partem commodorum. Is enim, ut intellexit, concessam sibi a Reverendissimo P. Antonino Bremond Magistro Ordinis facultatem esse, ut mecum ageret, nullum remisit tempus. Itaque testimonia veterum, & monumenta colligere, facere, quæ mihi ex usu esse arbitraretur, & qua valet latinarum græcarumque litterarum peritia subsidio mihi esse numquam cessavit. Quæ etsi ille nolebat, eo tamen dixi, ut omnes, quantum Pollidorio debeam, intelligerent.

Hisce adjumentis cum opus ita crevisset, uti jam tempus illud instaret, quo de publicando primo volumine cogitandum esse videretur, opportune accidit, ut A. R. P. M. F. Franciscus Roselius Limanus O. P. vir gravis imprimis, ac sapiens Romam veniret. Is ubi cognovit meum hunc qualemcumque laborem, si emissus in lucem esset, nostris hominibus utilem futurum, pro sua singulari comitate, atque amore in Ordinem nostrum, inque viros rerum potissimum sacrarum studiosos propensione, me

extemplo

extemplo convenit, hortatusque, ut bono animo essem, curaturum se dixit, ut quæ a me scripta fuerant, brevi publicarentur. Quod autem promisit, id ille continuo implevit. Quamobrem si quid est in meis hisce libris, ex quo, ob eos vulgatos, proficisci aliquid commodi in rempublicam litterarum possit, id totum ejus viri beneficio acceptum est referendum.

Sed cum excudi captus est prior liber, Eminentissimos Principes Nereum Corsinum primum, tum Alexandrum Albanum S. R. E. Cardinales, & Patronos litteratorum oravi, ut mihi tabulas æreas, quibus incisæ variorum monumentorum veterum Christianorum figuræ essent, quasque in suis Museis servarent, commodare vellent. Illi nihil morati, jusserunt, ut mihi omnes, quæ rationibus meis, institutoque conducerent, dum vellem, a viris clarissimis Museorum Custodibus traderentur. Qua re, quos ante magnopere colebam, ii me sibi etiam atque etiam obstrinxerunt.

Extremum est, ut lectores majorem in modum obsecrem, ne si quid vitii aut in græcis, aut in latinis characterum formis offenderint, id mihi esse crimini vertendum putent. Typographi namque hoc fuit vitium, non meum. Quod si aliqua repererint, quæ minus accurate, minusque diligenter perscripta sint, reperient autem, ut mihi facile persuadeo, permulta; hæc si indicarint, in caussa erunt, cur ipse mea errata, & agnoscam, & corrigam. Atque hoc illis confirmo, si faciant, eos quanto me sibi beneficio devinxerint, cognituros.

NOS

NOS

FR. ANTONINUS BREMOND

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,
AC TOTIUS ORD. PRÆD. HUMILIS MAGISTER
GENERALIS, ET SERVUS.

HArum ferie, noftrique auctoritate officii, facultatem, quantum in Nobis eft, concedimus Tibi A. R. P. Magiftro F. Thomæ Mariæ Mamachio Provinciæ noftræ Romanæ, Theologo Cafanatenfi, ut poffis typis mandare Tomum I. Operis, cui titulus: *Originum, & Antiquitatum Chriftianarum Libri XX.* a Te compofitum, de mandato noftro revifum, & adprobatum a duobus Ordinis noftri Theologis, videlicet ab A. R. P. Magiftro F. Thoma Pio Schiara Bibliothecæ Cafanatenfi Præfecto, & A. R. P. Magiftro F. Johanne Thoma de Boxadors Cathedratico Cafanatenfi: fervatis de jure fervandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum &c.

Dat. Romæ in noftro Conventu S. Mariæ fuper Minervam die 26. Augufti 1749.

FR. ANTONINUS BREMOND.

Magifter Ordinis.

Regiftr. pag. 2.
Fr. Jofeph Thomas Tavella Sac. Theol. Mag. & Pro-Socius.

APPRO-

APPROBATIONES

JUſſu Reverendiſſimi P. N. Magiſtri Ordinis F. Antonini Bremond legi volumen primum, quo vir cl. F. Thomas Maria Mamachius Collegii noſtri Theologus magnum, cui incumbit, *Originum, & Antiquitatum Chriſtianarum* exorditur opus, quem theſaurum dixerim, atque præſidium præcipuarum, quæ ad Religionem pertinent rerum. Cumque nihil offenderim quod reprehendi, immo vero quod non laudari mereatur, ſeu doctrinam ejus ſpectes, ſeu dijudicandi diſſerendique vim, ſeu vere aureum latine ſcribendi genus, lectiſſima cum eruditione conjunctum: idcirco ubi primum vulgabitur, optime conſultum putavero, & honori Ordinis, & Eccleſiæ utilitati.

F. Pius Thomas Schiara Ord. Præd. Caſanatenſi Bibliothecæ Præfectus.

PRimum Volumen *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* à cl. viro Fr. Thoma Maria Mamachi Collegii noſtri Theologo conſcriptum perlegi, & ſepoſito amicitiæ ſtudio, quo cum ipſo dudum conjunctus ſum, ſedulo expendi. Tantum autem abeſt, ut aliquid offenderim quod fidei ſanctionibus, morumve Regulis, repugnet, quin potius omnia compererim, eo ſponte ſua conſpirare, ut nominis Chriſtiani ſanctitate, integritateque ab ejus exordio explicata, magnum Religionis, quam profitemur, amorem, & reverentiam ingerant, atque contumelioſa figmenta, quibus, per ſummam injuriam perditi homines, ejus veritati tenebras obducere conantur; diſpellant. Qua diligentia in his ſit Scriptor verſatus, quo rerum delectu, quam dilucido ordine, quo ſermonis nitore, videbunt profecto qui ad hunc librum legendum animum applicuerint. Meum non eſt in præſtantiſſimi operis commendatione immorari: itaque muneri mihi a Reverendiſſimo P. Fr. Antonino Bremond Ordinis Prædicatorum Magiſtro demandato ſatisfaciens, illud dignum quod in lucem edatur, & ad bonum Reipublicæ Chriſtianæ comparatum eſſe exiſtimo.

Fr. Joannes Thomas de Boxadors Ord. Præd. Cathedraticus Caſanatenſis.

IN

IN MS. volumine titulum præferente : *Fr. Th. M. Mamachii Ord. Præd. Bibliothecæ Casanatensi Præfecti de Originibus, & Antiquitatibus Christianis libri* XX. : inveni tandem, qualem diu optaram, exquisitiorum rerum Christianarum notitiam ; scilicet copiosissimam, e gravioribus veterum testimoniis eductam, optimæ critices observationibus selectissimis confirmatam, perquam ordinate propositam, ab offusis per aliquot acatholicos Eruditos nebulis, & fursure liberam ; brevius, traditam a Viro lucidissimi ingenii, perspectæ orthodoxiæ, solidæ pietatis, infinitæ lectionis, omnigenæ sapientiæ. Lateatne vero tam utile, tam præclarum opus ? Absit. Statim potius e latibulo emergat privati scrinii, Terrarumque orbem longe, lateque permeet, novum procul dubio allaturum ubique diffusæ Ecclesiæ fulgorem, nova Literatorum nationi commoda, novos Auctori præstantissimo plausus, vel iis uberiores amplissimis, quibus nuper exceptas fuisse constat a vere Doctis, idest, solius veritatis affectatoribus, egregias ejus Epistolas ad Joh. D. Mansium. Sed quo his ego ? Ut, post excussum, jubente Reverendissimo Patre Nicolao Aloysio Ridolfi sacri Palatii Apostolici Magistro, laudatum opus, eo quoque jubente, palam faciam, quam illud, meo judicio, dignum prælo sit, & commendatione sempiterna. Dabam Romæ die 12. Martii 1749.

Petrus Morettus insignis Basilicæ S. Mariæ Transtyb. Canonicus.

VIri clariss. P. Th. Mariæ Mamachi Chii S. Th. Mag. & Bibl. Casanatensi Præfecti volumen primum *Originum, & Antiquitatum Christianarum* jubente Reverendissimo P.F. Nicolao Rodulphio S. P. A. Magistro diligenter legi, nihilque in præstantissimo opere incredibili elegantia, gravitate, & eruditione scripto deprehendi, quod Religioni Catholicæ, & rectæ morum disciplinæ adversetur. Itaque dignum esse censeo, quod publicetur.

Dabam Romæ in domo Oratorii S. Hieronymi Charitatis die 24. Martii 1749.

Josephus Catalanus Presbyter Oratorii S. Hieronymi Charitatis.

INDEX

INDEX

LIBRORUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

LIBER PRIMUS

De variis nominibus Christianorum, deque falso ab Ethnicis in eos excogitatis calumniis.

CAPUT I.

De honorificis nominibus, quibus olim sese vocare Christiani solebant. *pag.* 1.

§. I. *Cur initio de nominibus agendum sit*. Ibid. §. II. *Christiani vocati* 1. *Discipuli*, 2. *Fideles*, 3. *Electi*, 4. *Sancti*, 5. *Fratres*, 6. *Conservi &c.* pag. 2. §. III. *De nomine Christianorum*, 1. *Quo tempore fuerit introductum*, 2. *Unde ortum fuerit*, 3. *Cur veteres aliquot scripserint, Christianos sic esse a Chrismate nominatos*. 7. §. IV. *Fuerint ne umquam Christiani appellati Jessæi?* 10. §. V. *Fuerintne Philonis Therapevtæ Christiani?* 13. §. VI. *Christiani quandoque vocati Pisciculi*. 54. §. VII. *Interdum etiam Gnostici*. 57. §. VIII. *Rursum vocati* 1. Θεοφόροι *seu Deiferi*, 2. Χριστοφόροι, *seu Christiferi*, 3. Πνευματοφόροι, *seu Spritiferi*, 4. Ἁγιοφόροι, *seu Sanctiferi*, 5. Ναοφόροι, *seu Templiferi*. 60. §. IX. *Vocati quoque Christiani fuerunt* 1. *Adolescentuli*, 2. *Agnelli*, 3. *Vituli lactentes*, 4. *Columbæ, e Columba*. 5. *Pulli columbarum, atque Gallinarum*. 6. *Infantes*, 7. *Filii Altissimi*, 8. *Veri Israelitæ*, 9. *Ut & plebs Christianorum est novus, vel nascens populus appellata*. 65. §. X. *Dicti præterea Christiani sunt* 1. *Christi*, 2. *Chrestiani ab his, qui originem nominis Christiani ignorarent*, 3. *Catholici*, 4. *Ecclesiastici*, 5. *Dogmatici*, 6. *Orthodoxi*. 70. §. XI. *Quinam Christiani vocati a majoribus nostris fuerint Hellenistæ?* 75.

CAPUT II.

De contumeliosis nominibus, quibus Ethnici, Judæi, atque Hæretici Orthodoxos Christianos vocare solebant. *pag.* 79.

§. I. *Christiani per summam injuriam vocati Athei*. *Ibid.* §. II.

Magi, atque Malefici. 80. §. III. *Et Praestigiatores*. *Ibid.* §. IV. *Et Graeci, atque Impostores*. 81. §. V. *Et Sophistae*. 82. §. VI. *Et Seductores*. *Ibid.* §. VII. *Et superstitionis novae, pravae, immodicae, exitiabilis, atque maleficae*. 83. §. VIII. *Et religionis barbarae, ac peregrinae, atque barbari*. 84. §. IX. *Et κακοδαίμονες, mali daemones*. *Ibid.* §. X. *Et Desperati, atque Parabolarii*. 85. §. XI. *Et Sarmentitii, & Semaxii*. 86. §. XII. *Et Biathanati*. 87. §. XIII. *Et hebetes, stolidi, obtusi, rudes, idiotae, indocti, impoliti, inepti, agrestes, miseri, fatui, obstinati, & deploratae, perditae, atque inlicitae factionis*. 88. §. XIV. *Et Lucifuga natio, ac latebrosa, & muta in publico*. 89. §. XV. *Plautina Prosapia, & Pistores*. 90. §. XVI. *Et Cerdones*. Ibid. §. XVII. *Et Asinarii, atque Asinicolae*. 91. §. XVIII. *Et Extranei, Factiosi, Rei laesae divinitatis, atque imperii, Sacrilegi, Profani, & Vani*. *Ibid.* §. XIX. *Et Hostes generis humani, Principum, Publici, Rei majestatis, Homicidae, Incestuosi, Pessimi, Sceleratissimi, & Rei omnium scelerum*. 93. §. XX. *Et infructuosi in negotiis*. *Ibid.* §. XXI. *Et Christempori* 94. §. XXII. *Et Sibyllistae*. *Ibid.* §. XXIII. *Et Judaei*. *Ibid.* §. XXIV. *Et ab Judaeis, atque Gentilibus Galilaei*. 97. §. XXV. *Et Nazaraei*. 100. §. XXVI. *Quibus nominibus Orthodoxi vocati ab Haereticis fuerint, imprimisque de nomine Psychicorum, seu animalium, quod Catholicis Montanistae imposuerunt*. 102. §. XXVII. *De Secularium, & Carnalium vocabulis, quae indita nostris a Valentinianis fuerunt*. 103. §. XXVIII. *Cur Catholici vocati fuerint a Chiliastis Allegoristae*. 104. §. XXIX. *De Simplicium vocabulo, quod Manichaei Catholicis indiderunt*. *Ibid.* §. XXX. *Cur Novatiani appellaverint Catholicos Cornelianos, Apostatas, Capitolinos, & Synedrianos*. 105. §. XXXI. *Cur Orthodoxi vocati fuerint ab Arianis Eustathiani, & Pauliniani, & Homousiani, & Athanasiani*. 106. §. XXXII. *Orthodoxi praeterea vocati ab Aetianis Chronitae, ab Apollinarianis Anthropolatrae, ab Origenistis Philosarcae, & Pelosiotae*. *Ibid.* §. XXXIII. *Denique Orthodoxi dicti sunt a Nestorianis Cyrilliani, a Monophysitis vero Nestoriani*. 107. §. XXXIV. *Ecclesia a Luciferanis vocata Antichristi, & Satanae Synagoga*. 108. §. XXXV. *Christiani nomina omnia sectaria, humanasque appellationes vehementer sunt aversati*. 109.

CAPUT

C A P U T III.

De calumniis, quibus Ethnici funt noftros homines infectati. *pag.* 110.

§. I. *De Atheifmi accufatione*. §. II. *Calumnia de numerato in malis a Chriftianis conditore mundi Deo*. 116. §. III. *Calumnia de fimulata a noftris cum Judæis in rebus religionis erga Deum confenfione*. 117. §. IV. *Calumnia de adorato a Chriftianis Sole*. 118. §. V. *De adorati a Chriftianis capitis afinini calumnia*. 119. §. VI. *Calumnia de habitis Antiftitibus loco Deorum a Chriftianis* 123. §. VII. *Accufatio de adorato a Nobis homine cruci affixo*. *Ibid.* §. VIII. *Accufatio de cultu divino crucibus, iifque omnibus a Chriftianis adhibito, qui eo fupplicio affecti fuiffent*. 126. §. IX. *Accufatio de Deo Chriftianorum inquieto, molefto, & impudenter curiofo, qua ratione depulfa fuerit*. 129. §. X. *Calumnia de pudendorum cultu*. 130. §. XI. *Calumnia de occultato a Chriftianis eo, quod adorabant*. 132. §. XII. *Accufatio de diagrammate fuperftitiofo a Celfo inftituta*. 134. §. XIII. *Calumnia de circulis, qui inclufi circulis effent; de rivis terreftris Ecclefiæ; de virtute ex Prunico virgine manante; de cælo, de terra, de multis denique, ut vivant, interfectis; de ligno vitæ, quafi excogitatum fuerit, propterea quod Servator Chriftus cruci affixus fuiffet*. 136. §. XIV. 1. *Calumnia de Filio antelato a Chriftianis Patri*. 2. *De duobus principiis, quorum unum alteri adverfaretur*. 3. *Deque Deo, qui manibus hanc univerfitatem rerum condiderit*. 138. §. XV. *De cultu Serapidi a Chriftianis adhibito*. 140. §. XVI. *Accufati ab Ethnicis Chriftiani*. 1. *Quod feftis publicis non intereffent*. 2. *Quod templis, arifque carerent*. 3. *Et quafi barbaris vocibus orantes uterentur*. 142. §. XVII. *Calumniæ*. 1. *De ficto a Chriftianis partu Virginis*. 2. *De Matre Chrifti adultera*. 3. *De Chriftianis falfa de Chrifto fcribentibus*. 4. *Et libros facros vitiantibus*. 5. *Nolentibufque, ut omnes Chriftianæ religioni nomen darent*. 144. §. XVIII. *Calumniæ*. 1. *De Chriftianis, qui antequam de doctrina cognoffent Chrifto adhæferant*. 2. *De neglecta ab ipfis vetere lege*. 3. *Deque Apoftolis, quafi non crediderint Chrifto, ab eoque tandem defecerint*. 147. §. XIX. *Calumnia de afcitis a Chrifto folum undecim, vel duodecim viris, qui effent impuriffimis moribus*. 149. §. XX. *Accufati Chriftiani* 1. *Quafi fapientiam ftultitiæ nomine appellarent*. 2. *Solos improbos regno Dei potituros dicerent*. 3. *Inania, nefcio quæ, terriculamenta jactarent*. 4. *Et*

vana spe ducerentur. 150. §. XXI. *Accusati Christiani* 1. *Quasi plagarii fuerint* . 2. *maleque de salute divitum senserint*. 153. §. XXII. *Superstitio*, & *Magia Christianis objecta* 154. §.XXIII. 1. *De Epulis Thyesteis*. 2. *Deque incestuoso concubitu conficta ab Judæis, Ethnicisque calumniæ* 156. §.XXIV. *Accusati ab Ethnicis Christiani* 1. *Quasi novarum rerum studiosi*. 2. *Et auctores dissensionum*. 3. *Factionum*. 4. *seditionumque essent*. 160. §.XXV. *Accusati Christiani*. 1. *Quasi hostes generis humani*. 2. & *Imperatorum, reique læsæ majestatis*. 3. *Atque inutiles, & eversores reipublicæ essent*. 164. §. XXVI. *Accusati Christiani*. 1. *Quasi rei omnium scelerum*. 2. *Obstinati* . 3. *Indigni, qui de rebus divinis agerent*. 4. *Suspectique conjurationis essent, quod ante lucem convenire solerent*. 171. §. XXVII. *Calumniæ*. 1. *De occultis notis, quibus sese Christiani cognoscerent*. 2. *De martyribus, quasi mori vellent, ut post mortem eorum corpora balsamo inuncta cum aromatibus sepelirentur*. 3. *Deque Christianis, quasi malorum, ærumnarumque omnium caussæ essent*. 178. §. XXVIII. *Accusati Christiani* . 1. *Quod theatris, ceterisque spectaculis*. 2. *Quodque conviviis se abstinerent* . 3. *Quod mortuorum corpora non cremarent*. 4. *Quod mortuos, & sepulcra non coronarent*. 180. §.XXIX. *Contumeliosis nominibus, atque calumniis, quibus Ethnici nostros insectabantur, veritas Christianæ religionis confirmata est*. 184.

LIBER II.

De Origine, & Propagatione Christianæ Religionis. 287.

CAPUT I.

De Reipublicæ Judaicæ statu quo tempore Christus inter homines versabatur. *pag.*289.

§.I. *Cujusmodi esse ea ætate respublica Judæorum debuerit*. *Ibid.* §.II. *De statu Reipublicæ Judaicæ civili quo tempore Christus mortalem hanc vitam agebat*. 194. §.III. *De statu Religionis in Palæstina quo tempore inter nos Christus vivebat*. 199.

CAPUT II.

De Romanæ Reipublicæ statu quo tempore natus est Christus. 205.

§. I.

§.I. *Cujusmodi tunc esse debuerit*. *Ibid.* §.II. *Quinam fuerit, cum natus est Christus, Romanæ Reipublicæ civilis status*. 206. §. III. *De pace, quæ tunc obtinebat, cum natus est Christus*. 209. §.IV. *Quemadmodum, cum omnes Augusto parerent, constituta pace, censuque indicto, viæ ad ultimos usque imperii fines promotæ fuerint. Divino id consilio contigisse, ut facile Christiana religio propagaretur*. 213. §. V. *De religionibus Romanorum quo tempore natus est Christus*. 215. §. VI. *Liceret ne ea ætate Romanis peregrinas religiones colere*. 216. §. VII. *Ex tot religionibus corrupti civitatis mores existebant*. 217.

CAPUT III.

Qui status aliarum gentium ea ætate, qua Christus est natus, fuerit. *pag.*219.

§.I. *Quemadmodum Romani subactis variis gentibus, earumque ditionibus in provincias redactis, curaverint, ut illæ Romanis sacris assuescerent*. *Ibid.* §.II. *Cujus generis Dii nationum essent*. 221. §.III. *De Deorum colendorum apud Ethnicos ratione*. 222. §.IV. *Universæ ei religioni nullum inerat ad virtutem incitamentum*. 223. §.V. *De Philosophorum apud Græcos religione*. 224. §.VI. *De religione Ægyptiorum*. 226. §.VII. *De religione Persarum*. 227. §.VIII. *De Populorum, qui ad septemtriones spectabant, superstitione*. 228. §. IX. *Quam fuerit necesse, ut ea ætate divinus ille Doctor gentium universarum veniret, qui tot malis mederetur*. 229.

CAPUT IV.

De Origine, ac Propagatione Christianæ religionis in Palæstina cum Christus Servator inter homines ageret. *pag.* 230.

§.I. *Homines sanctos, qui jam usque ab initio hujus Universitatis rerum, etsi non voce, re tamen Christianos fuisse*. *Ibid.* §.II. *De ortu Christi in oppido Bethleemo, deque iis, qui primi omnium Messiam, ac regem a Prophetis prænunciatum cognorunt*. 231. §.III. *De Baptismo, & prædicatione, & miraculis Servatoris Christi, deque hominum multitudine, quos ad suam religionem colendam adduxit*. 237. §.IV. 1. *De consiliis Judæorum adversus Christum initis*. 2. *de extremo Paschate*. 3. *de cruciatibus*. 4. *morte*. 5. *& reditu e mortuis*. 6. *ascensuque in cælum Servatoris nostri Jesu Christi*. 7. *& de propagatione Christianæ religionis*

gionis in Palæstina. 274. §. V. *De Doctrina religionis, ac morum, qua Christus instituit Apostolos, quamque ut ubique gentium prædicarent, jussit*. 288.

CAPUT V.

De Propagatione Christianæ Religionis in Palæstina, & reliqua Syria post ascensum Christi Servatoris in cælum; de prodigiis a Deo per Apostolos patratis; deque sævitia Judæorum in Christianos. 293.

§. I. *De Propagatione Christianæ Religionis in Palæstina post ascensum Christi Servatoris in cælum*. *Ibid.* §. II. *De prodigiis a Deo per Apostolos patratis, deque aucto ob eam rem numero Christianorum*. 295. §. III. *De Judæorum primis Ecclesiæ seculis in Christianos sævitia*. 302.

CAPUT VI.

De consilio ab Apostolis suscepto regiones Gentium peragrandi, deque eorum, imprimisque Petri, ac Pauli itineribus, & Evangelii apud Ethnicos propagatione. 310.

§. I. *De consilio ab Apostolis suscepto Christianæ religionis in Ethnicorum Provinciis propagandæ*. *Ibid.* §. II. *De Sanctorum Apostolorum, imprimisque Petri, & Pauli itineribus*. 315. §. III. *Quemadmodum mortuis Apostolis admirabilem in modum propagata Christiana Religio sit*. 338.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

De Propagatione Christianæ Religionis a Neronis Augusti ad Trajani tempora, contra Campegium Vitringam. *pag.* 341.

§. I. *Plurimos Christianos a Neronis ad Trajani ætatem floruisse*. Ibid. §. II. *Solvuntur argumenta Vitringæ*. 345.

CAPUT VII.

De prodigiis, prophetiæ dono, atque visis, quæ post mortem Apostolorum, tribus potissimum primis Ecclesiæ seculis, obtinuerunt, ac de aucto inde numero Christianorum. *pag.* 363.

§. I. *De Prodigiis, & Prophetiæ dono*. *Ibid.* §. II. *De visionibus, quibus primis Ecclesiæ seculis, post mortem Petri, & Pauli Apostolorum, frui*

frui majoribus nostris licuit. 395. §.III. *Quemadmodum miraculis, rerumque futurarum præsensione, atque visis, quæ primis Ecclesiæ seculis obtinuerant, latius propagata Christiana religio fuerit*. 409.

CAPUT VIII.

De Persequutionibus, quibus Catholica Ecclesia quatuor primis seculis vexata ab Ethnicis est: de maxima SS. Martyrum multitudine: deque aucto inde numero Christianorum. *pag*. 414.

§.I. *De Persequutionibus, quæ plebis tumultu excitari adversus Christianos solebant*. *Ibid.* §.II. *De Persequutionibus, quæ edictis Imperatorum sunt adversus Christianos concitatæ*. 417. I. *De Neroniana. Ibid.* II. *De Domitianea*. 420. III. *De Trajana*. 426. IV. *De Hadriana*. 429. V. *De Antoniniana*, 432. VI. *De Aureliana*. 434. VII. *De Severiana*. 438. VIII. *De Maximiniana*. 443. IX. *De Deciana*. 444. X. *De Valeriani in Christianos sævitia*. 448. XI. *De Diocletianea Persequutione*. 450. §.III. *De multitudine Sanctorum Martyrum*. 459. §.IV. *De aucto caussa SS. MM. numero Christianorum*. 476.



Gemmæ ⊢⊣ antiquæ magnitudo.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F.M. de Rubeis Arch.Tharsen. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Sac. Palatii Apost. Mag. Ord.Prædic.

ORIGINUM,


FR·ANTONINUS·BREMOND·MASSILIEN·ANNOR·LVII·MAGISTER·ORDINIS·PRAED·LXIII
ELECTUS BONONIAE
CALENDIS JUNII AN·CIↃIↃCCXXXXVIII
CUNCTIS SUFFRAGIIS
C. Noia del. sculp.

ORIGINUM, ET ANTIQUITATUM
CHRISTIANARUM
LIBER I.

DE VARIIS NOMINIBUS CHRISTIANORUM, DEQUE FALSO AB ETHNICIS IN EOS EXCOGITATIS CALUMNIIS.

CAPUT I.

De honorificis nominibus, quibus olim sese vocare Christiani solebant.

§. I.

Cur initio de nominibus agendum sit.

DE Originibus & Antiquitatibus Christianis dicturo statuendum initio est, quibus nominibus appellari olim solerent, qui ei Religioni se devovissent. Nam etsi rerum potissimum habenda ratio est, inest tamen interdum vis tanta vocibus, ut his prætermissis, vix rerum, quas indicant, haberi cognitio posse videatur. Atque intelligo equidem duo esse genera ejusmodi nominum. Unum genus est eorum, quibus sese honoris caussa appellare, ab aliisque secernere Christiani solebant. Alterum est plenum probri, & contumeliæ, quo vel Ethnici, vel qui essent ab Ecclesiæ communione sejuncti abutebantur, ut Orthodoxorum invidiam

inflammarent. Exſiſtunt autem ex utroque, ſi explicatum diligenter fuerit, non minimæ utilitates. Honorificæ namque appellationes, quibus ſeſe honeſtare noſtri conſuerant; ſatis oſtendunt, quæ eſſet eorum erga Deum religio, quæ caſtitas, atque integritas morum, quodque adverſus ceteros ſtudium amoris, & pietatis: contumelioſæ vero quamquam ſunt ab inimicis odio, & malevolentia incitatis inventæ, continent tamen latens quidpiam boni, ex quo, ſi aliquando eliciatur, intelligi facile poſſit, quibus contumeliis exagitari, quibuſque incommodis premi noſtri maluerint, quam deſerere illam, cui ſeſe addixiſſent religionem. Sed poſtulat inſtituti ratio, ut ab honorificis ducam orationis exordium.

§. II.

Chriſtiani vocati I. Diſcipuli, II. Fideles, III. Electi, IV. Sancti, V. Fratres, VI. Conſervi *&c.*

PRincipio igitur qui Judæi, aut Ethnici, rejecta ſuperſtitione, ad Chriſtiana ſacra accedebant, ii quidem μαθηταὶ, hoc eſt *diſcipuli* (1) vocabantur. Atque id ſane nomen ſibi impoſuerant, quo ſe a Chriſto inſtitutos fuiſſe ſignificarent. Erat enim hoc apud Judæos in uſu, ut qui ſe magiſtro cuipiam tradidiſſent in diſciplinam, hi omnes *diſcipuli* audirent (2). Ergo in monumentis ejus nationis Scriptorum ſæpe fit *diſcipulorum ſapientum* (3) commemoratio. Quod etiam nomen hi uſurparunt, qui ſapientiæ ſtu ioſi cum eſſent, longe aberant a vitio arrogantiæ (4). Itaque non *ſapientes*, ſed *ſapientum* ſe diſcipulos appellabant, non ſecus atque Pythagoras, qui rogatus quem ſe eſſe profiteretur, non σοφὸν hoc eſt *ſapientem* reſpondit, ſed Φιλόσοφον (5), id eſt *ſapientiæ ſtudioſum*, modeſtiæ cauſſa. Verum mitto Judæos. Hoc certum eſt majoribus noſtris jure fuiſſe tributum nomen diſcipulorum, quod non ſolum doctrinam amplexi eſſent, ſed mores etiam ſuos ad vitam, atque inſtituta Præceptoris Chriſti componere conarentur (6).

II. Vo-

(1) *Act. Apoſt.* VI. *v.*2. 7. & IX. *v.*1. 19. 25. 26. & XI. *v.*26.

(2) *Buxtorf. in Lexic. Talmud. Rabbinic. pag.*1146.

(3) Confer *Joh. Ligtfootum in Hor. Hebraicis in Matth. c.*III. *v.*7. *pag.*271.

(4) Buxtorf. *loco mox indicato*.

(5) Vide Laertium *lib.* VIII. *De Vit. Philoſoph. cap.*1. *ſeg.*VI.

(6) S. Johann. Chryſoſt. *Homil.*XXI. *in Act. a pag.*172. *T.*IX. *Opp. Edit. Pariſ. an.*1731. Μαθηταὶ πάντες ἐκαλοῦντο τότε διὰ τὴν πολλὴν ἀρετήν. *Diſcipuli vocabantur omnes ob multam virtutem.*

II. Vocati præterea ſunt πιστοί (1), vel πιστεύοντες (2), *fideles*, vel *credentes* non ante modo, ſed etiam poſt quam eſt introducta appellatio Chriſtianorum. Cujus quidem nominis cum ſit patens ratio, non eſt cur explicanda multis eſſe videatur. Ergo credentes, & fideles dicebantur, quod Chriſto, & in Chriſtum crediḋiſſent. Quemadmodum autem, qui abjecta ſuperſtitione, amplexi Religionem Chriſtianam fuerant, *fideles*, ita qui ex Chriſtianis parentibus orti eranr, idemque genus vitæ, ac religionis conſectabantur, non *fideles* tantum, ſed etiam interdum ex *fidelibus fideles* ſeſe dicere conſueverant, ut ab iis diſtinguerentur, qui Ethnicis, aut Hebræis parentibus prognati fuiſſent. Cujus quidem rei exempla extant nonnulla, ut ex veteribus monumentis conſtat (3). Non aſſentior autem iis (4), qui vocem πιστὸς negant habere activam ſignificationem poſſe, quaſi πιστὸς ille ſit, cui adhibeatur; non qui alteri adhibeat fidem. Namque ut miſſa faciam, quæ modo indicavi, Pauli teſtimonia, verba Chriſti apud Johannem *cap.* xx. (5) Evangelii Thomam alloquentis Μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστὸς, *ne ſis incredulus, ſed fidelis* paſſivam ſignificationem non ferunt.

(1) Epheſ. 1. v. 1. *Coloſſ.* 1. v. 2. *& alibi*.
(2) Act. II. v. 44. & IV. v. 32. & V. v. 14.
(3) Vetus Inſcriptio, quæ ſervatur in Muſæo Kirkeriano Collegii Romani Soc. Jeſu, atque publicata ab Antonio Lupo viro doctiſſimo ejuſdem Societatis *pag.* 136. *Mon. Sancta Severa*, habet hoc modo:

ΠΙCΤΟC ΕΚΠΙC
ΙΩΝΖΩCΙΜΟC
ΕΝΘΑΔΕΚΕΙΜΕ
ΖΗCΑC ΕΤΕCΙΝ
Β· ΜΗ· Α· ΗΜΕΚΕ



Fidelis ex fidelibus Zoſimus hic iaceo, qui vixi annis duobus, menſe uno, diebus quindecim.
(4) Henricus Stephanus in Theſauro linguæ Græcæ ad v. πιστός.
(5) v. 27.

runt. Quo in genere illustris est etiam Athanasii in *secunda adversus Arianos Oratione* locus. Nam habet hoc modo. *πιστὸς ὁ Ἀβραὰμ ὅτι τῷ λαλοῦντι πεπίστευκε Θεῷ* : *fidelis Abraham, quod loquenti Deo crediderit* (1).

III. Accedit appellatio *τῶν ἐκλεκτῶν electorum*. *Electos* enim *Dei* Paulus vocat (2), Petrus vero *electos* (3) sine adjuncto. *Electi* autem dicebantur Christiani, quod e Synagoga, aut e gentibus delecti divinitus essent, ut Christianam Religionem profiterentur. Est item alia quædam hujusce vocis significatio, de qua tunc agam, cum de Catechumenis data opera disputavero.

IV. Sequitur *τῶν ἁγίων Sanctorum* nomen. Nam Christiani omnes, ab Apostolis etiam *Sancti* appellabantur (4). Quæ sane appellatio idcirco tributa eis fuit, quod *sanctificati in Sanguine Christi* essent, vocatique ad sanctitatem. Ex qua re manavit etiam appellatio *Sanctificatorum*, quæ cum esset ab Apostolo usurpata (5), adhibita quoque est aliquando a Patribus (6).

V. Invaluit præterea apud nostros nomen *fratrum*, quod est a Christo servatore in Ecclesiam introductum, itaque deinceps propagatum est, ut non modo ab Apostolis (7), sed etiam a Christianis (8) omnibus usurparetur. Atque Christus suos discipulos alloquens: *πάντες ὑμεῖς*, inquit, *ἀδελφοί ἐστε* : *omnes vos fratres estis* (9). Idem cum a mortuis resurrexisset, Mariæ Magdalenæ auctor, ut *fratres*, hoc est Apostolos, adiret, fuit, eisque nunciaret esse se migraturum ad Patrem (10). Est autem hujus nominis patens ratio. Qui enim communem habent Patrem (11) Deum, & matrem item communem

(1) *Pag.474. Tom.1. Opp. Edit. Parif. an.1698.*

(2) *Ad Rom.*VIII. *v.33.* & ad *Coloss.*III. *v.12. &c.*

(3) *Ep.1. cap.1. v.1.*

(4) Chrysost. *Homil.1. in Epist. ad Roman. n.4. pag.434. T.*IX. *Opp.* *ἁγίους*, inquit (ὁ Ἀπόστολος) *τοὺς πιστοὺς καλεῖ πάντας*. *Omnes fideles* Apostolus *vocat Sanctos*. Similia habet *Homil.*XIV. *in I. Epist. ad Timoth.* & X. in *Epist. ad Hebræos*.

(5) *Ad Cor.1. v.2.*

(6) Clemens Roman. *in Epist. ad Cor.1. pag.9. Tom.1. Epist. Rom. Pont. Edit. Coutant.* & Chrysost. *Homil.1. in 1. Epist. ad Cor. n.1. pag.4. Tom.X. Opp.*

(7) 1. *Cor.*V. *v.11.* VI. *v.6. Rom.*XII. *v.10.* 1. Petri 1. 7.

(8) Clem. Rom. *Ep. ad Cor. pag.9. Edit. Coutant.* S. Ignatius Martyr *Epist. ad Ephesios n.*XVI. *pag.15. Tom.*II. *Patr. Apostolicor. Edit. an.1724. & alibi sæpe*, ut & alii plerique, quorum aliquos paullo post laudabimus. Interea consulantur Justinus Martyr *Apolog.* quæ *secunda* dicitur, quæque revera est prima, *pag.97. Edit. an.1615.* & Clemens Alexandrinus *lib.*II. *Stromateon pag.450. Edit. Oxoniensis*: *ἀδελφοὺς τοὺς τῷ αὐτῷ λόγῳ ἀναγεννηθέντας προσαγορεύομεν* : *fratres appellamus, qui sunt eodem verbo regenerati*. & Lactantius Firmianus *lib.*V. *Divin. Institut. cap.*XVI.

(9) *Matthæi cap.*XXIII. *v.8*

(10) *Joh.*XX. 17.

(11) Ad *Rom.* VIII. 15. ad *Gal.* IV. 6. *Matth.*V. *v.9.*

nem (1) Ecclesiam, qui eodem baptismo regenerati sunt (2), qui sunt ex eodem spiritu (3) nati, qui omnia habebant, præter uxores, communia (4), qui denique unam pietatis (5), & vitæ rationem colunt, hi & sunt, & vocari merito fratres possunt.

Jam vero cum fratres sese Christiani vocarent, factum hinc est, ut ab eis *fidelium* societas *fraternitas* diceretur. Cujus rei illustria extant in veterum monumentis exempla. Nam Petrus *Epist.* I. *Cap.* II. *v.* 17. hortatur eos, ad quos scribit, ut ament *τὴν ἀδελφότητα fraternitatem*. Quinetiam Clemens in priore ad Corinthios Epistola n. II (6) *sollicitudinem* illis, ait, *fuisse per diem ac noctem pro universa fraternitate*. Atque ut ceterorum testimonia mittam, quæ sane plurima sunt, extat apud Cyprianum in Epistolis *Fraternitatis* frequens mentio. Immo vero in fine plerumque earum sic habet: *Fraternitatem universam meo nomine salutate &c. Fraternitatem, quæ vobiscum est, multum a me salutate &c.* Scio esse alias etiam vocis *fraternitatis* significationes, sed quoniam ad rem non pertinent, censeo esse prætermittendas.

Redeo ad appellationem *Fratrum*. Cum ea late longeque propagata esset, mansissetque a Christo in sequentem ætatem, factum est, ut Christiani nominis inimici occasionem inde sumserint nostros calumniandi (7). Scilicet cum Ethnici nossent ipsi se, scirentque suos abuti *fratrum* appellatione consuevisse, ut suas nefarias libidines tegerent,

(1) *Galat.* IV. *v.* 26.

(2) Tertullianus *lib. de Baptismo cap.* XX. *pag.* 332. *Edit. an.* 1675. „ Benedicti, inquit, quos gratia „ Dei expectat, cum de illo sanctissimo lavacro novi natalis ascenditis, & primas manus apud matrem „ (*hoc est Ecclesiam*) cum fratribus aperitis &c. Adeundi Justinus Martyr *Apol.* II. *seu potius prima pag.* 95. 96. & 97. *Edit. Paris. an.* 1615. & Clemens Alexandrinus *lib.* II. *Strom. cap.* IX. *pag.* 456. *Edit. Oxon. an.* 1715. Et Johannes Chrysostomus *Homil.* XXV. *ad Hebræos pag.* 233. *T.* XI. *Opp. novæ Edit.* qui ἀδελφὸν, inquit, ἐνταῦθα λέγων (ὁ Ἀπόστολος) πάντα τὸν πιστὸν ἁπλῶς, οὐ τὸν μονάζοντα. τί γάρ ἐστι τὸ ποιοῦν τὴν ἀδελφότητα; τὸ λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας, τὸ δύνασθαι καλεῖσθαι πατέρα τὸν θεόν. *Fratrem hic dicit (Apostolus) omnem fidelem absolute; non Monachum. Quid enim est, quod facit fraternitatem? lavacrum regenerationis, posse vocare Patrem Deum.*

(3) *Johann.* III. *v.* 6.

(4) Tertullianus *Apologet. c.* XXXVIIII. *pag.* 327. *Edit. Havercamp. an.* 1718. „ Quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum spiritum hauserunt „ sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis... Ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter „ uxores &c.

(5) Asterius Amasenus Episcopus Johanni Chrysostomo æqualis apud Photium *in Bibliot. cod.* CCLXXI. ἀδελφοὺς, inquit, καλοῦμεν ἐκείνους, οἳ ἐξ ἑνὸς ἔφυσαν σπέρματος, καὶ μιᾶς γαστρὸς, οἱ δὲ τὸν αὐτὸν ἔχοντες ποιητὴν, καὶ μίαν μητέρα τὴν γῆν, ἀφ' ἧς διεπλάσθημεν, καὶ ψυχῆς ἀξίωμα παραπλήσιον εὐσεβείας δὲ καὶ πολιτείας...... πῶς οὐ πάσης ἀδελφότητος, καὶ συγγενείας ἐσμὲν ἀλλήλων ἐγγύτεροι. „ Illos vocamus fratres, qui eodem editi sunt semine, „ & ex eodem utero geniti. Qui vero eumdem habemus Creatorem, & eamdem matrem terram, „ e qua formati sumus, & eamdem animæ dignitatem, unam pietatis, & vitæ rationem.... quomodo non omni *fraternitate*, & *cognatione* propinquiores sumus.

(6) *Pag.* 148. *T.* I. *Apostolic. PP. Edit. an.* 1724.

(7) *Lucian. in Peregr. pag.* 996. *Edit. an.* 1615.

gerent, ſuis moribus noſtrorum mores metiebantur (1), jactabantque Chriſtianos, qui ſimiles voces adhiberent, eſse graviſſimis, impuriſſimiſque flagitiis implicatos. Quamobrem data opera ab iis, qui Apologeticos pro Religione Chriſtiana libros vulgarunt, eſt, ut hoc genus calumniæ a noſtra ſocietate depelleretur (2).

Eſt illud præterea animadvertendum, fuiſse apud majores noſtros in uſu, ut qui magno natu eſsent, hi *minores*, *filios*; qui minores, hi *ſenes*, *Patres*; qui denique pares ætate eſsent, hi *æquales* ſuos *fratres* appellarent. Qua de re inſignis eſt Athenagoræ antiqui imprimis Auctoris locus in Legatione (3).

Etſi autem Chriſtiani ſe mutuo vocabant fratres, non tamen ita erant affecti animo, ut quandoque eos etiam hoc tanto nomine non dignarentur (4), qui a noſtris ſacris, & inſtitutis alieni eſsent. Quod eo conſilio factum eſse arbitror, quo putarent haberi eos in numero fratrum oportere, qui conditi ab uno Deo (5) eſsent, rationeque pollerent, qua poſsent veritatem agnoſcere.

Neque vero apud Chriſtianos ſolum, ſed etiam apud Hebræos ea ratio invaluerat, ut fratres dicerentur. & qui ex eadem tribu, & qui participes ejuſdem verbi, eorumdemque Sacrorum erant. De qua re conſuli Clemens Alexandrinus poterit in ſecundo Stromateon libro (6). Ac de *fratribus* ſatis dictum eſt.

V. Nunc

(1) Juſtus Lipſius *lib.* I. *cap.* I. *variar. Lection. Illud*, inquit, *mibi oſtendendum eſt, veteres Gentiles ſolere longe aliter fratris, & ſororis nomine uti, quam vulgo hodie ea nomina ſonant. Fratres enim puellæ blandientes vocabant interdum amatores ſuos, & eos quibuſcum conſueverant, ut contra adoleſcentes amicas ſuas... ſorores blande appellabant. Docet hoc aperte unus Martialis ad Ammianum hac quidem in re ſatis idoneus auctor &c.*

(2) Tertull. *Apolog. loco mox indicato*. „ Sed & quod fratres nos vocamus, *inquit*, non alias opinor „ infamant, quam quod apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectatione ſimulatum eſt. Cæcilius quoque apud Minucium Felicem *In Octav. pag.* 9. *Edit. an.* 1652. hæc opponit Chriſtianis: „ Ac ſe promiſcue appel- „ lant fratres, & ſorores, ut etiam non inſolens ſtuprum, interceſſione ſacri nominis fiat inceſtum.

(3) *Append. Opp. S. Juſt. Mart. pag.* 36. *edit. an.* 1615. καθ' ἡλικίαν τοὺς μὲν υἱοὺς, καὶ θυγατέρας νοοῦμεν, τοὺς δὲ ἀδελφοὺς ἔχομεν, καὶ ἀδελφάς, καὶ τοῖς προβεβηκόσι τὴν τῶν πατέρων καὶ μητέρων τιμὴν ἀπονέμομεν. „ Secundum ætatem alios quidem pro *filiis*, & *filiabus* agnoſcimus, alios autem pro *fratribus*, & *ſororibus*, & provectioribus honorem deferimus *Patrum*, & *Matrum*.

(4) Tertullianus *Cap.* XXXIX. *Apologetici pag.* 326. *Edit. Haverc. Lugd. Batav.* Gentiles alloquens, *fratres*, inquit, *veſtri ſumus jure naturæ matris unius, etſi parum vos homines, quia mali fratres*. Juſtinus quoque Martyr in Dialogo cum Tryphone *pag.* 323. *Edit. Pariſ. an.* 1615. οἷς ἡμεῖς ἅπασι λέγομεν, ὅτι ἀδελφοὶ ἡμῶν ἐστε. *Quibus omnibus dicimus, quod fratres noſtri eſtis*: hoc eſt Ethnicis, & Judæis. Cæcilius item gentilis apud Minucium Felicem ab Octavio interlocutore frater appellatur. Vide Nourrium *T.* I. *Appar. Biblioth. PP. pag.* 166. *Edit. an.* 1715.

(5) Vide locum Allerii, quem paullo laudavi, ut & Tertulliani, quod *ibidem* retuli teſtimonium. Apposite etiam Lactantius *libro* V. *Divinar. Inſtitut. cap.* VI. *pag.* 477. *Edit. an.* 1660. *Sola* (divina religio) *efficit, ut homo hominem carum habeat, eumque ſibi fraternitatis vinculo ſciat eſſe conſtrictum: ſiquidem pater idem omnibus Deus eſt &c.* Conſulendus Clemens Alexandrinus *lib.* V. *Stromateon cap.* XIV. *pag.* 703. *ſeq. Edit. Oxonienſis*.

(6) *Cap.* XVIII. *pag.* 473. *Edit. Oxon.* ὁ νόμος ἀπαγορεύει ἀδελφὸν δανείζειν, ἀδελφὸν ὀνομάζων.

V. Nunc de nomine *Conservorum* pauca dicenda sunt. Igitur ut ob amorem benevolentiamque *fratres*, sic ob eamdem religionem, quam colerent, *conservos* sese mutuo vocasse Christianos Auctor est in v. *Institutionum Divinarum libro* Lactantius (1). Neque vero recens, neque quarto primum seculo introductum hoc nomen est. Namque huc spectant, quæ habet in Apocalypsi Johannes de numero (2) *conservorum*. Est autem hoc loco adnotandum jam inde a primis nominis Christiani temporibus *conservos* fuisse dictos ab Episcopis alios Episcopos, & a Ministris verbi eos, qui eodem ministerio fungerentur. Quamobrem Paulus in Epistola ad Colossenses Epaphram carissimum *σύνδουλον conservum* (3) vocat. Quod sane etiam facit, cum paullo post de (4) Tychico loquitur.

§. III.

De nomine Christianorum. I. *Quo tempore fuerit introductum.* II. *Unde ortum fuerit.* III. *Cur veteres aliquot scripserint, Christianos sic esse a* Chrismate *nominatos.*

I. Discipulos Antiochiæ primum fuisse Christianos dictos, traditum memoriæ ab Evangeliste Luca in Actis Apostolicis est (5). Epiphanius (6) autem, aliique (7) Ecclesiastici Scriptores, omnes, nisi forte Tertullianum (8), Eusebiumque Cæsariensem exceperis, in ea fuerunt

μάζων οὐ μόνον τὸν ἐκ τῆς αὐτῶν φύντα γονέων, ἀλλὰ καὶ ὃς ἂν ὁμόφυλος ἢ, ὁμογνώμων τε καὶ τοῦ αὐτοῦ λόγου κεκοινωνηκώς. „ Ita prohibet fratri foenerari, fratrem nominans „ non eum solum, qui ex iisdem natus parentibus, sed etiam qui fuerit ejusdem tribus, ejusdem„ que sententiæ, ejusdemque sermonis particeps. Hæc autem a magna parte expressa sunt ex Philonis libro *de Caritate pag.542. Edit. Colon. Allobrog. an.1613.*

(1) *Cap.xvi. pag.504. seq. Edit. an.1660.* „ Nec alia caussa est, cur nobis invicem fratrum nomen „ impertiamus, nisi quia pares esse nos credimus. Nam cum omnia humana non corpore, sed spiritu me„ tiamur, tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt; sed eos & habemus, & di„ cimus spiritu fratres, religione *conservos*.

(2) *Cap.vi. v.11.*

(3) *Cap.i. v.7.*

(4) *Cap.iv. v.7.* Consule S. Ignatium *Epist. ad Ephes. n.2. T.1I. PP. Apostolic. pag.12.* & ad *Smyrn. pag.38.* & ad *Magnes. n.2. pag.17.*

(5) *Cap.xi. v.26.*

(6) Hæres.xxix. *n.1. & sv.*

(7) Malela apud *Selden. de Synedr. l.1. pag.120.* Suidas ad V. *Χριστιανὸς* &c.

(8) Nam cap.v. Apologetici scribit hoc modo: *Tiberius ergo cujus tempore nomen Christianum in seculum intravit.* Sed vereor ne hæc Tertulliani sententia non de appellatione, quasi tunc introduci cœperit, sed de Religione Christiana, cujus tunc augebatur fama, atque celebritas intelligenda sit. Nam idem ipse Tertullianus *in primo ad Nationes libro cap.viii. Principe*, inquit, *Augusto nomen hoc ortum est. Tiberio disciplina ejus illuxit.* Nemo est autem, qui Tertullianum tam fuisse ineptum putet, ut existimet censuisse eum, *appellationem Christianorum* introduci cœpisse, cum Augustus imperio potiretur, quo certe tem-

fuerunt opinione, ut tunc primum usurpari hoc nominis genus cœpisse putarent, cum Claudius teneret imperium Populi Romani. Ac Cæsar Cardinalis Baronius, vir summa rerum Ecclesiasticarum peritia, anno primo ejus Imperatoris tributam discipulis eam fuisse appellationem putat. Negant vero Tillemontius (1), Pearsonus (2), atque Usserius (3), qui rentur conjici illam in annum Claudii tertium oportere. Traditum namque a S.Luca est eodem fere tempore & prædictam ab Agabo Propheta fuisse famem (4), & invectam in Ecclesiam appellationem *Christianorum*. Jam vero Agabi Oraculum rejectum est in annum secundum Claudii a Baronio. Quamobrem in eumdem *nomen* etiam illud referendum fuit. Quare mea sic est ratio, vel in quadragesimum secundum, vel in quadragesimum tertium æræ vulgaris annum rejici ejus nominis primordia oportere; in quadragesimum vero primum, qui primus item Claudii Imperatoris fuerit, nullo modo.

II. Sed est magno in errore *Auctoris Dialogorum adversus Arianos* (5) sententia. Omnes enim non Orthodoxos solum, sed etiam hæreticos (6) *fideles* initio fuisse nominatos pugnat. Ergo ut aliqua esset diversitas appellationum, congregatos fuisse Apostolos in unum locum, statuisseque, ut qui rectæ sententiæ defensores essent, hi solum *Christiani* vocarentur. At enim principio satis constat non Orthodoxos modo, sed etiam hæreticos veteres sibi imposuisse nomen *Christianorum* (7). Deinde inter hæreticos, quorum caussa sancitum fuisse

tempore nondum Christus ad Evangelium prædicandum accesserat. Itaque statuendum est loquutum fuisse Tertullianum de originibus non nominis, sed religionis Christianæ. Eodem vero modo explicari locus Eusebii ex 11. *Hist. eccl. libro cap.*11. potest.

(1) *T.*1. *Mon. Hist. Eccl. pag.*326. *seqq. Edit. Paris.*

(2) *In Annal. Paul. ad an.*43.

(3) *In Annal. Vet. & N. Test. ad an.*43.

(4) *Loc. cit.* „ Annum totum conversati sunt (*Paulus, & Barnabas*) in Ecclesia, & docuerunt tur-„ bam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani. In his autem diebus su-„ pervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam, & surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat „ per spiritum famem magnam futuram in universo Orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.

(5) Vigilium Tapsensem cum Auctore esse putavit Chifletius *Opusc.*11. *Vindiciar. Vigilii Tapsensis pag.*31. *Edit. an.*1664. Negant alii. Alexandus Montfauconus *in Monit. ad Symb. Athan. Tom.*11. *Opp. Athanasianor.*

(6) *Lib.*11. *n.*x. *pag.*95. *Editionis Chifletii an.*1664. „ In ipso Christianæ Religionis prædicationis „ initio, omnes qui credebant Domino nostro Jesu Christo, non Christiani, sed discipuli tantummo-„ do nominabantur. Et quia multi novorum dogmatum auctores extiterunt doctrinæ obviantes Apo-„ stolicæ, omnesque sectatores suos discipulos nominabant, nec erat ulla nominis discretio inter ve-„ ros falsosque discipulos, cum sive qui Christi, sive qui Dosithei, sive qui Theudæ . . . uno disci-„ pulorum nomine censerentur. Tunc Apostoli convenientes Antiochiam . . . omnes discipulos novo „ nomine, idest *Christianos* appellarunt, discernentes eos a communi falsorum discipulorum vo-„ cabulo.

(7) Justinus Martyr Apologia, quæ secunda dicitur *pag.*70. *Edit. an.*1615. De Simonianis, Menandrianis &c.

fuisse illud Decretum is Auctor putat, Dositheus commemoratur, quem ea ætate vixisse incertum omnino est (1). Postremo tanta esse ejus Scriptoris fides nequit, ut silentibus antiquis omnibus, extorquere a nobis assensionem possit.

Ego igitur sic censeo, plerosque omnes, qui ante ea tempora amplexi Christianam religionem erant, fuisse de genere Judæorum. Cornelium Centurionem e gentibus primum omnium ad nostra sacra fuisse vocatum. Paullo autem post hujus viri exemplum multos fuisse imitatos Antiochiæ (2). Verisimile autem esse discipulos, qui noscerent ex diversitate nominum, & nationum Judæorum, atque Græcorum, ita ut fit, oriri dissensiones posse, voluisse, ut omnes uno nomine a *Christo Christiani* appellarentur (3): quæ sane vocis inflexio Græca est.

III. Sed veteres plerique quamquam cognorant appellatos nos esse a Christo *Christianos* (4), Christi autem nomen ab *unctione* ortum esse, unde propterea manaverit appellatio (5) *Christianorum*; mysti-

drianis &c. loquens: πάντες, inquit, οἱ ἀπὸ τούτων ὁρμώμενοι Χριστιανοὶ καλοῦνται. *Omnes, qui ex his prodierunt, Christiani vocantur*. Consulendi Eusebius *lib.iv. H. E. c.xi. pag.157. Edit. Cantabrigiensi*, Epiphanius *Hæresi* xxix. *n.6.*, Constantinus Augustus apud Socratem *Hist.E. l.1. cap.ix.*

(1) Origenes *lib.vi. contra Celsum n.xi. pag.638. Edit. Paris. Monachor. S. Mauri*, *Dositheus dicit nec in principio floruisse, & suo tempore penitus desiisse*. Contra lib.vi. tradit Dositheum vixisse ætate Apostolorum. Non nego esse plerosque, qui huic postremæ sententiæ accesserint. Nam Photius Bibliothecæ *Cod.* cxxi. refert Hippolitum, qui contra triginta duas hæreticorum sectas scripserit, orsum a Dositheis opus fuisse. Atque Hegesippus apud Eusebium *l.iv. H. E. c.xxii.* Dositheum in his numerat, qui primi pacem Ecclesiæ perturbaverunt. Ab hoc vero non discrepat Theodoritus Hæreticarum Fabular. lib.1. *cap.1. pag.193. Edit. Sirmondi*. Quid? Si sunt etiam nonnulli, qui ante Christum vixisse Dositheum prodiderint? Itaque fuerunt, qui duos Dositheos vixisse dicerent, quorum alter ante Christum, alter post vitam scelestam egerint. Componi enim alio modo pugnantes veterum opiniones non posse censuerunt. In his numerandi Joh. Baptista Cotelerius *in lib.vi. Constitutionum Apostolicarum cap.vii. pag.338. T.1. PP. Apostolicorum Edit. Amstelod. an.1724.* & Nicolaus Serarius in *Trihæresio l.1. cap.xix. pag.67.* & ex Hæreticis Thomas Ittigius *de Hæresiarchis Ævi Apostolici pag.23.* ut ceteros, ne sim longior prætermittam. Num autem ita se res habuerit, non audeo definire. Hoc dico non constare vixerit ne Dositheus ætate Apostolorum, nec ne vixerit.

(2) *Act. Apost. cap.xi.* Extat proinde Apostolorum, Presbyterorum, & Fratrum qui Hierosolymis manebant, Epistola missa τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ Συρίαν, καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν. *Ad fratres ex gentibus, qui erant Antiochiæ, in Syria, & in Cilicia. Act.xv.v.23.*

(3) Hoc enim pacto magis magisque ostendebatur in Christo nullam esse distinctionem Judæi, & Græci, cum communi nomine sibi imposito, in unum populum discipuli omnes coalescerent, litesque, quæ ex diversitate nationis oriri solent, tollerentur. Atque excitatæ quidem ante fuerant, cum Proselyti e gentibus Christiani facti de Judæis conqueri cœpissent, quod in quotidiano ministerio nullam haberent rationem suarum viduarum. *Act.vi. v.1. seq.* Quamobrem verisimile est, impositum omnibus id nomen fuisse, ne quoad ejus fieri posset, dissensiones cessarent.

(4) A Christo nos esse cognominatos Christianos & res est per sese perspicua, & fuit a Patribus sæpe observata. Adeundi Tertullianus *in priore ad Nationes libro Capp.iii. & iv.* Clemens Alexandrinus *lib.ii. Stromateon pag.438. c.iv. Edition. Oxon.* & Theodoritus *in cap.lxv. Isaiæ pag.134. Tom.ii. Opp. Editionis Sirmondi*, & his omnibus antiquior Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone *n.lxiv. pag.161. Edit. Mon. S. Mauri*.

(5) Atque hoc sensu intelligendum est, quod scribit in *Apologet. cap.iii.* Tertullianus *pag.4. Edit. Paris. an.1675. Christianus vero, quantum interpretatio est, de unctione deducitur*. Consulendus Lactantius Firmianus *in iv. Institutionum divinarum libro cap.vii. pag.367. seq. Edit. an.1660.*

cam tamen aliquam ejus vocis originem indicaverunt. Nam solebant interdum ad allegorias confugere. Itaque cum cernerent inungi eos solere, qui baptismo essent initiati, affirmarunt ab eo *Chrismate* consequutos nos esse nomen *Christianorum*. Quamobrem Theophilus Antiochenus (1) Auctor imprimis vetus: *propterea*, inquit, *Christiani vocamur, quia unguento ungimur divino*. Eodem autem spectat Cyrilli Hierosolymitani, quæ extat *in* III. *Mystagogica* (2) Catechesi, sententia. *Hujus enim*, inquit, *Sancti Chrismatis dono accepto, appellamini Christiani*. Atque hac quidem ratione intelligenda sunt, quæ Illiberitani Patres circa an. 302 statuerunt *canone* XXXIX. *Tom. I. Conciliorum Editionis Venetæ col.* 997. *Gentiles*, namque ajunt, *si in infirmitate* (intelligitur, Baptizati fuerint, quin Catechumeni ante essent, &) *desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manum imponi, & fieri Christianos*. Etenim tum baptizatos dignos esse indicant, qui appellentur Christiani, cum impositæ illis manus sint, initiatique fuerint Sacramento Confirmationis. Lege *adnot. Albaspin. ibid. pag.* 1022. Ac de nomine Christianorum hactenus, quo ii soli digni a majoribus nostris censentur esse, qui Orthodoxam colunt Religionem (3).

§. IV.

Fuerintne umquam Christiani appellati Jessæi.

S. Epiphanius *hæresi* XXIX. discipulis Christi, antequam Christiani essent vocati, tributum ait fuisse nomen *Jessæorum* (4). Atque hujus quidem vocis Etymon vel ab Jesse Davidis Patre, vel a Jesu Serva-

(1) *Opp. Just. Mart. Edit. an.* 1615. *in Append. pag.* 77. Τούτου ἕνεκεν καλούμεθα, ὅτι χριόμεθα ἔλαιον θεοῦ.

(2) *Pag.* 233. *Edit. an.* 1640. Τούτου τοῦ ἁγίου χρίσματος καταξιωθέντες, καλεῖσθε χριστιανοί.

(3) Justinus Martyr *in Dialogo cum Triphone pag.* 253. *Edit. Paris. an.* 1615. hæreticos indignos hac appellatione esse non obscure innuere videtur. Tertullianus *lib. De Præscriptionibus adversus Hæret. cap.* XXXVII. *Si hæretici*, inquit, *sunt, Christiani esse non possunt*. Vide Origenem *lib.* V. *contra Celsum num.* 61. *pag.* 624. *T.* 1. *Opp. nov. edit.* Rursum Lactantius *lib.* IV. *cap.* XXX. *pag.* 449. *seq. Edit. an.* 1660. „Cum Phryges, inquit, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, seu „quilibet alii nominantur, Christiani esse desierint, qui Christi nomine amisso, humana, & externa vo„cabula induerunt &c. Immo vero cautum aliquando fuit, ut ne quis Orthodoxus hæreticos appellaret Christianos; quam legem refert in *Nomocanone Tit.* XII. *cap.* II. Ex *Constitut.* 1. *Tit.* 1. *lib.* 1. *Codicis* Photius: ὁ μὴ δοξάζων τὴν ἁγίαν τριάδα ἐν μιᾷ θεότητι ἰσοδύναμον, οὔτε χριστιανὸς λέγεται. κ. τ. λ. *Qui Sanctam Trinitatem in una Deitate pari potestate præditam non credit, neque Christianus dicitur*.

(4) Num. IV. ἰεσσαῖοι ἐκαλοῦντο πρὶν τοῦ καλεῖσθαι χριστιανοὶ οἱ εἰς χριστὸν πεπιστευκότες, ὅτι ὁ ἰεσσαὶ πατὴρ γίνεται τοῦ Δαβίδ. ἢ ἤτοι τοῦ ἰεσσαὶ, ἤτοι ἐκ τοῦ ὀνόματος τοῦ ἰησοῦ .... ἰησοῦ-

Servatore generis humani esse repetendum. Extare namque Philonis inscriptum *de Jessæis* librum, qui a Christianis minime discreparent. Video autem esse e novis Scriptoribus aliquos (1), qui Epiphanio aut assentiantur omnino, aut non repugnent. Sed vereor ne labantur. Etsi enim non is sim, qui censeam, quod scribit de Philonis libro Epiphanius, confictum ab illo esse; tamen aut ullos usquam fuisse Christianos, qui *Jessæi* nominarentur, aut fuisse aliquem a Philone de *Jessæis* inscriptum librum, id vero est, quod concedere nullo modo possum. Atque ut priore loco de libri inscriptione dicam; non nego, incidisse Epiphanium in exemplar aliquod libri *de vita contemplativa*, in quo liber idem inscriptus de Jessæis esset. At factum id a Philone non fuit, sed a librariis, qui cum initio operis (2) Essæos memorari animadvertissent, neque qui tandem illi essent Essæi cognossent, existimarunt *de Jessæis* idem opus esse inscribendum, quod scirent a Jesu esse institutos Christianos, nominarique ab eo Jessæos potuisse arbitrarentur. Nam quod aliqui ajunt, esse id Epiphaniarum commentum, nescio an dici sine contumelia possit. Quemadmodum enim Epiphanius extare de *Jessæis* opus dixisset, cum nullum esset, sine impudenti mendacio? Mendacii vero arguere hominem gravissimum, summa injuria est. Quamobrem in eam facile inducor sententiam, ut in aliquot exemplaribus librum *de Vita contemplativa* (3) illam Epigraphen prætulisse putem, stupore, imperitiaque librariorum.

Jam vero ab *Jesse* consequi Christiani nequiverunt nomen *Jessæorum*. Nulla namque indicari caussa tam longe petitæ appellationis potest. Scilicet ne in cogitationem quidem cadit, a Christianis ex eo homine fuisse derivatum nomen *Jessæorum*, qui & adeo antiquus, & minore, quam ejus filius David, in celebritate fuisset. Vidit hac fortasse Epiphanius; quare verisimile esse judicavit ab Jesu, quem sequerentur, *Jessæos* dici consuevisse. At si ita sese res habuisset non eos *Jessæos*, sed *Jesæos* veteres appellassent. Nec ferent, opinor, eruditi

..... ἐπεκλήθησαν ἰεσσαῖοι. *Jessæi vocabantur priusquam Christianorum nomen essent adepti, qui in Christum crediderunt, quia Jesse Pater erat Davidis. Aut ergo a Jesse, aut e nomine Jesu Christi vocati Jessæi fuerunt.*

(1) Binghamus *in originibus Ecclesiasticis* l. 1. c. 1. §. 1. Petavius *in not. ad Hæres. xxix.* se agit de Jessæis, ut Epiphanio non resistat.

(2) Sic enim librum orditur Philo: ἐσσαίων πέρι διαλεχθεὶς &c. *Postea quam de Essæis disserui. pag. 688. Edit. an. 1613.*

(3) Nam ita inscriptus a Philone fuit περὶ τοῦ βίου θεωρητικοῦ: *De Vita Contemplativa.* Eam vero inscriptionem commemorat diligens auctor Eusebius lib. 11. *H. E. c. xvii. pag. 66. Edit. Cantabrig.* ἐν ᾧ, ἐπέγραψε λόγῳ περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν. *De vita contemplativa*, vel *de supplicibus*. Consule, quæ de eo libro scribit Valesius *in Euseb. ibid. not. 3.*

diti viri, quod mox Epiphanius addit *ἰησοῦν Jesum* idem apud Hebræos ac *θεραπευτὴν medicum* ſonare. Non enim id poſtulat hebraicæ vocis ſignificatio. Nam ea *ſalvatorem* ſignificat, *medicum* autem non item. Scio Dionyſium Petavium id eniti maxime, ut liberet Epiphanium ab erroris invidia. Verum ita ſe verſat, ut fateatur tandem *non ſecundum ἀκριβολογίαν*, & *κυριολεξίαν hebraicam vocem θεραπεύειν ſonare*, ſed *μεταληπτικῶς, ut & Jeſum, qui proprie Salvator eſt, medicum, & curatorem non incommode interpretari liceat* (1). Quis enim eſt, qui cum hæc legerit, non animadvertat ſatius fuiſſe fateri, lapſum quandoque Epiphanium eſſe, quæ res illi communis eſſe cum viris maximis poterat, quam eum omnia miſcendo, contorquendoque defendere? Redeo ad *Jeſſæos*. Nullus umquam vetus Auctor fuit, qui tradiderit Chriſtianos ſibi adoptaſſe *Jeſſæorum* nomen. Quamquam enim Nilus Aſceta, cujus Opuſcula edita a Suareſio ſunt, quique vixit ſeculo Eccleſiæ quinto, *Jeſſæos* nominat, perſpicue tamen Hebræos illos fuiſſe ſcribit, quæ res ſequenti ∫. demonſtrabitur. Eſt vero incredibile pati id ceteros omnes potuiſse, ut ejus vocis memoria intercideret, qui aliarum ſæpe meminiſsent. Poſtremo de Eſſæis (2), deque Therapeutis loquutum fuiſse Philonem plerumque, video; de *Jeſſæis* nunquam. Atqui eſt libri de *Jeſſæis* ab Epiphanio facta mentio. Non ergo vacat ejus errore ſententia. Miſsa facio quæ ſcribit de Therapeutis quaſi unam, eamdemque ſectam atque Eſsæi conſtituerint. Erant enim Eſsæi a Therapeutis diverſi (3).

∫. V.

(1) *In Notis ad Hæreſ.xxix. Tom.II. Opp. Epiphanii pag.53. Edit, Pariſ. an.1622.*

(2) De Therapevtis quidem *in libro de Vita contemplativa*, de Eſſæis autem *in libro, Quod liber ſit quiſquis virtuti ſtudet pag.678. ſeq. Edit. an.1613. & in Apologia*. Conſule Euſebium *lib.*VIII. *Præpar. Evangelica cap.*XI. *ſeqq. Edit. an.*1618.

(3) Adiſis Henricum Valeſium l. c. a quo non diſſentit Johannes Franciſcus Buddæus *Diſſ. De Orig. Dignit. & uſu nominis Chriſt. pag.409. Edit. an.*1715. In eadem ſententia verſatur Guillelmus Beveregius *in Cod. Canon. Vindicat. lib.*III. *cap.*V. §.II. *ſeq.* Quamquam non is ego ſum, qui vehementer repugnem ajentibus, Therapevtas genus quoddam Eſſæorum fuiſſe contemplativam, non practicam vitam colentium. Conſulendus Cellerius *Hiſt. Gener. Auctor. Sacror. pag.278. Tom.*IV.

§. V.

Fuerint ne Philonis Therapevtæ *Christiani*.

I. *Describuntur paucis, quæ Philo de* Therapevtis *disputavit*. II. *Etiamsi* Therapevtæ *fuissent Christiani, non tamen omnes Christiani fuissent* Therapevtæ *vocati*. III. *Christianis autem annumerandi non sunt*. IV. *Solvuntur argumenta eorum, qui contra senserunt*.

I. PHilo Judæus in mox nominato *de Vita contemplativa libro*, meminit sectæ quorumdam apud Judæos ascetarum, quos θεραπευτὰς, hoc est *curatores*, vel *cultores* vocat, eorumque mores, & instituta longa oratione persequitur. Atque huc quidem universa illius spectat narratio. „ eos videlicet non rogatos, sed captos amore re-
„ rum superiorum, facultates suas aut liberis, aut cognatis, aut si
„ hi desint, sociis atque amicis relinquere. Deseri ab illis fratres,
„ societates, amicitias, patriam denique, in qua nati, alti, edu-
„ catique sint; at non in aliam civitatem migrare eos; sed in hortos,
„ ac villas, quæ non longe ab Urbe distent, secedere, ibique soli-
„ tarios vitam degere beatam, atque tranquillam. Esse hoc instituti
„ genus late longeque propagatum. Coli tamen illud maxime in
„ *Nomis*, seu præfecturis Ægypti, imprimisque circum Alexan-
„ driam. Undique Therapevtas, qui majore virtute instructi sint,
„ in aptum quemdam locum, qui ad stagnum *Mariam* est situs, ab
„ sociis mitti, ut salubriore cælo fruantur. Eos in ædiculis habitare,
„ quæ neque ita propinquæ sint, ut sunt civium ædes in Urbe, neque
„ longe distent, ne infestari a latronibus possint. Eorum ædiculas ne-
„ que amplas, neque ornatas esse. Satis illis esse, si his hieme fri-
„ gus arceant, æstate nimios calores temperent. Parva sacella sin-
„ gulis Therapevtis esse, quæ *Semnea*, & *Monasteria* vocent, & in
„ quibus soli sacra mysteria contemplentur. Eo nihil importari,
„ quod ad corporis usum pertineat: non cibum, non potum, non
„ denique aliud quidpiam, nisi legem, oracula Prophetarum, hym-
„ nos, atque cetera generis ejusdem, quæ conducant ad pietatem,
„ & scientiam divinarum rerum. Precari ipsos quotidie bis consue-
„ scere, oriente sole, ut eis felix faustusque sit dies; & occidente,
„ ut mens vanis imaginibus soluta, veritatem investiget, atque in-
„ veniat.

„ veniat. Medio intervallo temporis dedere illos ſeſe contemplatio-
„ ni cæleſtium rerum, lectioni ſacrorum voluminum, eique colen-
„ dæ Philoſophiæ, quam a majoribus acceperunt. Delectari præte-
„ rea illos ſtudio allegoriarum. Habere quoque priſcorum ſuæ ſectæ
„ hominum commentarios, quibus multa de allegoriis contineantur.
„ tur. Componi ab iis hymnos vario metrorum genere. Sex diebus
„ quemque in ſua ædicula cluſum verſari. Septimo, hoc eſt Sabba-
„ to, convenire omnes in unum locum, decentique habitu conſiſte-
„ re. Nam tenere eos ſub pallio manus, dexteram quidem inter pe-
„ ctus, & barbam, ſinixtram autem applicatam lateri, eoque ordi-
„ ne conſidere, quem ætas cujuſque poſtulat. Poſt Therapevtam &
„ ſenem, & dogmatum ſectæ peritum prodire in medium, deque di-
„ vinis rebus prudenter, graviterque diſſerere. Reliquos ſummo ſi-
„ lentio audire. Eſſe hunc locum commune ſemneum Therapevta-
„ rum. Claudi ipſum ſepto duplici, ut ſint a viris diviſæ mulieres.
„ Accedere namque mulieres Therapevtridas, ut auſcultent. Me-
„ dium parietem e ſolo exſurgere tribus, quatuorve cubitis. Supe-
„ riora ad tectum uſque patere. Eſſe item Therapevtas maxime tem-
„ perantes. Nullum enim eorum ante ſolis occaſum cibum, aut po-
„ tum ſumere. Nonnullos vix tertio quoque die famem ſentire.
„ Quinetiam non deeſſe aliquos, qui vix ſexto die cibo neceſſario
„ veſcantur. Septimum illis ſanctum, feſtumque eſſe. Ergo Sabba-
„ to ab omnibus, poſt animi curam, refici corpus ſolere. Uti eos
„ ſimplici pane. Salem ipſis loco obſonii eſſe. Nonnullos hyſſopum
„ adjicere pro condimento, ut qui delicatiores ſint. Omnes aqua ſi-
„ tim extinguere. Magnam deinde eſſe illorum in veſtitu modeſtiam.
„ Hos *Moſis diſcipulos* habere interdum convivia. Obſervari autem ab
„ his numeros, poſtque ſpatium ſeptem hebdomadarum, celebrari
„ conventus, propterea quod non numerum ſeptenarium modò,
„ ſed vim etiam ejus multiplicem venerentur. Eſſe namque illis ex-
„ ploratum caſtum eſſe ſeptenarium, ſemperque virginem. Diem
„ illum, qui extremus eſt ſepties ſeptenarii, profeſtum eſſe maximi
„ diei feſti incidentis in quinquagenarium numerum, gratum natu-
„ ræ, & ex vi trianguli rectanguli, quod eſt generationis omnium
„ rerum initium, conſtantem. Ubi convenere, dari ab aliquo *Ephe-
„ merevtarum* ſignum. Vocari autem eos miniſtros *Ephemerevtas*,
„ qui menſis adſtant. Stare omnes, antequam diſcumbant, ſublatiſ-
„ que in cælum manibus, atque oculis, orare, ut id Deo convi-
„ vium placeat. Abſolutis precibus, ſeniores primum diſcumbere,

„ tum

„ tum ceteros, ut cujusque dignitas poscit. Ac in seniorum quidem
„ numerum haberi eos, qui primum illud institutum amplexi fue-
„ rint. Nam senes, qui sero ad eam disciplinam accesserint, a The-
„ rapevtis haberi in numero puerorum. Fæminas item venire ad con-
„ vivium, easque anus, sed virgines, quæ sponte castitatem ser-
„ vent. Discubitus ita distribui. Seorsim viros latus dexterum, fæ-
„ minasque sinixtrum tenere. Non adhiberi ab his mancipiorum
„ operam in ministerio, quod censeant cum natura pugnare servitu-
„ tem. Expleri id quidem munus a pueris, qui se addixerint ei di-
„ sciplinæ. Hos ceu, germanos filios, senibus tamquam parentibus
„ ministrare. Duci ab illis hoc genus conjunctionis arctius, quam
„ sit sanguinis, affinitatisque conjunctio. Ergo discinctis, & pro-
„ missis tunicis accedere eos ad ministrandum. Vinum his diebus
„ præberi nemini, sed aquam limpidam, frigidam quidem ceteris,
„ calidam vero senibus. Mensam a cruentis dapibus puram esse.
„ Panem pro cibo apponi, pro obsonio salem, hyssopum in delica-
„ tiorum gratiam, pro condimento. Esse illis vinum pro veneno,
„ quasi sit dementiæ caussa. Hæc initia convivii esse. Fieri post si-
„ lentium. Proponi deinde quampiam ab aliquo e sacris litteris,
„ aut solvi ab alio propositam quæstionem. Enarrationes sacrarum
„ Scripturarum, quas habent, ex allegoriis constare. Præsidem,
„ dum visus sibi est satisfecisse desiderio auditorum, assurgere, pri-
„ mumque hymnum Deo canere, qui aut recens compositus ab ipso
„ sit, aut scriptus ab aliquo veterum poetarum. Extare namque
„ hujus generis carmina. Ceteros mox imitari Præsulem, sic tamen,
„ ut cum omnia audiant, tum in extrema clausula vocem attollant.
„ Absolutis hymnis, afferri mensam, cujus est paullo ante facta
„ mentio, ab junioribus, in qua mensa panis fermentatus cum hys-
„ sopo, & sale appositus sit, ob venerationem mensæ illius, quæ est
„ in Templi vestibulo. Post cœnam sacrum pervigilium sequi. Sur-
„ gere namque omnes, fierique in medio cœnaculo choros duos,
„ virorum unum, mulierum autem alterum. Choris incentores suos
„ præfici, qui & honestate morum, & canendi peritia præstent.
„ Deinde hymnos variis metris, carminibusque compositos, modo
„ ab omnibus junctim, modo alternis vicibus cani. Gestus accen-
„ tusque pios ab utrisque fieri, nunc quidem stantibus, nunc vero
„ contra antrorsum, retrorsumve moventibus gradum. Posteaquam
„ chorus uterque sic egit, e duobus chorum unum fieri, junctisque
„ ad graves virorum acutis fæmineis vocibus, concentum inde plane
„ musi-

„ muſicum oriri. Produci autem ad mane uſque commeſſationem, „ omneſque verſos ad orientem ſolem, comprecari ſibi felicem diem. „ Itaque abſolutis precationibus, ad ſuum quemque ſemneum ſece- „ dere. Hæc ille.

II. Ex quibus ſane verbis fuerunt, qui colligi poſſe ſuſpicarentur (1), hos quorum uſus, & inſtituta Philo recenſet, ita fuiſſe Chriſtianos, ut ab eis Chriſtiani omnes *Therapeutæ* fuerint appellati. Sed ſunt certe nonnulla, quæ impediant, ne eis, etſi nolim, tamen aſſentiri poſſim. Nam ſi Therapeutæ Chriſtianam religionem profeſſi ſunt, fuiſſent profecto inter Chriſtianos ita, ut hoc tempore ſunt ii, qui monaſticum aliquod inſtitutum ſequuntur. Quæ res paullo poſt conſtabit. Jamvero nemo eſt, qui *Chriſtianos* omnes putet *Monachos* dici oportere, propterea quod ſint Monachi in Eccleſia.

III. Sed eſt magna virorum eruditorum de *Therapeutis* diſſenſio. Nam pleroſque eſſe intelligo, qui *Chriſtianos* fuiſſe putent, a quibus tamen alii magno numero Scriptores diſſentiunt. Neque vero recens hæc controverſia eſt (2). Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus Philonem de Chriſtianis, qui in Ægypto verſarentur, loquutum eſſe exiſtimavit in altero Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro (3). Atque ejus deinceps Hieronymus (4), aliique multi veterum ſequuti ſententiam ſunt. Contra Nilus Johannis Chryſoſtomi auditor Tractatu *De Monaſtica Exercitatione cap.* III. *pag.* 2. *ſeqq. Editionis Romanæ Suareſii an.* 1673., & Photius *Therapeutas* Judæos fuiſſe omnino judicarunt, Chriſtianos autem nullo modo (5). Sunt vero antiquorum exemplum imitati novi. Etenim hos etiam video magna de hoc quæſtionis genere contentione certare. Ergo Therapeutas in numerum Chriſtianorum referunt Cæſar

(1) Binghamus *Orig. Eccl. l.* 1. *cap.* 1. *§.* 1.

(2) Titulus Mſ. præfixus libro Philonis apud Lambecium *Tom.* III. *Bibliothecæ Vindobonenſis pag.* 69. ſatis indicat, eum qui ſic ſcripſerit, cenſuiſſe Therapeutas Chriſtianos fuiſſe, ſed Monachos. Φίλωνος περὶ τῶν ἐκ περιτομῆς πιστευσάντων ἐν Αἰγύπτῳ χριστιανῶν, ἅμα καὶ μοναχῶν. *Philonis de Chriſtianis ex circumciſione credentibus, ſimul & Monachis, qui in Ægypto erant*. At Scholion Mſ. apud eumdem Lambecium *pag.* 71. *T.* III. & apud Montfauconum *Bibliotheca Coiſliniana pag.* 140. demonſtrat quæ eſſent olim, quamque variæ de Therapeutis opiniones. Nam habet hoc modo: τινὲς δέ φασι ταῦτα τὸν φίλωνα περὶ τῶν κοινῶν ἰουδαίων εἰπεῖν. ἄλλοι περὶ ναζαραίων ἰουδαίων, ἄλλοι περὶ τῶν ἐκ περιτομῆς πιστῶν, καὶ πεπιστευκότων εἰς χριστὸν, καὶ φυλαττόντων τὸν νόμον μωϋσέως ἄλλοι περὶ τελείων χριστιανῶν. *Quidam ajunt dicere hæc Philonem de communibus Judæis; alii de Nazaræis Judæis; alii de converſis e circumciſione in Chriſtum credentibus, obſervantibuſque legem Moyſis; alii de perfectis Chriſtianis*.

(3) *Lib.* II. *cap.* XVII. *pag.* 65. *ſeqq. Edit. Cantabrigienſis*.

(4) *In Catalogo Viror. illuſtrium c.* XI. *Tom.* IV. *Opp. Edit. Pariſ. Martianæi pag.* 106. Auctor Operum, *quæ S. Dionyſio Areopagitæ adſcribi ſolent Hierarch. Eccl. cap.* VI. S. Epiphanius *Hæreſ.* XXIX. *n.* 5. Sozomenus *lib.* I. *Hiſt. Eccl. cap.* XII. Caſſianus *lib.* II. *Inſtit. Monaſt. c.* V. Nicephorus *lib.* II. *H. E. c.* XVI.

(5) Photius *Cod.* CIV. *Biblioth. pag.* 275. *Edit. an.* 1612.

Cæsar Cardinalis Baronius (1), Robertus Bellarminus (2) item S.R.E. Cardinalis eruditissimus, Benedictus Bacchinius (3), Dionysius Petavius (4), Nicolaus Serarius (5), Tillemontius (6), Montfauconus (7), Michael Lequienus (8), Heliotus (9): & e Protestantibus Guillelmus Beveregius (10), Thomas Bruno (11), Isaacus Vossius, aliique multi (12), quos ne sim longus prætereo. Obsistunt his vero e nostris Johannes Baptista Cotelerius (13), Antonius Pagius (14), Ludovicus Elias Dupinius (15), Johannes Bouyerus Senatus Divionensis Præses vir incredibili eruditione (16), Henricus Valesius (17), P. Cellerius (18), & Josephus Augustinus Orsius vir summa rerum Ecclesiasticarum peritia, deque me optime meritus (19). E Protestantibus vero Jacobus (20), & Samuel (21) Basnagii, David Blondellus (22), Guillelmus Caveus (23), Johannes Clericus (24), Martinus Hanckius (25), Franciscus Junius (26), Henricus Kippingius (27), Stephanus Moyneus (28), Johannes Placetteus (29), Humfredus Pri-

(1) *Ad an.64. n.5. seqq.*
(2) *Lib.II. De Monachis cap.v.*
(3) *De Hierarch. Ecclesiastica cap.III. n.xv. pag.240.*
(4) *In notis ad Epiph. T.II. pag.54. Edit. Paris. an.1622.*
(5) *Lib.III. Trihæresii cap.xvii. Tom.1. Opusculor. pag.96. seqq.*
(6) *Tom.II. Memor. Hist. Eccl. pag.96. Edit. Paris. & pag.508. seqq.*
(7) In *not. ad librum Philonis ab se in gallicum sermonem translatum, editumque Parisiis an.1709.* & in *Epistola ad Johannem Bouyerum, quæ extat pag.122. seqq.* libri inscripti: *Lettres pour, & contre sur la fameuse question, si les Therapeutes étoient Chrétiens. Paris 1712.*
(8) *Tom.II. Orientis Christiani pag.332.*
(9) *Differtat. sur l'Origin. & sur l'antiquit. de la Vie Monast. Tom.1. Hist. des Ordr. Relig. cap.1. & II. a pag.4. ad 22. Edit. 1714.*
(10) *Cod. Canon. Vindic. l.III. cap.v. §.II. seqq.*
(11) Diatrib. de Therapevtis, quam Paulus Colomesius *in Extremo Vol. Epist. Clem. Romani edidit Londini an.1687.*
(12) Voss. *variar. obser. pag.46. seqq.* Samuel Parkerus *in Hist. Eusebii Anglice edit.* Guillelmus Wiston. *in Apost. Const. pag.73. seqq. & 248. seqq.*
(13) *T.1. Monum. Ecclesiæ Græca pag.789.*
(14) *Ad an.62. n.3.*
(15) *T.VII. Hist. Jud. Basnagii Gallice Paris. edit.*
(16) In duabus Epistolis *ad Montfauconum pag.1. seqq. & pag.137. seqq.* gallice vulgatis *Paris. an.1712.*
(17) Ad *Hist.* Ecclesiasticam Eusebii *lib.II. c.XVII.*
(18) *Hist. Gener. des Auteurs Sacr. & Eccles. Tom.IV. pag.269. Edit. Paris.1733.*
(19) *Nella Istor. Ecclesiastica Tom.1. pag.69. seg. Edit. Rom. an.1747.*
(20) *Lib.II. Hist. Jud. c.XXI. seq. pag.561. seq. Edit. an.1716.*
(21) *Ad an.2. ante Dom. n.18.*
(22) *Lib.1. de Sibillis c.VII.*
(23) *In vita Marci Evang.*
(24) *Proleg. in Hist. Eccl. sec.1. & II.*
(25) *Lib.II. De rer. Rom. Script. pag.86. seq.*
(26) *Lib.II. de Monachis c.v.*
(27) *In Addit. ad Jo. Pappi Hist. Eccl. pag.46.*
(28) *In not. ad Var. sacra pag.1097.*
(29) *Differt. subjecta lib. de Eleemos.*

dæus (1), Johannes Richardſonus (2), Guillelmus Saldenus (3), Claudius Salmaſius (4), Joſephus Scaliger (5), Robertus Turnerus (6), utque ceteros prætermittam (7), Johannes Albertus Fabricius in eo, qui de *Salutari Evangelii luce* inſcribitur, libro.

Si quis autem ex me quærat, quæ mihi opinio videatur eſſe ad veritatem propenſior, is ſic habeat: inducere animum non poſſe me, ut eam veriſimiliorem eſſe putem, quæ Chriſtianos ſtatuit celebratos tot laudibus a Philone fuiſſe. Nam Joachimum Langium (8) & Nicolaum Nonnenum (9), qui Therapevtas Ethnicos *Judaizantes* fuiſſe exiſtimant, nihil moror. Eſt enim horum, ut in extremo hoc paragrapho plane liquebit, magno in errore ſententia. Nunc quod de Therapevtis dixi argumentorum præſidio confirmandum eſt. Ego igitur, Philonem, qui Hebræus eſſet, quique magnam fuiſſet apud ſuos exiſtimationem doctrinæ, & religionis conſequutus, numquam credam potuiſſe ita laudare Chriſtianos, ut eos non Ethnicis modo, ſed ceteris etiam ſectis Judæorum præferret (10). Jam vero ſi erant Therapevtæ Chriſtiani, tam eos aperte indicaſſet Philo, ut qui eſſent, latere Judæos minime potuiſſet. Etenim & ritus eorum, & vitam, & quod caput eſt, loca in quibus degebant (11) ſumma diligentia perſequutus eſt. Neminem vero fugit, quam & fuerint, & ſint hoc etiam tempore Judæi infeſti noſtris. Itaque moleſte tuliſſent tribui plurimum a Scriptore Hebræo Chriſtianis, quorum illi ſectam funditus tollere conſtituerant. Quamobrem ſin minus pœnas dediſſet, incurriſſet ſaltem in eorum offenſionem. Sed fuit ille ſemper ita in Synagoga verſatus, ut numquam vocatus fuerit in ſuſpicionem contemptæ Legis. Qua exiſtimatione qui tandem, celebratis Chriſtianis, gaudere

(1) *In Hiſt. Vet. Teſt. lib.xiii. pag.115. Edit. an.1728.*
(2) *Prælect. v. Eccleſiaſtica Parkero oppoſita.*
(3) *In otiis divinis pag.300.*
(4) *De Coma pag.481.*
(5) *In Trihæreſ. cap.xxix. & in Proleg. de Emend. Temp.*
(6) *Libro Anglice ſcripto de Conſt. Apoſt. Auctor. Wiſtonum pag.4. ſeqq.*
(7) *Cap.iii. pag.52. ſeqq. & Tom.iii. Bibl. Græcæ lib.iv. c.iv. pag.113.* Jo. Raynaldus in Colloquio cum Haidto *pag.781. ſeq.* Cornelius Adamius *Exerc. Exeg. pag.248.* Jacobus Schudt. *Diſſert. de Eſſenis*, Joh. Laurentius Moshem. *Inſtit. Hiſt. E. ſæc.1. Par.1. c.II. §.xiii.* Jo. Franc. Buddeus *l. c. §.xv.*
(8) *In duabus Diſſertationibus quas de hoc argumento edidit Halæ Saxonum.*
(9) *In Diſſert. de Canonica Cant. Cant. Auctorit.*
(10) Nullos enim eſſe ait Philo, qui cum iis comparari poſſint. *Nam pag.890. Edit. 1691.* οἷς τίνας, inquit, συγκρίνωμεν ἀξίως τῶν ἐπαγγελομένων εὐσέβειαν; *quorum pietati quos tandem merito comparabimus?*
(11) Eſſe enim eos ait: ἐν Αἰγύπτῳ καθ' ἕκαστον τῶν ἐπικαλουμένων νομῶν, καὶ μάλιστα περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν. *pag.892. Edit. an.1691. In Ægypto per præfecturas ſingulas, & maxime circum Alexandriam.* Mitti vero perfectiores in locum ſitum ὑπὲρ λίμνης Μαρίας. *Ad Stagnum Mariam. Ibid. pag.892.*

dere potuiſſet? Quocirca cenſendum eſt, quos laudavit Therapevtas Philo, non eſſe habendos in numero Chriſtianorum.

Ac ſi ii quidem Chriſtianam religionem coluiſſent, Monachi ſcilicet ea ætate in Ægypto fuiſſent. Nihil enim plus requirebatur ad Monachos conſtituendos. Sed ante quartum ſeculum nulli umquam Monachi Cœnobitæ fuerunt (1).

Fac autem verum ſit, quod Montfauconus exiſtimat (2), ſcriptum a Philone anno 68 æræ vulgaris fuiſſe *de vita contemplativa* librum. Eſt enim hoc omnino incertum (3); ſed detur tamen, ut ajebam, Montfaucono. Illud notum eſt, ante Marci Evangeliſtæ in Ægyptum adventum, qui Ægyptiis Evangelium prædicarit, inveniri poſſe neminem (4). Atqui ante annum 46, vel 49 Marcum in Ægyptum non veniſſe, probabilis eſt virorum eruditorum ſententia (5). Quamobrem viceſimo ſummum ac ſecundo ab adventu Marci in Ægyptum anno ſcriptus is liber a Philone fuit. Quemadmodum ergo tam brevi tempore tot eſſe in Ægypto Chriſtiani poterant, ut non Alexandriæ modo, verum etiam in omnibus Ægypti Præfecturis eorum tanta vis eſſet, quanta ſuppeditare Monaſteriis poſſet incredibilem numerum Therapevtarum?

Deinde traditum a Philone eſt in Conventibus primas ſedes eos Therapevtas occupaſſe, qui illud vitæ genus jam uſque a *prima ſua ætate* ἐκ πρώτης ἡλικίας amplexi eſſent (6). Ac fuerunt plerique Therapevtarum ſenes, mulieresque ὧν πλεῖσται γηραιαί, *quarum plurimæ anus* erant (7). Eſt ne vero credibile hac ratione dicendi uti voluiſſe Philonem, ſi eſſet de iis loquutus, qui ante annos paucos inſtituti fuiſſent?

Præterea ne in cogitationem quidem cadit de novis hominibus intelligi oportere, quæ Scriptor idem adjungit: Solitos fuiſſe Therapevtas exercere ſe in ea parte Philoſophiæ, quam a *Patribus acceپiſſent*: φιλοσοφοῦσι τὴν πάτριον φιλοσοφίαν (8).

Age vero ſi de Chriſtianis fuiſſet a Philone inſtitutus ſermo, qui

 tandem

(1) De hac re diſſeram, ubi agam *de Orig. Monachor.*

(2) *In notis ad librum Philonis de Vita contemplat. quem gallice Pariſiis edidit. pag.* 221.

(3) Adeundi Bouyerus *l. c. pag.* 10. *ſeq.* & Valeſius *in lib.* 1I. *cap.* 17. *Hiſt. Eccl. Euſeb.*

(4) Negat id Lequienus *T.* 1I. *Orient. Chriſt. pag.* 332. Sed nihil affert, quo communem poſſit labefactare ſententiam.

(5) Vide Bouyerum *ibid. pag.* 15. & Valeſium *in lib.* 1I. *H. E. Euſeb. cap.* XVI.

(6) *Pag.* 695. *Edit. an.* 1613.

(7) *Ibid.*

(8) *Ibid. pag.* 691.

tandem fuissent ii *veteres viri* (1), qui sectam constituissent, quique libros scripsissent, in quibus versandis Therapevtæ solerent operam collocare? Apostoli ne? At non est verisimile appellatos eos a Philone fuisse παλαιοὺς ἄνδρας *antiquos viros*, qui aut vivebant, dum ille scriberet, aut ante duos, tresve annos decesserant.

Non me latet esse aliquos, qui respondeant (2) vocibus τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν *veterum virorum* non homines modo, qui diu ante decessissent, sed eos etiam indicari aliquando posse, qui etsi recens obierant, satis tamen provecti ætate fuissent. Quibus etsi non repugnem, si de *vita*, *seu ætate* provecta alicujus viri Scriptor loquatur; non assentior tamen si ille de *veterum operibus obiter agat*. Nulla enim ratio est, quæ nos moveat, ut si *Commentarios antiquorum virorum* τὰ συγγράμματα τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν nominari audiamus, ea significari putemus, quæ ante annos, exempli gratia, decem perscripta fuerint.

Illud quoque accedit commodum, quod auctor Philo sit, cani in Conventu a Præside carmina consuesse, aut nova, quæ ipse composuisset, aut *prisca* relicta ab iis, qui *olim poeseos facultate excelluissent*. ὕμνον ..... ἀρχαῖον τῶν πάλαι ποιητῶν, *Hymnum antiquum veterum Poetarum* (3). Nemo est autem, opinor, qui cum hæc diligenter considerarit, tum ea ætate, qua Philo scribebat, Apostolorum, aut aliorum Christianorum, si qua erant, carmina ἀρχαῖα τῶν πάλαι ποιητῶν appellari potuisse existimet. Etenim neque *prisca* dicuntur, quæ ante annos, exempli gratia, decem perscripta sunt, neque *antiqui* vocari hi possunt, qui aut vivunt, aut triennio fere ante vivebant.

Quod si quisquam responderit, non Apostolorum carmina, neque alius cujuspiam, qui Christianam religionem coluisset, sed vel Davidis Psalmos fuisse, vel aliorum Prophetarum *cantica*, quæ ut nunc, ita eo tempore in Ecclesia canerentur; næ is vehementer erraverit. Nam Judæi Hellenistæ, & qui in Ægypto erant Christiani, non hebraica in divinis officiis Sacrorum Bibliorum editione, in qua *psalmos*, & *cantica* speciem aliquam metri, & carminis præseferre constat; sed *versione septuaginta Interpretum* utebantur, quæ ne umbram

(1) Philo *pag.* 691. ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἳ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι, πολλὰ μνημεῖα ἀπέλιπον. *sunt autem ipsis commentarii veterum virorum, qui cum sectæ auctores fuissent, tum multa eis monumenta reliquerunt*.

(2) Montfauconus *l. c.*

(3) *Pag.* 901. *Edit. an.* 1691.

bram quidem carminis in *Psalmis*, & *canticis* servaret. At carmina, quæ Præses Therapevtarum canebat, *versu trimetro*, expressa fuisse traditum a Philone est. Μέτρα γὰρ, καὶ μέλη καταλελοίπασι ποιηταὶ ἐπῶν τριμέτρων, προσοδίων, ὕμνων, παρασπονδείων, στασίμων, χορικῶν, στροφαῖς πολυστρόφοις εὖ διαμεμετρημένων (1). *Metra enim & carmina reliquerunt poetæ versuum trimetrorum, & ad altaria, seu inter sacra canendarum supplicationum, hymnorum vel a stantibus, vel a choreas ducentibus moderatas variis flexibus, atque reflexibus cantandorum.* Psalmi igitur, & cantica esse *carmina* illa, quæ adhibebant in conventibus Therapevtæ non poterant. Erant ergo a veteribus, qui antiquitus poeseos laude inclaruissent, Therapevtis conscripta. Quæ sane res neque in Apostolos, neque in alium quempiam Christianorum cadit, qui vel adhuc in vivis erant, vel non ita pridem decesserant.

At enim si Christiani Therapevtæ fuissent, quemadmodum misso *dominico* die, solum Sabbatum constituissent apud suos esse solemnem? Nam ἑβδόμαι, quarum Philo meminit, sabbata sunt, quod & per se manifestum est, & adversarii nostri non negant. Ego autem etsi patiar a plerisque Christianis initio fuisse τὴν ἑβδόμην *septimam* diem observatam, sum tamen ita comparatus, ut eam neque solam in festis, neque *Dominica* sanctiorem, solemnioremque fuisse habitam putem. Quæ res ne a (2) Montfaucono quidem, cujus est a nostra longe distans opinio, in controversiam revocatur. Atqui Therapevtæ sex diebus hebdomadæ in suis privatis cellis, quin umquam in unum locum convenirent, manebant; septimo autem, quem *sanctissimum*, & *maxime solemnem* rebantur esse, in communi semneo congregabantur, ut summo rerum omnium conditori, ac parenti Deo cultum, honorem, precesque adhiberent. τὰς μὲν οὖν ἓξ ἡμέρας χωρὶς ἕκαστοι μονούμενοι παρ' ἑαυτοῖς ἐν τοῖς λεχθεῖσι μοναστηρίοις φιλοσοφοῦσι, ταῖς δὲ ἑβδόμαις συνέρχονται καθάπερ εἰς κοινὸν σύλλογον. *Per sex dies seorsum quique in suis mox nominatis semneis philosophantur, non progredientes foras, immo ne prospicientes quidem; septima vero conveniunt in cœtum communem* (3). τὴν δὲ ἑβδόμην πανίερον, καὶ πανέορτον νομίζοντες εἶναι ἐξαιρέτου γέρως ἠξιώκασιν: *septimum, ut Sacratissimum, maximeque festum existimantes esse, honore dignantur eximio* (4).

Atque haud scio componi ne cum veteris Ecclesiæ, cumque Apostolicorum Patrum disciplina possit mos Therapevtarum, qui sex diebus

(1) *Ibid.*
(2) *In not. ad lib. Philonis de Vita contemplat. ab se in Gallic. serm. versum pag.* 238.
(3) Philo *lib. indicato pag.* 893.
(4) *Ibid. pag.* 894.

bus hebdomados jejunabant, ſeptimo vero guſtabant cibum, ut abſtinentia ceteris viderentur eſſe perfectiores (1). Nullos enim umquam fuiſſe Chriſtianos, ea præſertim ætate, cenſeo, qui die dominico ſibi eſſe jejunandum arbitrarentur. Sed de hoc alias.

Neque vero probare poſſum, quod eſt ab adverſæ ſententiæ patronis, ut ſe tuerentur, animadverſum (2), congregari Therapevtas nonniſi in veſperis diei ſeptimæ fuiſſe ſolitos, ut *Dominicum* potius, quam ut diem *Sabbatum* celebrarent, qui mos fuerit proprius, Auctore Sozomeno, Ægyptiacarum Eccleſiarum. Narrari namque a Philone, Therapevtas, abſoluto convivio, preces, ſupplicationeſque ad mane uſque diei Dominicæ producere conſueſſe.

Non enim vident, ſin minus Sozomenum, Philonem ſaltem eſſe illis in hoc genere maxime repugnantem. Sed ut priore loco de Sozomeno, quod ſentio, dicam, nego tributam ab eo illam omnibus Ægypti Eccleſiis conſuetudinem uſquam fuiſſe (3). Nihil enim ſimile in Principe Ægypti Urbe Alexandria obtinuiſſe teſtatur. Quodſi in aliquot ejus regionis locis uſum ejuſmodi invaluiſſe dixit, eo fortaſſe dixit, quo Therapevtas, qui ſic agerent, Chriſtianos fuiſſe arbitraretur.

De Philone nullum dubium eſt, quin Sabbatum, non Dominicum diem, & ſacratiſſimum, & maxime feſtum Therapevtis fuiſſe ſcripſerit. Cujus quidem præclarum de hac re teſtimonium, quoniam prolatum paullo ante eſt, nunc omittatur. Eſt autem παράδοξον, ut Philo voluerit congregatos eos fuiſſe, quo *dominicum* potius, quam ſabbatum diem celebrarent, qui *ſabbatum maxime feſtum* & *ſacratiſſimum* eſse cenſerent, nulla facta *diei dominicæ* mentione. Quid? ſi eo loco, in quo de conventibus *dierum ſabbatorum* Philo diſserit, nihil de ſupplicationibus habeat, quæ ad mane uſque diei ſequentis producerentur? Tota ergo illa de *vigiliis*, quas Montſauconus excogitavit, Therapevtiſque tribuit, animadverſio commenticia eſt, ejuſque nullum extat in libro Philonis veſtigium. Non me latet

(1) Μόλις δὲ δι' ἓξ ἡμερῶν ἀπογεύονταί τινες, inquit Philo *ibid. pag. 854.*, τροφῆς ἀναγκαίας *Vix ſexto die aliqui ſumunt cibum neceſſarium.*

(2) Montfauc. *in Notis ad lib. Philon. de Vita contempl. pag. 142. ſeq.*

(3) Scribit enim hoc modo *lib. VII. cap. XIX. Hiſt. Eccl. pag. 735. Edit. an. 1668.* ἀμέλει οἱ μὲν καὶ τῷ σαββάτῳ ὁμοίως τῇ μιᾷ σαββάτων ἐκκλησιάζουσιν, ὡς ἐν Κωνσταντινουπόλει καὶ σχεδὸν πανταχοῦ· ἐν Ῥώμῃ δὲ, καὶ Ἀλεξανδρείᾳ οὐκέτι. παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις ἐν πολλαῖς πόλεσι, καὶ κώμαις παρὰ τὸ κοινῇ πᾶσι νενομισμένον, πρὸς ἑσπέραν τῷ σαββάτῳ συνιόντες, ἠριστηκότες ἤδη, μυστηρίων μετέχουσι. *Alii Sabbato perinde, ac Dominica ſeu prima Sabbati conveniunt, ut Conſtantinopoli, & fere ubique. Romæ vero, & Alexandriæ non item. Apud Ægyptios vero in multis Urbibus, & vicis, contra receptam communem conſuetudinem, ad veſperam Sabbati convenientes, jam pranſi ſacra myſteria percipiunt.*

latet Judæum illum Scriptorem auctorem esse, ubi de Pentecoste (1), vel de *conventibus* celebrari solitis post *septem* hebdomadas disputat, sabbato quidem congregari Therapevtas, totamque noctem ad mane usque diei dominicæ in oratione transigere consuevisse, quod quinquagesimam sanctam esse arbitrarentur. Verum non quælibet dominica dies festa Therapevtis erat. Namque hanc unam *μεγίστην ἑορτὴν* (2) *maximam solemnitatem* a Therapevtis fuisse judicatam Philo testatur, propterea quod incideret in *quinquagesimum*, qui est *ἁγιώτατος ἀριθμῶν sanctissimus numerorum*. Quare (3) labuntur, qui de Pentecoste, seu de quinquagesima quod Judæus ille auctor scripsit, id ita amplificant, atque extendunt, quasi *diebus quibusque dominicis*, Therapevtarum opinione, competeret.

Estque illud etiam animadvertendum, non videri eos sectatores, discipulosque Christi fuisse, quorum tanta esset in considerandis numerorum fictis viribus superstitio. Quis enim sibi persuadeat venire hoc homini Christiano potuisse in mentem, propterea celebrandam pentecostem esse, quod numerus quinquagenarius vim trianguli rectanguli exprimat, quod quidem triangulum initium sit generationis rerum (4)? Sunt namque hæc digna Pythagoreorum, Rabbinorumque ingeniis, indigna autem homine Christiano, ex eorum imprimis numero, qui cum essent a Marco instituti, tum florebant singulari opinione *simplicitatis*, atque virtutis.

Nam quod Philo adjungit de *vino*, quo Therapevtæ ne in *conventu* quidem uterentur, quo tandem modo cadere in Christianos posset? „ Vinum (5), inquit, per eos dies non præbetur, sed „ aqua limpidissima... Operantur enim, ut Sacerdotes, sacris ab„ stemiis... Nam vinum habent pro veneno afferente dementiam. Est vero satis explorate omnibus cognitum, atque perspectum Christianos

(1) Josephus Scaliger *in Elench. Trihæresii Nicolai Serar. cap.* XXIX. Septimo quoque Sabbato hoc genus convivii celebratum a Therapevtis fuisse putavit. Sed lapsus est. Nam Philo, ut exemplum aliquod afferret, ea narravit, quæ fieri Pentecostes die a Therapevtis solebant. Adeundus Bouyetus *loco indic. pag.* 41.

(2) *Pag.* 695. *Edit. an.* 1613.

(3) Eo autem magis labuntur, quo non animadvertant, quod cum de eo convivio loqui se velle dicat Philo, tum hæc adhibeat verba, *οὗτοι τὸ μὲν πρῶτον. hi quidem primum &c.* Nam τὸ πρῶτον omissum ab interprete est, quod tamen notandum erat, ut quod significet, tunc *primum* hoc tam magnum convivium celebrari consuesse, cum Pentecostes pervigilium esset.

(4) Ἁγιώτατος, καὶ φυσικώτατος ἀριθμῶν, ἐκ τῆς τοῦ ὀρθογωνίου τριγώνου δυνάμεως, ὅπερ ἐστὶν ἀρχὴ τῆς τῶν ὅλων γενέσεως. *Sanctissimus, & natura gratissimus* constans ex *vi trianguli* rectanguli, quod est initium generationis omnium. Philo *pag.* 695. *Edit. an.* 1613.

(5) *Ibid. pag.* 696. Οἶνος ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐκ εἰσκομίζεται, ἀλλὰ διαυγέστατον ὕδωρ ψυχρὸν μὲν τοῖς πολλοῖς, θερμὸν δὲ τῶν πρεσβυτάτων τοῖς ἁβροδιαίτοις .... νηφάλια γὰρ ὡς τοῖς ἱερεῦσι θύειν .... Οἶνος γὰρ ἀφροσύνης φάρμακον. &c.

ſtianos in ſuis cœtibus non ſolum non fuiſſe alienos ab adhibendo (1) vino; ſed etiam illo uſos fuiſſe in re divina facienda, quod ita Chriſti Servatoris præceptum flagitaret. Adeo illi longe ab eo errore aberrant, qui ferret aut pro veneno vinum haberi, aut Sacerdotes ſuos operari ſacris abſtemiis oportere.

Sed dicet quiſpiam, (2) Philonem, qui Judæus fuit, non habuiſſe explorata omnia, quæ a noſtris in myſteriis agebantur. Erant enim cauti Chriſtiani, ne quis aut Ethnicus, aut Hebræus ceremonias, & quæ in noſtris ſacris fiebant, pernoſceret. Ac nota ſunt, quæ viri doctiſſimi de (3) *arcani diſciplina* ſcripſerunt.

Verum qui ſic opponunt, ſatis oſtendunt non intellexiſſe ſe, quæ inde incommoda ſequantur. Ecquid namque præſidii in Philone, qui res Chriſtianorum ignoraret, collocatum eſſe exiſtimabunt, ut Therapevtas, quorum ille mores, & inſtituta deſcribit, efficiant addictos fuiſſe Chriſtianæ religioni? Deinde eum, qui in conviviis quid ageretur, qui vigilias, qui hymnos, qui choreas, qui panem, qui ſalem, qui hyſſopum adhiberi in miniſterio, qui minuta alia Therapevtarum, ut vidimus, noſceret; neſciſſe quod pertinet ad *vinum*, quis credat? Sunt nempe hæc eorum effugia, qui cum aliquam animo conceperint opinionem, quidvis malunt concedere, quam eam abjicere patiantur.

At quod attinet ad ſacra Myſteria, inquit Montfauconus (4), Philo nuſquam explicavit quemadmodum adminiſtrarentur a Therapevtis. Neque vero ſcripſit abhorruiſſe eos (5) a *vino*, ſed uti eos hoc liquoris genere noluiſſe, quæ res apud Ægypti Monachos in uſu fuit.

Ego vero quid ſibi Montfauconus voluerit, neſcio. Nam ſi panis ille, cujus fit a Philone mentio, Euchariſtia fuit, (fuiſſe autem Euchariſtiam adverſarius ille putat), qui tandem eſt a Philone prætermiſsa

(1) De hac re copioſe infra agam, quo loco de ratione celebrandæ apud Chriſtianos Euchariſtiæ diſſeram.

(2) Montfaucon. §.xi. ſuæ Epiſtolæ ad Johannem Bouyerum *pag.* 225. *ſeqq.* Voluminis inſcripti: *Lettres pour, & contre ſur la fameuſe queſtion ſi les Solitaires, appellez Therapeutes étoient Chrétiens. Paris* 1712.

(3) Confer Emanuelis Schelestratii de eo *argumento librum*. Neque vero id negat, quod ad Sacramentorum adminiſtrationem attinet, is qui Schelestratium impugnavit, *Willelmus Erneſtus Tenzelius Parte* II. *Diſſert. Selectar.*

(4) Montfauc. *ibid.*

(5) At ſi a vino non abhorrebant Therapevtæ ita, ut illud ſibi nonnunquam eſſe adhibendum putarent, cur de illorum Cœna differens dixiſſet: Οἶνος μὲν τῆς ἀφροσύνης φάρμακον *vinum venenum dementiam afferens*. Scilicet ſi Therapevtæ in hoc cœnæ genere, in qua, auctore Montfaucono Euchariſtia celebrabatur, a vino ſibi temperabant, quod *vinum* idem *dementiam afferret*, multo minus credendi ſunt illud adhibuiſſe in privatis menſis.

missa administrationis memoria? Meminit igitur administrationis Philo. Panem enim, & salem distributum omnibus dicit fuisse; hyssopum (1) autem iis solum, qui delicatiores ceteris haberentur. Quid autem est, nisi hæc distributio *Mysteriorum* administratio est? Erat enim in distributione administrationis ratio constituta.

Quod addit Montfauconus (2) nullius momenti est. Non enim propterea Therapevtas deleri e numero Christianorum volo, quod Philo dixerit, eos sibi temperasse a vino; sed quod in conventu, atque in Ecclesia *sacris eos abstemiis operatos* fuisse tradiderit (3). Testata namque res est, panem, & vinum adhibitum, ob institutionem Servatoris, in ministerio a Christianis fuisse; salem autem, atque hyssopum non item. Philonem autem omisisse quod erat præcipuum, hoc est vinum, ut salem, atque hyssopum (4) commemoraret, neque credam ipse, neque esse quemquam a præjudicata opinione vacuum, ac liberum censeo, qui judicet esse credendum.

Nam quod Philo scribit de mensa, quam Therapevtæ, ob memoriam illius, quæ esset in vestibulo Templi Hierosolymitani, venerarentur, quale tandem est? An eam, quæ esset in *Templi vestibulo* prætulissent *sacræ mensæ*, cujus *veterem* illam, ut erant ab Apostolis edocti, figuram fuisse pernoscerent? Norant profecto Christiani, iique imprimis, qui Marcum Petri discipulum, atque Interpretem audierant, ceremonias veteris Testamenti in censu *umbrarum* (5) *rerum futurarum* haberi oportere. Quamobrem *mensam* illam nostris *altaribus* numquam anteposuissent. Ego igitur sic censeo, nihil ei *mensæ* Therapevticæ (6) commune cum nostris *altaribus* fuisse; ad

 quam

(1) Nisi enim omnibus distribui panis consuevisset, excluso vino, cur panis, & sal, & hyssopus in delicatiorum gratiam appositus mensæ fuisset? An is apparatus idcirco fiebat, ut illum cernerent Therapevtæ, non vero ut pane &c. vescerentur? Ridiculum id quidem. Igitur distribuebantur res hujusmodi discumbentibus, ut comederent.

(2) Ibid.

(3) Vide locum Philonis mox laudatum e libro *de Vita contemplativa*.

(4) Montfauconus *l. c.* si otium sibi abs re sua fuisset, demonstrare posse se dixit, ad xi. usque seculum sale, & hyssopo usos fuisse Christianos pro altarium consecratione. Sed quid inde posset elicere nescio. Philo namque non in consecratione mensæ, sed in convivio, quod judicio Montfauconi, Eucharisticum fuit, adhibitum a Therapevtis salem, atque hyssopum scribit, ac salem quidem pro *obsonio*, & hyssopum pro *condimento*. ἄρτοι μὲν τροφὴ, προσόψημα ἅλες, οἷς ἔστιν ὅτε ὕσσωπος ἥδυσμα παραρτύεται διὰ τοὺς τρυφῶντας. *Panes cibum, sal obsonium, & condimentum hyssopus in delicatiorum gratiam.* Ut Montfauconus quidquam efficeret, hoc ostendere si poterat, debebat, hyssopo uti solitos fuisse Christianos pro panis Eucharistici condimento. Id enim quam sit absurdum nemo non videt.

(5) Vide Apost. 1.*Cor.*xv. *v.*11.

(6) De qua Philo scribit hoc modo *pag.*697. *Edit. an.*1613. „ In qua *mensa* rite cibus ille sacratissimus panis fermentatus cum sale apponitur, & hyssopo δι' αἰδῶ τῆς ἀνακειμένης ἐν τῷ ἁγίῳ προνάῳ ἱερᾶς τραπέζης *ob venerationem illius sacræ mensæ, quæ est posita in sancto vestibulo.*

quam rem demonſtrandam ſatis ea eſſe exiſtimo, quæ modo ſunt diſputata.

IV. Sed videamus quid opponant ii, qui Therapevtas, quoniam ſic optant, ſibi Chriſtianos fuiſſe perſuaſerunt. Hac enim ratione fieri perfacile poſſe arbitror, ut ſi quid obſcuri hactenus fuit, id totum in optimo lumine collocetur. Ergo illi priore loco hoc modo diſputant. Etſi Philo magna erat apud Judæos & auctoritate, & exiſtimatione doctrinæ, laudare tamen Chriſtianos potuit, quin incideret in reprehenſionem, offenſionemque ſuorum. Nam Chriſtiani I. Sic ſeſe vocabant *Judæos*, ut hoc nomine gloriarentur. II. Ab Ethnicis *Judæi* appellabantur. III. Tanta erant in opinione virtutis apud Hebræum populum, ut optimates ſævire in eos nollent, quia timebant, ne a plebe opprimerentur (1). Nullum igitur veritus Philo fuiſſet, ſi tot laudibus celebrare Chriſtianos voluiſſet. Ac Joſephus quidem Judæus perinde religione, de ſecta Phariſæorum, quamquam erat ſtudioſus rituum, ceremoniarumque patriarum, tamen Jacobum Chriſti Servatoris fratrem non laudavit modo, ſed etiam injuſte Anani Pontificis juſſu fuiſſe lapidatum (2) ſcripſit, addiditque merito eos, qui majore & integritate morum, & pietate eſſent, de hac re apud Imperatorem expoſtulaſſe.

Ego vero numquam negaverim primorum temporum Chriſtianos, eoſque imprimis, qui e circumciſione fuiſſent & vocaſſe ipſos ſe, & ab Ethnicis, & fortaſſe etiam ab Hebræis appellatos *Judæos* fuiſſe (3). At Hebræos, qui imbuti ſuperſtitione eſſent, quique præſertim in Synagogis, & in Republica primas partes obtinerent, non fuiſſe noſtrorum inimicos, id vero eſt, quod nego concedi oportere. Plena ſunt volumina novi Teſtamenti improperiorum, quæ in Chriſtianam religionem Judæi jactare (4) conſueverant. Nam de perſecutionibus, quas in Eccleſiam concitarunt (5), nihil dico. Teſtata namque res eſt, quam male accepti Stephanus (6), Jacobus (7), & Petrus (8) fuerint ab iis, qui æmulatores ſe eſſe profitebantur *paternarum ſuarum traditionum*. Itaque ſi qui optimatum erant in noſtra

(1) Ita Montfauconus *l. c. pag.* 127. *ſeqq.*

(2) Joſephus *lib.* XX. *cap.* IX. *Antiquit. Judaicarum pag.* 976. *Tom.* I. *Opp. Edit. Amſtelod. an.* 1726.

(3) Vide infra *Cap.* II. *hujus libri* §. XXIII.

(4) Conſule *Actor. Apoſtolic. Cap.* IV. *ſeqq.*

(5) Adi *Acta Apoſt. ibid.* Juſtinum Martyrem in Dialogo cum Tryphone *pag.* 335. *Edit. Pariſ. an.* 1615. & Acta S. *Pionii Mart.* apud *Ruinartium Act. Martyr. ſincer. pag.* 131. *Edit. an.* 1689.

(6) Conſule *Acta Apoſtolor. cap.* VI. *ſeqq.*

(7) *Ibid. cap.* XII. *v.* 1. *ſeqq.*

(8) *Ibid. v.* 3. *ſeqq.*

ſtra ſacra propenſi, hi nonniſi clam ad Chriſtum, aut ad Apoſtolos venerant. Quod ſi populus initio *Chriſtianos magnificabat*, neque totus fuit, nam erant plerique e plebe noſtris adverſi; neque ad ſuas partes primores civitatis compulerat ita, ut qui pauci non abhorrerent a noſtris ſacris, hi ſibi ab ceteris non metuerent. Erat autem Philo e primis Reipublicæ, quæ res tam eſt manifeſta, ut ne egeat quidem oratione. Quemadmodum igitur palam auſus fuiſſet facere, etiamſi nobis infeſtus non eſſet, quod Nicodemus (1), & Gamalielus (2) vix clam ſeſe, ut agerent, induxerunt?

Verumtamen Philo non ſolum non erat in Chriſtianos propenſus, ſed etiam ſic eos averſabatur, ut qui ejus opuſcula diligenter legat, continuo intelligat, reprobatam ab illo Judæo fuiſſe eorumdem religionem. Hanc enim & indicat, & rejicit in eo libro, qui *de migratione Abrahami* (3) inſcribitur. Eſſe namque inter Judæos genus quoddam hominum ſcribit, qui cenſeant, leges nihil eſſe aliud, quam ſigna rerum *ſpiritualium*, contemnantque litteram, ut *ſpiritum* conſectentur. Queritur præterea, quod ii abolere conentur Sabbatum, circumciſionem, dieſque feſtos, quos Moſes introduxiſſet. Eſſe enim hos eoſdem dies, eorum ſententia, figuram interni gaudii, quo ſunt ſancti, piique viri affecti. Tum vero eſſe eos præterea ita animatos, ut veram circumciſionem in repreſſione malarum affectionum conſiſtere arbitrentur &c. Damnat deinde Philo omnes, qui ſic cenſerent. Accuſat eos inconſtantiæ, & levitatis. Rejicit in numerum *Novatorum*. Statuit denique cavendum cuique eſſe, ne in haſce opiniones incidat, immutetque ea, quæ ſunt ſapienter a majoribus conſtituta. At enim qui Chriſtianorum de *lege vetere* decreta adeo contemnebat (nam qui alii præter Chriſtianos, qui ita exiſtimarent, fuerint, fateor me ignorare), is ne tot laudibus extuliſſet Therapevtas, ſi Chriſtiani fuiſſent? Annon conſequens hinc potius eſt,

(1) Nam Nicodemus nocte ad Chriſtum venit, eratque ejus occultus diſcipulus: Vide *Johan. Evang. c.III. v.1. ſeqq.* & VII. *v.50. ſeqq.* & *cap.*XIX. *v.39.*

(2) Gamalielus etſi erat in Chriſtianam religionem propenſus, tamen verbis uſus in Concilio ejuſmodi fuit, ut Judæi non poſſent perſpicue, quid ſentiret, cognoſcere. *Act.*V. 34.

(3) Verba ejus habent hoc modo: *pag.*314. *Edit. an.*1613. „ Sunt quidam, qui dum putant ſcriptas „ leges eſſe figuras intelligibilium, his libenter dant operam, illas facile parvipendunt, quos ego ac„ cuſo facilitatis.... Placita multitudinis convellendo, veritatem ita ut eſt, nudam ſcrutantur, quos „ ſacra Scriptura docet bonam perſuaſionem negligere, & a divinis majorum inſtitutis nequaquam rece„ dere. Quamvis ſeptimus dies potentiam illius ingeniti, creaturarum autem otium ſignificet, non ta„ men leges de eo præſcriptæ ſolvendæ ſunt, ut ignem accendamus, agros colamus, bajulemus onera... „ Nec quia circumciſio docet voluptatum, affectionumque omnium exciſſionem.... ideo debet antiquari „ lex data de circumciſione, alioquin & ſacræ ceremoniæ, & alia multa negligenda ſunt, ſi excluſis figu„ ris, ſola harum ſignificata recipientur. Præſtat hæc tamquam animam, illa tamquam corpus cenſeri &c.

Therapevtas easdem de ceremoniis legis coluisse, defendisseque, atque Philo defendebat, opiniones? Manet igitur neque celebrari ab eo Christianos usquam potuisse, neque, si potuerunt, Therapevtas tamen ullo pacto Christianos Auditoresque Marci fuisse.

Quod addunt de Josepho non est simile. Nam quamquam erat Judæus de secta Pharisæorum, non in Judæa tamen, neque cum inter Judæos versaretur *Archæologiam* scripsit. Agebat enim tunc (1) Romæ, qua in Urbe inter familiares Imperatoris (2) numerabatur. Quamobrem non admodum ei metuendum ab suis erat, si alicujus Christiani, & Christi (3) etiam laudes persequi instituisset, ut Epaphrodito (4), quem mysteriis nostris initiatum cognosset esse, assentaretur. Erat namque is Historicus adulator. Etenim ut Vespasiano rem gratam faceret, oracula (5) Prophetarum exitum in eo habuisse mentitus est. Sed Philo sin minus in Judæa, at cum Judæis saltem degebat, quo tempore scripsit de Therapevtis. Quare non fuisset ausus res tantas, tamque magnas illis adscribere, si professi fuissent Christianam religionem.

Rursum si Hebræo cuipiam fas fuit laudare aliquem Christianorum, qui excelleret integritate, probitateque vitæ, id quod Josephus de Jacobo differens fecit, non sequitur tamen integrum cuique ex ea gente Scriptori fuisse, leges, mores, conventus, dogmata eorum impune laudare, qui ab institutis Mosaicis desciscere incepissent. Discrepans enim ratio est, si quis mores viri alicujus ex alia secta laudet (quæ res fieri etiam a *Protestantibus* hujus ætatis solet, cum nostrum aliquem (6) celebrant) ac si laudet dogmata nostra, usus, & religionem, quod quidem nemo Protestantium facit. Philo autem Therapevtas laudans, non unum alterumque virum, sed omnes, non unius pietatem, sed religionem omnium commendat; quocir-

(1) Vide Josephi vitam ab eo conscriptam *T.I. Opp. Edit. Amstelod. an.1726. pag.18. seqq.*

(2) Adi *Joseph. ibid.*

(3) Celebre est testimonium Josephi de Christo *lib.XVIII. Antiq. cap.IV.* quamquam sunt, qui illud in controversiam revocent.

(4) Nam Epaphroditus, cui suas *Antiquitates* Josephus inscripsit, multorum quidem sententia, Christianus erat. Adeundus Carolus Daubuzius *lib.I. de Testimonio Christi apud Josephum lib.I. n.9. seq. Tom.II. Opp. Josephi pag.210. seq. Edit. an.1726.*

(5) *Lib.VI. De Bello Judaico cap.V. n.4. pag.390. T.II. Opp. Edit. Amstel. an.1726.*

(6) Hinc Exempla, quæ Montfauconus congerit, ut suam confirmet sententiam, nullius momenti sunt. Nam Marshamus *in Propyl. ad Monast. Anglic.* nostros ritus, nostra instituta, religionem denique, & dogmata nostra nusquam laudavit; sed in suos Protestantes Britannos invehitur, propterea quod Monasteria, quæ in ea Insula erant, funditus evertere ausi, tanto cum Regni incommodo, detrimentoque fuissent. Virtutes præterea Monachorum commendat, ut temperantiam, ut castitatem &c. non tamen cetera, in quibus ab Anglis dissentimus.

quocirca commendasset religionem Christianam, si Therapevtæ eidem nomen dedissent.

Altera, cui Montfauconus plurimum tribuit, ratio est hujusmodi (1): Anno 68. æræ vulgaris Philo edidit de Therapevtis librum. Erat autem eo tempore longe lateque propagata Christiana religio. Neque est cur negemus magnam tunc fuisse in Ægypto vim Christianorum. Nam etsi Marcus ante 46., exempli gratia, vel 49. æræ vulgaris annum nequivisset in Ægyptum venire, tamen potuerunt alii in eam se regionem conferre, pervulgareque eam, quam ab Apostolis accepissent, doctrinam. Certa enim res est, edictum ab Christo fuisse Apostolis, ut ubique gentium Evangelium prædicarent (2). Est autem minus verisimile expectare eos ad annum 49. voluisse, ut aliquem in florentissimam regionem, cujusmodi erat Ægyptus, mitterent Evangelium prædicatum.

Sed quod attinet ad annum, quo scriptum fuisse librum de Therapevtis existimat, ei equidem repugnare nolo. Neque enim ea res quidquam ad institutum interest. Sed concedi non potest, quod adjungit de longe lateque propagata religione Christiana in Ægypto. Etenim vigintiduorum annorum intervallo, siquidem anno 46. Marcus (3) in Ægyptum venit, qui tandem potuisset in ea regione esse tam magnus numerus Christianorum? Scio Apostolis impositum onus fuisse prædicandi ubique gentium Evangelium. Verum non sequitur fuisse illud ibidem ante adventum Marci Evangelistæ promulgatum. Ac Eusebius Cæsariensis (4) primum omnium, qui eo munere functus in Ægypto fuerit, Marcum fuisse testatur. Eusebio consentit Hieronymus (5). His vero, ceterisque (6) Ecclesiasticis monumentis repugnanti-

(1) Ibid. *pag.* 142. *seqq.*

(2) Quin etiam Marcus *Extremo Cap. Evangelii v.* 20. scribit de Apostolis, quod *illi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante.*

(3) Eusebius Cæsariensis Episcopus Marcum in Ægyptum anno 43. æræ vulgaris venisse censuit. Sed est ejus ab omnibus fere Chronologicis explosa sententia. At enim de his rebus accurate disputat Bouyerius *l. c. pag.* 290. *seqq.* quem consulere Lector poterit. Non enim otium [illegible]

(4) *Lib.* II. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* XVI. Μάρκον, inquit, πρῶτον φασὶν ἐπὶ τῆς Αἰγύπτου στειλάμενον τὸ εὐαγγέλιον κηρύξαι. *Marcum primum missum, in terra Ægypti Evangelium prædicasse, ferunt.*

(5) Hieronymus *lib. de Scriptoribus Eccles. cap.* VIII. *pag.* 105. *Edit. Parisiensis Martianæi Tom.* IV. „ Perrexit, inquit, in Ægyptum (Marcus) & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Adjungit deinde Therapevtas Philonis Marci fuisse discipulos, quæ res conpoui nequit cum Montfauconi opinione „ Philo disertissimus Judæorum videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Judaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit.... Sic quod Alexandriæ sub Marco fieri cernebat, memoriæ tradidit.

(6) Ita enim ferunt Acta S. Marci, & Martyrologia, quæ vidimus, omnia.

gnantibus, alium quemquam in Ægyptum amandare, qui id ante Marcum egerit, profecto non licet. Non enim moror, quæ de Candacis Reginæ Eunucho, deque Ægyptiis a Petro, cum Hierosolymis prædicasset, conversis scribit Montfauconus. Nam de Eunuchi *prædicatione* in Æthiopia incerta omnino historia est. Deinde reversos eos, qui traducti ad sacra nostra a Petro erant, in Ægyptum fuisse, promulgasseque Evangelium, id sane probandum est Montfaucono contra fidem Ecclesiasticorum monumentorum.

Tertium, quod opponunt adversæ partis patroni, e vetere Therapevtarum philosophandi ratione petitum est. Negant illi patriam Philosophiam. cujus Philo meminit, Christianam religionem (1) esse. Hebræam namque fuisse censent, quam Therapevtæ, quamquam erant Christiani, consectarentur. Nec vero quidquam obstare, quin Christianus hebraicos ritus, ceremoniasque adhiberet.

At quis est, obsecro, qui Philonem sic fuisse ineptum putet, ut pugnantia loqueretur. An ille hebraicam philosophandi rationem coluisse dixisset eos, quos reprobarat, proptereaquod ritus, legesque a Mose constitutas funditus tollere (2) conarentur? Hoc qui dubitat, haud scio cur non idem sit ne sol, an nullus sit dubitare possit (3).

Refellunt quarto loco, quæ a nobis paullo ante de *antiquis poetis*, quorum Philo meminit, disputata sunt. Principio fieri potuisse defendunt, ut Judæi, qui olim poeseos facultate excelluissent (4), carmina scriberent digna, quæ a Christianis etiam in conventibus canerentur. Deinde, quæ Eduardi Bernardi (5) opinio est, quid erat impedimento, quo minus majores nostri iis libris in Ecclesia uterentur, qui adscripti erant Salomoni? Postremo sic statuunt, *veteres* Poetas Hebræos fuisse; novos autem, qui operam in carminibus condendis locarent, Christianos, ut qui Therapevtæ essent.

At Philo de iis Poetis veteribus videtur disserere, qui Therapevticam

(1) Vide Montfauc. *ibid. pag.* 164. *seqq.*

(2) Consule, quæ supra attuli ex Philonis libro de migratione Abrahami.

(3) Omittenda hic esse duxi, quæ de vi vocis παλαιῶν Montfauconus observat *pag.* 164. ut efficiat nominibus τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν senes, hoc est viros provectæ ætatis posse intelligi. Hoc enim non negavi. Illud ajo *antiquos*, hoc est eos, qui olim vixerint Therapevtas ibi a Philone commemorari. Id vero probatum a me fuit *num.* superiore. Atque illud scilicet restat, ut a Josepho *in* 11. *libro de Bello cap.* 11. non eorum qui olim vixerint Montfauconus putet, sed *Senum Essenorum scripta* commemorari. ἐπὶ συγγράμματα τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν. Qua re nihil fingi minus verisimile potest.

(4) Vide Montfauconum *ibid.* 167. *seq.*

(5) Apud Bouyerum *ibid. pag.* 103.

pevticam vitam (1) coluissent. Age vero quemadmodum veteres poetas Therapevtæ habuissent, si ante enunciatum in Ægypto Evangelium, nulli fuerant? Rursum idem ille Judæus scriptor non postremam curam eorum, qui Therapevticam disciplinam profiterentur, in eo positam fuisse testatur, ut ejusmodi carmina componerent. Estne vero credibile, illos qui propria haberent, mutuari alia ab his voluisse, quos suos esse hostes cognossent? Hoc scilicet nemo concedet, nisi qui ingratiis Therapevtas Christianos efficere constituerit. Quare tota illa de veteribus poetis qui Hebræi, deque novis qui Christiani essent, nutat, claudicatque distinctio. Quod ad Eduardi Bernardi de carminibus, quæ non essent a libris Salomoni adscriptis diversa, sententiam attinet, multo laboro minus. Qui enim hujusmodi libri, præter *Sapientiam* esse potuerint, nescio. Nam *Ecclesiastes*, *Proverbia*, *Cantica*, *Parabolæ*, a Salomone sine dubio perscripta sunt. At *Sapientia*, quæ edita primum græce fuit, & a Therapevtis Alexandrinis nonnisi legi *græce* poterat, nullam metri rationem præsefert. Quod ipsum de *Ecclesiaste*, ceterisque, quorum modo facta est mentio, Salomonis libris in græcum sermonem versis dicendum est. Atqui hymni, & carmina, quibus Therapevtæ utebantur, vorsa oratione expressa erant, auctore Philone.

Quinta est argumentatio de Therapevtis, qui Sabbato congregarentur, ut ad *Dominicum* usque diem, quem festum esse arbitrarentur, preces, supplicationesque suas produceret. Philonis namque hoc fuisse propositum, ajunt, ut explicaret non quæ *Pentecostes* die Therapevtæ agerent solum, sed etiam quæ quibusque diebus *Sabbatis* facere solerent. Etenim ubi de conventibus diebus *Sabbatis* fieri solitis disputavit, memoravitque nonnulla, quæ ad victum, vestitumque Therapevtarum spectarent, tum *velle se*, scribit, *aliquid de So-*

(1) Negat Montfauconus loco mox indicato. Sed cum Philo in componendis carminibus ejusmodi Therapevtas exercitatos fuisse dicat, colligendum inde est, veteres illos Therapevtas item fuisse. Sic autem scribit Philo οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ἄσματα εἰς τὸν θεόν. *Non contemplantur modo, sed etiam componunt carmina in Deum*. Sed ut magis magisque constet eos veteres Poetas Therapevtas fuisse, adnotanda sunt Philonis verba *pag.* 893. *Edit. an.* 1691. *Imitari namque eos*, inquit *prisceos suæ sectæ homines, quorum commentarios haberent. Itaque carmina* conscribere· ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν οἳ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπέλιπον, οἷς καθάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρώμενοι, μιμοῦνται τῆς προαιρέσεως τὸν τρόπον· ὥστ᾽ οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ἄσματα εἰς τὸν θεόν. κ. τ. λ. „ Sunt autem ipsis commentarii veterum virorum, qui cum principes ejus sectæ „ fuissent, tum multa monumenta de allegoriis ejusmodi reliquerunt, quibus ut archetypis quibusdam usi „ imitantur instituti modum. Ergo non contemplantur modo, sed etiam carmina in Deum componunt. Quid autem est τὸ ὥστε nisi sic eos fuisse suæ sectæ veteres viros, ut carmina, quemadmodum illi conscriberent? Veteres igitur illi Poetæ Therapevtæ erant.

de Sodalitiis eorum dicere &c. (2) Quæ ſane verba argumento videntur eſſe, conventus eadem ſemper ratione haberi conſueviſſe, adeoque productos fuiſſe in ſequentem diem. Jam vero Sozomenus in aliquot (2) Ægypti Urbibus, non modo Therapevtarum, ſed ſua quoque ætate hanc conſuetudinem obtinuiſſe teſtatur. Quocirca errare eos defendunt, qui Sozomenum eo loco de Therapevtarum uſu agere cenſuerunt.

Verumtamen quoties eam, qua Philo eſt uſus, conſidero rationem dicendi, in eam inducor ſententiam, ut non quibuſque *Sabbatis*, ſed aliquando, cum nempe hilariora convivia celebrarent, velut in *profeſto* Pentecoſtes, productas fuiſſe a Therapevtis in diem ſequentem ſupplicationes putem. Primum enim ſex diebus, ut paullo ante animadverti, jejunaſſe (3) aliquos eorum refert, ſolviſſeque ſeptimo die jejunium. At eſt minus veriſimile, jejunare eos voluiſſe *Dominico* die, ſi hunc judicaſsent eſse in *feſtis* ponendum. Præterea de ſolemnioribus, celebrioribuſque conviviis, non vero de iis, quæ quibuſque diebus Sabbatis haberentur, diſserit Philo. *Volo*, inquit, *de communibus conventibus, deque hilarioribus eorum in conviviis conſuetudinibus dicere* (4). Quamobrem labuntur, qui in omnia Sabbata cadere hæc poſse exiſtimant, quæ ſunt de conviviis memoriæ tradita a Philone. Quod de Sozomeno (5) dicunt, leve eſt. Ego enim fieri potuiſse cenſeo, ut ab aliquot Ægyptiis a Sabbato ad initium diei ſequentis preces fuiſse productas ſcripſerit, quod Therapevtas, qui ita agerent, Chriſtianos fuiſse exiſtimaſset. Sed fac ejus Auctoris ætate is uſus in Ægypti pleriſque Urbibus, ac locis vigeret; quid? ſequine inde poſse quiſquam putabit, ut Therapevtæ non Judæi fuerint, ſed Chriſtiani? Enim vero, qui hoc dederit, næ is ignorat quid ex re quaque ſit conſequens. Nolo enim gravius dicere (6).

Sexta ratio, quæ ponderis alicujus eſt, nititur teſtimoniis veterum Eccleſiæ Scriptorum. Euſebius in Hiſtoria Eccleſiaſtica (7), Hiero-

(1) Vide Philonem *pag.895. Edit.an.1691.*

(2) *Loco cit.*

(3) Vide quæ diximus *num.* ſuperiore. Conſule etiam Euſebium Cæſarienſem *in Pſ.xci. num.4. ſeqq. pag.607. Collect. Veter. PP. Edit. an.1706.* & quæ nos de *Dominica die* infra *diſputamus*. Videnda præterea ſunt, quæ docti viri, de Jejunio *die Dominico minime celebrando* animadverterunt.

(4) *Pag.8[illegible]. Edit. an.1691.* βούλομαι δὲ καὶ τὰς κοινὰς συνόδους αὐτῶν, καὶ ἱλαρωτέρας ἐν συμποσίοις διαγωγὰς εἰπεῖν.

(5) Adeundus Sozomenus loco indicato.

(6) Namque ne vulgus quidem imperitorum ſtatueret, quia re aliqua Hebræi, & Chriſtiani conveniunt, Judæos eſſe idcirco Chriſtianos oportere. Alioqui & Samanæi Indorum Chriſtiani fuiſſent, quo nihil dici poteſt abſurdius.

(7) *Lib.11. Hiſt. Cap.xvii.*

Hieronymus in eo, qui de *viris Illuſtribus* inſcribitur libro (1), Epiphanius (2), Sozomenus (3), Dionyſiaſter (4), Caſſianus (5), uno verbo, ceteri Hiſtorici Chriſtiani, qui olim floruerunt, memineruntque Therapevtarum, hos Chriſtianam religionem amplexos fuiſſe affirmaverunt. Neque vero credendi ſunt ita fuiſſe parati, ut unus alterum exſcribere curaret. Etſi enim Hieronymus mutuatus omnia, quæ ad hanc rem pertinerent, ab Euſebio fuerit, idem tamen de ceteris nemo, niſi divinando, dicet (6). Nullum namque aut in Epiphanio, aut in Sozomeno plagii extat veſtigium. Quodſi ſumma horum omnium fuit in eadem re ſtatuenda conſenſio, dandum eſt, traditione quadam hanc de Therapevtis in poſteros manaſſe opinionem. Nec enim adeo hi Scriptores ab ætate Philonis diſtabant, ut quæ geſta tunc eſſent, accipere a majoribus ſine periculo erroris nequirent. Fuit enim Euſebius ducentis fere annis Philone recentior. Ducentorum autem annorum intervallo vitiari difficulter poſſunt, quæ a Patribus nepotum memoriæ commendata ſunt.

Ego vero etſi plurimi faciam vetuſtatem, malimque meas omnes rationes, & conjecturas negligere, quam ei quidquam detrahere auctoritatis, ſum tamen ita comparatus, ut rebus omnibus veritatem, quæ eſt omnium antiquiſſima, eſſe anteferendam putem. Ac vera quidem Patres eos, quos nominavi, prædicaſſe faterer, ſi iis, qui ante floruerant, conſentirent, eſſetque ea apud omnes conſtans, atque firma traditio (7). Sed cum variæ veterum de re eadem fuerint, interque ſe diſſidentes ſententiæ, conſtetque Euſebium, &, qui eum eſt imitatus (8), Hieronymum, atque etiam Epiphanium, Sozomenum, atque Caſſianum multa fuiſſe de Therapevtis loquutos, quæ conſiſtere nullo modo poſſent, nihil eſſe cauſſæ arbitror, cur contemptis antiquioribus Scriptoribus, & indiciis manifeſtis, quæ Philonis opere

Tom.I. E conti-

(1) *Loco cit.*
(2) *Loco cit.*
(3) *Loco cit.*
(4) *Loco cit.*
(5) *Vide infra pag.39.*
(6) Ita enim diſputat contra Bouyetum Montfauconus in Epiſtola ad eumdem Bouyetum ſcripta *pag.*179.
(7) Traditionis enim loco ea habenda ſunt, quæ ubique, quæ ſemper, quæ ab omnibus retenta, prædicata, ac propugnata ſunt. Idque jam a Patribus, imprimiſque a Vincentio Lirinenſi in *Commonitorio* accepimus. Atque illud etiam animadvertendum eſt, traditionis certam, atque indubiam eſſe in rebus fidei, & morum auctoritatem; in Hiſtoria vero, quæ res a majoribus noſtris geſtas exponit, magnam quidem eſſe, non tamen indubiam, niſi ſacris litteris nitatur. At vero traditionis nulla in eo eſt ſpecies, quod a paucis, repugnantibus aliis, memoriæ proditum fuerit, quemadmodum uſuvenit in hac, quæ eſt de religione Therapevtarum narratione, ut paullo poſt liquebit.
(8) Vide Montfauconum *l. c.*

continentur, illis nos potius judicem accedere oportere. Atque hoc rursum dico omnes Patres, cum de rebus religionis imprimis agitur, errare non posse; majorem eorum partem, plurimum habere auctoritatis; magnam vero, vim item magnam obtinere; sed Patres perpaucos, & labi potuisse, & cum de historicis præsertim dissererent, lapsos interdum errore fuisse. Quamobrem nemo mihi, opinor, vitio dederit, si (quod Bouyerus, Valesius, Cotelerius, Cellerius, aliique Orthodoxi fecerunt) nolim in paucorum, & non admodum antiquorum Patrum opinionem descendere. Itaque mihi, ut ajebam, illi videntur in hoc genere decepti esse; sed alius alio magis. Eusebius autem maxime, qui cum Therapevtas Philonis fuisse a Marco statuerit (1), post scriptum Evangelium, Christianos factos; tum, mortuo Petro (2), perfectum idem Evangelium fuisse contendit. Quæ res qua tandem ratione consistat, ne suspicari quidem possum. Petrus enim ante 64. æræ vulgaris annum affixus cruci non fuit (3). Quare si scriptum post Petri mortem a Marco Evangelium fuit, scriptum quidem certe non fuit ante ipsum 64. annum. Fac autem anno 68. quæ Montfauconi opinio est (4), Philo adjunxerit animum ad conscribendum *de Vita contemplativa* librum. Fac item Marcus Roma, mortuo Petro, confestim in Ægyptum migraverit, eoque

(1) *Lib.* II. *cap.* XV. *Hist. Eccl. pag.* 53. *Edit. Paris. an.* 1659. Τοῦτον δὲ Μάρκον πρῶτόν φασιν ἐπὶ τῆς Αἰγύπτου στειλάμενον, τὸ εὐαγγέλιον, ὃ δὴ καὶ συνεγράψατο, κηρύξαι, ἐκκλησίας τε πρῶτον ἐπ' αὐτῆς Ἀλεξανδρείας συστήσασθαι. τοσαύτη δ' ἄρα τῶν αὐτόθι πεπιστευκότων πλῆθος ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν ἐκ πρώτης ἐπιβολῆς συνέστη, δι' ἀσκήσεως φιλοσοφωτάτης τε, καὶ σφοδροτάτης, ὡς καὶ γραφῆς αὐτῶν ἀξιῶσαι τὰς διατριβὰς, καὶ τὰς συνηλύσεις, τά τε συμπόσια, καὶ πᾶσαν τὴν ἄλλην τοῦ βίου ἀγωγὴν τὸν Φίλωνα. „ Hunc Marcum primum, ajunt, in Ægyptum missum Evangelium, quod ipse conscripserat, prædicasse, primumque „ constituisse Alexandriæ Ecclesias. Tanta igitur multitudo ibi credentium virorum, atque mulierum a „ primis inceptis fuit, quæ maxime philosophicam, atque severam institutionem profiteretur; ut Philo „ sua lucubratione dignatus eorum studia, conventus, convivia, omnemque aliam vivendi rationem „ fuerit.

(2) *Lib.* V. *cap.* VIII. *pag.* 172. *ejusd. Edit.* Irenæi sententiam allaturus, testatur id se facere constituisse, ut constaret, quæ illi fuissent a majoribus tradita; tum verba Irenæi profert, quæ habent hoc modo: Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον, Μάρκος ὁ μαθητὴς, καὶ ἑρμηνευτὴς τοῦ Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα, ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. „ Post horum (*Petri nempe & „ Pauli*) interitum Marcus discipulus, & interpres Petri, & ipse, quæ prædicatu a Petro fuerant de„ scribens nobis tradidit. Sunt qui pugnantia loqui Eusebium negent. Nam explicasse hunc *lib.* II. *H. E. c.* XV. suam de ætate Evangelii Marci sententiam pugnant, fretum auctoritate Papiæ, atque Clementis. Quare quod *lib.* V. *cap.* VIII. scripsit, id illum non sua, sed Irenæi opinione scripsisse. Verum *cap.* XV. *lib.* II. conscriptum Evangelium ante Petri mortem fuisse non affirmat. Statuisse quidem Marcum illud perficere dicit, idque jam Petrum instinctu divino comperisse; scripsisse autem nusquam dicit. Hac vero circuitione verborum numquam usus fuisset Eusebius, si editum ante mortem Petri fuisse Marci Evangelium censuisset.

(3) Nullus enim probabilis aut vetus, aut recens est auctor, qui ante Petrum decessisse putaverit.

(4) In notis *ad librum Philonis pag.* 221.

eoque appulerit post menses duos. Mitto nunc Eusebii quidem sententiam, quam plerique sequuntur (1), ajentis Petrum anno 68. decessisse; immo vero illorum quoque, qui in annum 66. (2) mortem ejusdem Apostoli rejecerunt; namque biennio vix, paucorum autem mensium intervallo, ne vix quidem prædicatione Marci magnus esse in Ægypto poterat numerus Christianorum. Cavei (3) nunc opinionem, ut adversæ partis patronis rem gratam faciam, se quar. Ergo dabo anno 64. martyrio functum fuisse Petrum. Ab hoc autem ad 68. annum qui tandem tanta esse potuit Christianorum multitudo, ut incredibili numero essent, quo suppeditare tot Monasteriis etiam Therapevtas perplures possent?

Sed multa sunt, quæ impediant, quo minus exsistimem post scriptum *de Legatione ad Cajum* a Philone librum, editum eum fuisse, qui *de Vita contemplativa* inscribitur. Quod si verum est, erit profecto cur arbitremur, hunc *de Vita contemplativa* librum fuisse ante annum 40. æræ vulgaris perscriptum; quo sane tempore cum nulli essent a Marco in Ægypto Christianis sacris initiati, nulli item in eadem regione Therapevtæ Christiani fuerint necesse est. Atque Eusebius cum *libro* II. *Historiæ* (4) Philonis opuscula numerat, ante quidem recenset libellos, qui de Essenis, deque Therapevtis essent, quam faciat mentionem *Legationis ad Cajum*. Series autem ea postulat, ut post illos duos libellos, vulgatam *Legationem* fuisse credamus. Cur enim post eos memorasset (5) opus, quod ante fuisset publicatum? Quid? Si eodem fere tempore uterque *de Essæis*, & *de Therapevtis* libellus perscriptus est? Nam est is, quem secundo loco nominavi quasi adjunctus priori. Incipit enim hoc modo: *Postquam de Essæis disse-*

(1) In Chronico *ad* 14. *Neronis annum Edit. Pontacì pag.*161. Consule *notat. Pontacì ibi l.pag.*575.

(2) Ita enim Tillemontius, Gravesonus, & Petrus Franciscus Foggiulus *Exercit.*XVI. *Operis de Itinere S. Petri* censent.

(3) *Script. Eccl. Hist. litter. pag.*4. *Edit. an.*1693.

(4) *Lib.*II. *Hist. Eccl. cap.*XVIII. *pag.*59. *Edit. Paris. an.*1609. „ Item *liber* quod quicumque pec„ cat servus est. Cui subjunctus est liber de eo, quod liber est quicumque virtuti studet. Sequitur liber „ ille *de Vita contemplativa*, seu de supplicibus, ex quo capita quædam de Apostolicorum hominum vi„ ta supra retulimus. Idem cum imperante Cajo Romam venisset, librumque de illius sceleribus, atque „ flagitiis conscripsisset, quem per cavillationem de virtutibus inscripsit, postmodum Claudio ad Impe„ rium evecto, coram universo Senatu librum illum fertur recitasse.

(5) Novus quidam Scriptor Philonis *de Legatione ad Cajum opus* diu post ejus in Urbem adventum scriptum refert fuisse. At nullus aut locus Philonis, aut vetus testis esse illi præsidio potest. Atque ei Eusebius adversatur. Post mortem namque Caji, cum factus Claudius Imperator esset, recitatum eum librum fuisse tradit. Quemadmodum autem recitari poterat, qui scriptus ante non fuisset? Immo vero, vivente Cajo, perfectum id operis fuisse paullo ante Eusebius indicat. ὁ γὰρ μὲν ἐπὶ γαΐου ἐπὶ τῆς ῥώμης ἀφικόμενος τὰ περὶ τῆς γαΐου θεοστυγίας αὐτοῦ γραφέντα. κ. τ. λ. *Is igitur cum ad Cajum Romam venisset, & ea quæ erant de Caji impietate conscripsisset &c.*

differuimus, qui vitam activam exercent . . . Ordo postulat, ut deinceps dicamus de iis, qui sunt dediti contemplationi (1). Non est autem verisimile, hunc qui consequutus primum *de Essæis* est, diu post fuisse conscriptum. At liber, in quo *de Essæis* est sermo, non longe post editus a Philone fuit, quam Xanthii, obsidente Bruto, periissent. Nam recentem dixit fuisse, cum scriberet, Philo excidii illius memoriam (2). Οὐ πρὸ πολλοῦ *non diu ante*, vel *non ante multum tempus*. Sed cum anno 710. Cæsar interfectus fuerit; anno autem 712. superatus, atque devictus (3) Brutus; obsessi vero Xanthii post Cæsaris interitum sint (4), fit ita, ut ea obsidio anno U. C. 712. nequeat esse recentior. Quare si non πρὸ πολλοῦ scriptus a Philone est de *Essæis* liber, anni triginta, vel quadraginta (5) ab obsidione Xanthiorum ad ejus libri perscriptionem fluxerint necesse est, non centum ac novem anni, ut poscit Montfauconi sententia (6). Nam si anno 68. æræ vulgaris perfectus liber idem fuisset, qui scilicet annus respondet octingentesimo vicesimo primo ab Urbe condita anno, centum novemque anni excurrissent ab excidio Xanthiorum (quod circa an. U. C. septingentesimum atque duodecimum diximus contigisse) ad sexagesimum octavum æræ vulgaris, in quem Montfauconus libri de Therapevtis initia retulit. Quis autem credat, post annorum centum ac novem spatium usurpari hæc verba ab Judæo illo Scriptore potuisse οὐ πρὸ πολλοῦ? Ac si a Xanthiorum casu ad perscriptum a Philone de Essæis librum anni quadraginta fluxerunt, concedendum est, circa annum U. C. 751. scriptum & hoc opus fuisse, & libellum, in quo agitur de moribus, atque institutis Therapevtarum. Perfecti ergo hi sunt libelli tertio circiter ante æram vulgarem anno. Diu igitur ante quadragesimum æræ Christianæ annum, quo Philo scripsit *de Legatione* librum (7). At enim Christus Servator anno 751. Urbis vix puer anni unius erat. Verum scripserit, per me licet, Auctor Judæus sexagesimo anno post Xanthiorum excidium, quam-

(1) Operum Philonis *pag. 889. Edit. an. 1691.* Ἐσσαίων πέρι διαλεχθεὶς, οἳ τὸν πρακτικὸν ἐζήλωσαν, [illegible] ἵνα καὶ περὶ τῶν θεωρίαν ἀσπασαμένων ἀκολουθία τῆς πραγματείας ἐχόμενος, τὰ προσήκοντα λέξω &c.

(2) *Pag. 883. Edit. an. 1691.*

(3) Vide Pagii Apparatum Chronologicum ad Annales Baronii *pag. 334. Edit. Lucensis*. De Bruti interitu consulendi Suetonius, Dio, & Plutarchus in Vita Bruti &c.

(4) V de Plutarchum in Vita Bruti *pag. 998. Tom. 1. Opp. Edit. an. 1624.*

(5) Novus ille Scriptor, cujus est paullo ante facta mentio, dicere οὐ πρὸ πολλοῦ potuisse Philonem scribit, tametsi centum anni ad illud tempus ab obsidione Xanthiorum fluxissent. Sed viderit ipse, num hæc possit prudenti cuiquam persuadere.

(6) Montfauconus *loco cit.*

(7) Scripsit enim vivente Cajo, ut paullo ante observatum est.

quamquam eſt id creditu perdifficile; fuiſſet is annus U. C. 771. natuſque annos 21. Chriſtus fuiſſet. Quamobrem nondum is cœperat Chriſtianæ religionis fundamenta jacere prædicando. Itaque nulli tunc erant non in Ægypto modo, ſed in Judæa etiam Chriſtiani. Erant autem eo tempore Therapevtæ, cum de his Philo ſcriberet. Therapevtæ igitur Philonis non erant Chriſtiani. Illud quoque accedit, quod hoſce libellos tum Philo perfeciſſe credendus ſit, cum ei vacuum, ac liberum a negotiis tempus eſſet. Nam cur non ſcripſiſſet cum deditus eſſet contemplationi? In vita enim occupata, quam tempore Caji ducebat, ita ut Romam etiam ſuorum nomine Legatus venerit, operam in ſcribendis libris locare qui poterat? Atque in eo qui *de ſpecialibus legibus* inſcriptus eſt, libro; poſtquam implicatus rebus, negotiiſque Reipublicæ fuit, erigere, dicit (1), nequiviſſe deinceps ſe, ut ab his rurſum animum ad ſtudium Philoſophiæ, contemplationiſque traduceret. Quodſi hoſce libellos ante Caji tempora edidit Philo, Therapevtæ ſane, quos nominat, Marci diſcipuli eſſe non poterant, cum Marcus nondum navigaſſet in Ægyptum (2). Denique ſenem ſe, & quidem canum in *Legatione* vocat. Ac erat ſcilicet tunc ſatis provectus ætate. Etenim ſi *οὐ πρὸ πολλοῦ non ante multum* ab obſidione Xanthiorum, ut exempli gratia, circa annum 740. U. C. libros ſcribebat, annum ſaltem ætatis viceſimum agens, neceſſe eſt ſcriberet. Ab anno autem U. C. 740. ad 793. quo functus Legatione eſt Philo, quinquaginta, & tres anni effluxerant. Quod ſi adjungas viginti, ſumma erit ætatis Philonis annorum ſeptuaginta trium. Atque ſi ſexageſimo octavo æræ Chriſtianæ anno editus a Philone liber de *Therapevtis*, ut videtur Montfaucono, eſt; dandum omnino erit, centum & unius anni ſenem

(1) *Pag.776. Edit. Opp. Philonis an.*1691. „ Inſidiabatur, inquit, mihi graviſſima peſtis invidia, „ virtutis adverſaria, quæ nec opinantem aggreſſa, non prius deſiit deorſum trahere, quam conje- „ cit in profundum mare curarum ſpectantium rempublicam, quibus jactatus, ne nunc quidem enatare „ valeo. Gemens tamen ea ſuſtineo, ætatis primæ ſtudia pertinaciter animo hærentia deſiderans, quo- „ rum amore, memoriaque in miſeriis recreor, atque ſublevor &c. Ac credibile ſane eſt multo ante, quam Romam legatus veniſſet Philo, coactum illum fuiſſe animum adjicere ad Rempublicam. Neque enim in Civitatis negotiis novitium ad Cajum Hebræi Legatum miſiſſent. Non nego potuiſſe Philonem etiam tum, cum implicatus rebus publicis eſſet, ſcribere *de vita contemplativa* librum. Verum non quid ille potuerit, ſed quid ſit veriſimile, id mihi hoc loco intelligo eſſe quærendum.

(2) Hoc autem verum eſſet, etiamſi Vallarſii *in notis ad Chronicon Euſebii Tom.*VIII. *Opp. S.Hieronymi pag.*660. probanda eſſet ſententia. Statuit enim anno æræ vulgaris 43. Marcum in Ægyptum navigaſſe, biennio ſcilicet aut triennio poſt quam Philo ſcripſit *Legationem*. Quæ vero ante annum 43. geſta a Marco in Ægypto fuiſſe nonnulli recentioris ævi Scriptores tradiderunt, pugnant cum Euſebii, aliorumque veterum monumentis, quibus, miſſis novis, omnino eſt adhibenda aſſenſio. Non me tamen latet implicatum hoc quæſtionis genus eſſe. Sed veriſimiliora conſector.

nem Philonem fuisse, cum librum de *Therapevtis* perscriberet. Id autem quemadmodum concedi, præsertim cum de libro pleno translationum, phalerarumque rhetoricarum agatur, possit, nullo modo prorsus intelligo.

Redeo ad Eusebium. *Scripta veterum* a Philone commemorata Apostolorum commentarios (1) suspicatur fuisse, manifesto, ut paullo ante ostendi, errore. Præterea jejunium quadragesimæ, diem festum Paschatis, Episcopos quoque, & Diaconos Christianæ Ecclesiæ in libro Philonis reperit (2), quorum tamen omnium ne littera quidem in eodem *de Vita contemplativa* opusculo reperitur. Sed quid multis opus est? Tantum abest, ut Eusebius traditum id sibi a majoribus fuisse dicat, quod est de Therapevtis Christianis, ut palam non audisse ab aliis se indicarit; sed conjectura assecutum ex libro Philonis fuisse, quam tamen aliqui non probarent (3). Quamobrem quod affirmat de Therapevtis, traditione non nititur. Nam quod suos adversarios pertinaciæ arguat, viderit ipse, qui cum in Philone parum, in aliis quidem certe præsidii nihil habet.

De Hieronymo satis perpicua est ratio. Sequutus enim Eusebium est, id quod adversarii nostri non negant (4). Ergo non est ejus pluris, quam sit auctoritas Eusebii facienda.

Nam quid ego de Epiphanio loquar, qui Jessæos ab Jesu Servatore (5) vocatos fuisse vidit, qui quadragesimam nostram in Philonis operibus (6) invenit; qui Philonem ipsum diebus Paschalibus ad Therapevtas

(1) *Lib. II. cap. XVII. H. E. pag. 55.* τάχα δ᾽ εἰκὸς ἅ φησιν ἀρχαίων παρ᾽ αὐτοῖς εἶναι συγγράμματα, ταῦτα εὐαγγέλια, καὶ τὰς τῶν ἀποστόλων γραφὰς τυγχάνειν, διηγήσεις τέ τινας κατὰ τὸ εἰκὸς τῶν παλαιῶν προφητῶν ἑρμηνευτικάς. *Quos autem ait penes illos fuisse veterum quorumdam commentarios, verisimile est ipsa esse Evangelia, & Apostolorum scripta, & expositiones quasdam veterum Prophetarum.*

(2) Vide Eusebium *ibid. pag. 57.*

(3) *Ibid. pag. 56.* ταῦτα τοῦ Φίλωνος σαφεῖς, καὶ ἀναντιρρήτους περὶ τῶν καθ᾽ ἡμᾶς ὑπάρχειν ἡγούμεθα λέξεις. εἰ δ᾽ ἐπὶ τούτοις ἀντιλέγοι τις ἔτι σκληρύνοιτο, καὶ οὗτος ἀπαλλαττέσθω τῆς δυσπιστίας, ἐναργεστέραις πειθαρχῶν ἀποδείξεσιν, ἃς οὐ παρ᾽ ἑτέροις, ἢ μόνῃ τῇ τῶν Χριστιανῶν εὑρεῖν ἔστι κατὰ τὸ εὐαγγέλιον θρησκείᾳ. *Hæc Philonis verba de primis nostræ religionis viris perspicue, & absque ulla dubitatione dicta esse arbitramur. Quodsi quis adhuc pertinaciter his refragari voluerit, is manifestioribus convictus indiciis, quæ non alibi, quam in Christianorum religione ad Evangelii normam composita reperiuntur, pertinaciam suam tandem abjiciat.* Quibus verbis, iisque etiam, quæ sequuntur, satis ostendit, niti se solius Philonis testimonio, fuisseque aliquos qui repugnarent, negarentque Judæum illum de Christianis esse loquutum.

(4) Vide Montfauconum *l. c.*

(5) Consule, quæ ex eo attulimus §. superiore.

(6) *Hæres. XXIX. n. 5. pag. 120. Edit. an. 1622.* εὕροις δ᾽ ἄν, ὦ φιλόλογε, καὶ τούτων τὴν ὑπόθεσιν, ἐντυχὼν τοῖς τοῦ Φίλωνος ὑπομνήμασιν, ἐν τῇ περὶ Ἰεσσαίων αὐτοῦ ἐπιγραφομένῃ βίβλῳ, ὅς τούτων τὴν πολιτείαν, καὶ τὰ ἐγκώμια διεξιών, καὶ τὰ αὐτῶν μοναστήρια ἐν τῇ κατὰ

τὸν

rapevtas Jeſſæos divertiſſe arbitratus eſt, ſibique eſt viſus collegiſſe hæc omnia ex eo, qui eſt de Therapevtis libello? Mihi vero ſatius eſt vetuſtiores, qui aliter ſenſerint, quam hunc, (cui tamen in rebus aliis tribuo, ut debeo, plurimum), conſectari, tam multa, contra atque traditum a Philone fuerit, minus accurate ſcribentem.

Sozomeni & minor eſt auctoritas, & ab Euſebio manavit ſententia. Etſi enim Euſebii non meminit quo loco agit de Therapevtis, tamen Hiſtoriam ab eo ſcriptam legit, multaque ex illa tranſtulit in ſuam, quin unde ea acceperit indicandum eſſe arbitraretur.

Non me movet locus Dionyſiaſtri. Eſt enim is Auctor longe ab Areopagita & diverſus, & diſtans ætate (1). Quæ res cum demonſtrata ab aliis fuerit, mea oratione non eget. Quinto autem ſeculo vixit. Cumque multa excogitarit, ut Areopagitam eſſe ſe, ut amicum Polycarpi, ut alia generis ejuſdem; dicere etiam potuit Therapevtas fuiſſe Chriſtianos, cum eo ſeculo hiſtoricos haberet, quorum ſtudia imitaretur.

Caſſiani autem vetuſtati omni adverſatur opinio. Therapevtas namque non Chriſtianos modo, ſed etiam Monachos fuiſſe ſcribit (2). At primo, alteroque Eccleſiæ ſeculo, nullos uſquam Monachos fuiſse

τὴν μαρίαν λίμνην ἱστορῶν ἐπειρωνίδι, ὃ περὶ τινων ἑτέρων ὁ ἀνὴρ ἱστόρησεν, ἀλλὰ τῶν Χριστιανῶν. Ὅσπερ τῶν γενομένων ἐν τῇ χώρᾳ, Μαρεώτην δὲ τὸν τόπον καλοῦσι, καὶ καταχθεὶς παρ' αὐτοῖς ἐν τοῖς κατὰ τὸν χῶρον τῶν Μοναστηρίοις ὠφέλητο. ἐν ἡμέραις τῆς τοῦ πάσχου ἐκεῖ γενόμενος, τὰς τε αὐτῶν πολιτείας ἐθεάσατο. κ. τ. λ. *Invenies autem quiſquis ſtudioſus es hoc argumentum uberius pertractatum in Philonis commentariis, eoque libro, quem de Jeſſæis inſcripſit: ubi illorum vitæ diſciplinam, ac præconia celebrans, eorumque Monaſteria, quæ ad Marianam paludem circumquaque poſita ſunt deſcribens, non de aliis ullis, ſed de Chriſtianis iſta narravit. Nam cum eam regionem luſtraſſet (Mareotes hic vulgo locus dicitur), atque ad ipſos, eorumque Monaſteria divertiſſet, magnam ab iis utilitatem accepit. Etenim cum ipſis Paſchalibus feriis illuc acceſſiſſet, omnem eorum vitæ rationem diligenter inſpexit &c.*

(1) Multa de ætate Auctoris operum Areopagiticorum viri eruditi diſputant. Quinto ſeculo autem ea fuiſſe ſcripta exiſtimo, ſequutus Michaelis Lequenii Clariſſimi viri *Diſſ.* I. *Damaſcenica* opinionem. Minime tamen illud probo, quod Lequienius putat a Monophyſita aliquo ea opera conflata fuiſſe. Adeundus Bernardus de Rubeis *Diſſ. De fide Auctoris Operum, quæ vulgo Areopagitica dicuntur, præfixa T.* VIII. *Opp. S. Thomæ Aquinatis Edit. Venetæ an.* 1747.

(2) *Lib.* II. *Monaſt. Inſtit. cap.* V. *pag.* 16. *Edit. an.* 1722. „ Nam cum in primordiis fidei pauci quidem, ſed probatiſſimi, Monachorum nomine cenſerentur, qui ſicut a beatæ memoriæ Evangeliſta Marco, qui primus Alexandrinæ Urbi Pontifex præfuit, normam ſuſcepere vivendi, non ſolum illa magnifica retinebant, quæ primitus Eccleſiam, vel credentium turbas in actibus Apoſtolorum legimus celebraſſe ... verum etiam his multo ſublimiora cumulaverant. Etenim ſecedentes in ſecretiora ſuburbiorum loca, agebant vitam tanto abſtinentiæ rigore diſtrictam, ut etiam his, qui erant religionis externæ, ſtupori eſſet tam ardua converſationis eorum profeſſio. Alludit autem ad Philonis librum. Sed errat. Non enim paucos fuiſſe Therapevtas teſtatur Philo. Neque a Marco inſtitui Monachi illi potuerant, ſiquidem erant Therapevtæ in Monachis numerandi. Eſt enim incredibile tam cito propagari eos potuiſſe, ut eum Philo ſcribebat, ubique fere eſſent homines, qui id inſtituti genus profiterentur.

fuisse ex Justino Martyre, Tertulliano, aliisque veteribus plane constat, quorum paullo post testimonia recitabo. Nam quod Montfauconus adjungit (1), Cassianum, qui quarto seculo diu in Ægypti Monasteriis manserit, a viris fide dignis, a quibus institutus fuerat, accepisse, quæ dixit de primo fundatore Monasteriorum Marco, non est credibile. Ea namque quarti seculi Monachis innotuisse, quæ Justinum, qui in Ægypto aliquando fuit, quæ Tertullianum, & quæ Clementem Alexandrinum, quæ Origenem, quæ Athanasium Ægyptios Scriptores, & institutoribus Cassiani aut vetustiores, aut æquales latuerint, persuaderi mihi sin minus demonstratione, at opinione saltem vellem. Interea hoc certum est, eam, quæ vulgari quarto seculo de Therapevtis, fulta Philonis libro, ab Eusebio cœpit; sententiam, manare etiam in Ægypti Monasteria potuisse, induceréque Nitrienses Monachos, ut antiquiora, quam ratio, atque historia ferret, sui Ordinis primordia esse defenderent.

Miror autem quid sit, quod Photium quidam ab Eusebio stetisse pugnent. Nam quid Photius statuat, observatum a nobis est numero superiore (2). Ex qua re intelligi potest, quanto in errore versetur is, quem nominare nolo, & qui ante XVI. Ecclesiæ seculum defendit fuisse neminem, qui Therapevtas Christianam religionem coluisse negaverit. Photius ecce, qui negat, claruit nono Ecclesiæ seculo. Ac duo illi quorum est a Lambecio, & Montfaucono facta commemoratio, & quos supra nominavi, Scholiastæ, etsi Photio æquari vetustate non possunt, tamen diu ante sextumdecimum seculum viguerunt. Sed non est cur multis hoc loco novum illum Scriptorem esse refellendum putem. Etenim quod plura contra historiæ fidem peccaverit, ferri utcumque potest. Est enim erroris caussa inscientia. Quamobrem quod peccavit, imperitia, ignorationeque rerum, non voluntate peccavit. At quod viros doctissimos, atque gravissimos, ut Montfauconum, ut Cotelerium, ut Pagium homo in hoc genere minime versatus, proscinderit contumelia, ut hac una ratione sapere videretur, ferri profecto nullo modo potest. Nunc

(1) Epist. ad Bouyerum *pag.* 160.

(2) Sic enim Photius scribit *Cod.* cv. ἀνεγνώσθησαν δὲ τῶν παρ' Ἰουδαίοις φιλοσοφησάντων τήν τε θεωρητικὴν, καὶ τὴν πρακτικὴν φιλοσοφίαν βίοι· ὧν οἱ μὲν Ἐσσηνοὶ, οἱ δὲ Θεραπευταὶ ἐκαλοῦντο· οἳ δὲ μοναστήρια, καὶ σεμνεῖα (ὡς αὐταῖς λέξεσι λέγει) ἐπήγνυντο, καὶ τῆς νῦν μοναζόντων τῶν πολιτείας ἀρχὴν ἦρξαν. *Lecta sunt rationes vivendi eorum, quorum apud Judæos alii practicam, alii Theoreticam philosophiam colunt. Atque illi quidem Esseni, hi Therapeutæ appellabantur; qui Therapeutæ Monasteria, & Semnea (has ipse Philo voces adhibet) ædificarunt, & vivendi normam his, qui nunc Monasticam vitam profitentur, perscripserunt.* Censet ergo Photius Therapevtas fuisse Judæos, quorum cum laudabile institutum esset, æmulati post fuerint studia Christiani, qui rationem vivendi austeriorem agere constituerant.

Nunc quod dixi antiquitati omni Eusebii, Hieronymi, Epiphanii, Cassiani, Sozomeni, Dionysiastri (1) opinionem repugnare, commonstrandum est, ut liberem, quam dedi fidem. Ergo Justinus Martyr, qui cum in Ægypto aliquando versatus fuerit, tum Philonis opera (2) legit, nusquam tradidit, fieri ab eo Christianorum primorum temporum mentionem. Verum si liber *de Vita contemplativa* mores contineret, & instituta Christiana, commisisset ne vir maximus, qui Philonis ejusdem loca, quæ nobis suffragari viderentur, diligenter collegerat, ut hoc tam præclarum testimonium ab se silentio prætermitteretur? Age vero, si Therapevtæ Christiani fuissent, ausus ne Justinus fuisset in ea, quæ est ad Diognetum (3) Epistola scribere: *Christianos neque regione, neque sermone, neque politicis vitæ institutis a ceteris hominibus discrepare* (4). *Neque incolere eos proprias civitates . . . neque vitæ genus habere, quod re aliqua sibi peculiari notabile sit*? Annon peculiaria plurima Therapevtis erant? Quemadmodum igitur hæc universe dixisset de Christianis, si Therapevtæ ei religioni nomen dedissent, quin se exponeret morsibus Ethnicorum?

Tertullianus autem, qui secundo seculo declinante, tertioque ineunte floruit, satis explicate in quadragesimo secundo Apologetici (5) capite scribit, *traduci* ut *infructuosos* civitati Christianos non posse, ut qui cum Ethnicis degerent, essentque eodem habitu, eodem victu, eadem ad vitam necessitate. Non esse nos Brachmanas, aut Gymnosophistas Indorum, aut Silvicolas, & exules vitæ. At fuissent e Christianis plerique a communi aliorum vivendi ratione sejuncti, si Therapevtæ Christiani fuissent.

Clemens præterea (6), & Origenes (7) Alexandrini Scriptores, qui

(1) Consule Dionysiastri ad *Γάϊον θεραπευτὴν* scriptam Epistolam *pag.61.* & Pachimeris in eumdem locum Commentarios *pag.64.* & S.Maximi, sic enim inscribuntur, *adnotationes pag.63. T.1. Opp. Dionys. Edit. Antuerp. an.1634.*

(2) Vide Cohortationem *ad Græcos pag.10. seq. & pag.14. Edit. an.1615.*

(3) Fuerunt nonnulli, qui dubitarent genuina ne, an spuria hæc esset ad Diognetum Epistola. Ceterum digna Justino est. Adeundi Monachi Benedictini S. *Mauri Edit. nova Paris. an.1742. pag.233.*

(4) *Num.4. pag.235. seqq. mox laudatæ Editionis*: *Χριστιανοὶ οὔτε γῇ, οὔτε φωνῇ, οὔτε ἔθεσι διακεκριμένοι τῶν λοιπῶν εἰσὶν ἀνθρώπων· οὔτε γάρ που πόλεις ἰδίας κατοικοῦσιν, οὔτε διαλέκτῳ τινὶ παρηλλαγμένῃ χρῶνται, οὔτε βίον παράσημον ἀσκοῦσιν κ. τ. λ.*

(5) *Pag.356. seqq. Edit. Havercampianæ an.1718.* „ Sed alio quoque injuriarum titulo postulamur, „ & infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, ejusdem victus, habitus, „ instructus, ejusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanæ, aut Indorum Gymnosophistæ sumus, silvicolæ, & exules vitæ. Meminimus gratiam debere nos Domino Deo creatori. Nullum fructum operum ejus repudiamus. Plane temperamus, ne ultra modum, aut perperam utamur. Itaque „ non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis nundinis vestris, ceterisque commerciis cohabitamus hoc seculum &c.

(6) *Lib.1. Strom. n.15. pag.360. Edit. Oxon. T.1.* & alibi sæpe.

(7) Consule Origenem *lib.iv. contra Celsum n.21. pag.542. seq. Edit. nova, & lib.vi. n.xxii. pag.646.*

qui ex omnibus, imprimisque ex Philone, & Josepho collegerunt, quidquid ad Orthodoxam religionem commendandam, amplificandamque conducere videretur, præterissent ne taciti, quod ad librum Philonis spectabat, quo tot res, tamque magnæ de Therapevtis, si fuissent nostris sacris initiati, continerentur?

Athanasius denique, qui de Monasticæ vitæ originibus loquutus est, qui norat, quæ essent a Philone posterorum memoriæ commendata, qui cum Monachis Ægypti diu multumque conversatus est, & quæ essent eorum traditiones cognorat, Cœnobiticæ ne vitæ institutorem in superiore Ægypto Antonium fuisse (1) usquam statuisset, si Cœnobia Therapevtæ Christianæ religioni addicti ibidem habuissent.

Jam vero Johannes Chrysostomus (2), aliique Patres (3) quarti seculi non tam esse novum Monasticum institutum affirmassent, si a Therapevtis, qui erant ita similes Monachorum, ut nequiret ovum ovo esse similius, culta fuisset Christiana religio. Nilus denique Johannis Chrysostomi auditor numquam statuisset Jessæos fuisse de secta Judæorum, (nam erant iidem atque Therapevtæ Jessæi, ut constitit §. superiore) si Christianam religionem amplexi fuissent (4).

Venio nunc ad eos, qui *septimi* voce non *sabbatum*, sed alium nescio quem diem, fortasse *dominicum*, indicatum esse a Philone existimant. Pugnant enim (atque hoc septimi argumenti loco esto), eum auctorem usurum *sabbati* voce fuisse, si *septimi* nomine *sabbatum* indicare voluisset. At hi nullo modo vident *septimi diei* vocabulo ab Judæis fuisse sæpe *sabbatum* appellatum (5). Erat autem Judæus Philo.

(1) In Vita S. Antonii *pag. 796. Edit. Montfauc.* „ Neque enim sic erant in Ægypto frequentia Mona„ steria, neque ullus norat Monachus vastam eremum, sed quisquis sibi ipsi vacare cuperet, is haud „ procul suo pago, sese exercebat *solus*. Erat igitur tunc temporis in vicino pago senex homo, qui a „ juventute Monasticam egerat vitam. Hunc cum vidisset Antonius, imitari in bono studuit &c. Ex quo Athanasii loco Ascetas, & Anachoretas fuisse aliquos ante ea tempora constat, Cœnobitas non item.

(2) Homilia xxv. in Epist. ad Hebræos *pag. 235. T. xii. Opp. Edit. Montfauc.* de temporibus Apostolicis loquens: οὐδὲ ἴχνος τότε μοναζόντων ἦν. *Neque vestigium tum Monachi erat*, inquit.

(3) Palladius, aliique, quorum testimonia paullo post afferentur.

(4) *Tract. de Monastica Exercitatione cap. III. pag. 2. seq. Edit. Suar. an. 1673.* quo loco sic habet: „ Judæorum quotquot hoc vivendi genus amplexi, posteri Jonadab hi sunt, omnesque sic vivere volen„ tes, excipiendo ad suum traducunt institutum, in Tabernaculis habitant semper vino, & omni deli„ catiori cibo abstinentes, victu tenui utuntur, eumque necessitate corporis metiuntur, valde vero stu„ dent moribus componendis, & ut plurimum contemplationi vacant, unde Jessæi etiam dicuntur. Ce„ terum quis fructus certaminum ipsis... qui Christum certaminum præsidem sustulerant? Quid clarius?

(5) Philo *in lib. quod omnis probus liber pag. 679. Edit. an. 1613.* de Essæis loquens, quos Judæos fuisse, ne is quidem, contra quem agimus, negat, Sabbatumque illis sacrum esse indicans: *Sacrum*, inquit, *existimant septimum, quo ab omnibus aliis operibus abstinent*. En igitur, ut septimum vocet, quin Sabbati utatur vocabulo. Consule etiam Porphyrium *lib. IV. De Abstinentia pag. 391. Edit. an. 1620.*

lo. Atque is profecto, qui illos *in libro de Migratione Abrahami*, ut modo a nobis est observatum, non probat, qui *sabbata*, legesque alias Mosis tollere conarentur, quo tandem modo passus esset, ut quem rejecerat, in eumdem, velut illi videbatur, errorem incideret? Estque id etiam singulare, ut *dominicus* dies, quem ne Christiani quidem *septimum* (1) dicerent, vocatus sic fuerit a Philone, & Judæo, & Judaicis ritibus ita adstricto, ut nemini ab eis putaret deficere licere.

Octavum argumentum habet hoc modo: Si Hebræi erant Therapevtæ, Hebræos illos nominasset Philo. Nusquam vero eos hoc vocat nomine. Rursum quam tandem e judaicis sectam coluissent? Non Pharisæorum, non Sadducæorum, non Essæorum denique, quas descriptas a Josepho fuisse novimus (2). Nullam igitur. At aliquam certe amplexi fuissent, si erant e genere, & religione Judæorum.

Equidem nescio quorsum hæc spectent. Quæ enim necessitas cogebat, ut eos *Hebræos* nominaret, quos ita descripserat, ut facile cognosci posset cujusnam essent religionis? An Essæos, quorum mores in eo libro, qui est *de omni probo quod liber sit*, accurate persequitur, Hebræos vocavit, qui tamen erant sine dubio Hebræi? Satis scilicet Philoni fuit Therapevtas γνωρίμους τοῦ Μουσέως (3) *discipulos Moysi* dicere, ut omnes cognoscerent quam religionem sequerentur. At dici etiam discipuli Moysi Christiani poterant. Non equidem nego. Verum non ab Hebræis, qui illos ut ejus Prophetæ hostes insectabantur. Neque Philo *Moysi discipulos* nominasset homines, quorum sententias, ut ante animadvertimus (4), reprobarat, quasi a Moysi ejusdem legibus abhorrerent. De sectis Judæorum longum est dicere. Non enim duæ, tresve, ut vulgo plerique censent, sed plurimæ numerantur. Qua de re consuli poterit eruditissimus vir Johannes Baptista Cotelerius (5). Fuerunt fortasse aliæ quædam,

 quarum

(1) Christiani namque dominicum diem vel *primam Sabbati*, hoc est *primam hebdomadæ*, vel *Dominicam*, vel *diem solis*, ut Justinus Martyr fecit; *diem* autem *septimum* numquam *dominicum* appellaverunt, ut post ostendam, ubi erit de diebus festis opportunus dicendi locus.

(2) *Lib.II. De Bello Judaico cap.VIII. pag.160. Edit. Haverc. Tom.II.* „ Tria namque apud Judæos „ genera philosophantur, & unius quidem assectæ sunt Pharisæi; alterius vero Sadducæi; tertium, quod „ sane vitam severiorem exercere videtur, Esseni vocantur; gente quidem Judæi, at mutuo sese ma- „ gis amore, quam alii complectentes. Similia repetit *in Vita sua pag.2. T.II. Opp.* Vide Porphyrium *l. c. pag.381.*

(3) De vita contemplat. *pag.695. Edit. an.1613.*

(4) *Ex loc. cit. libri de Migrat. Abrahami.*

(5) *Tomo 1. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ col.760.*

quarum ad nos minime est traducta memoria. Fieri potuit, ut ex harum numero esset ea, quam colerent Therapevtæ. Neque vero curæ mihi est scire Pharisæi ne, an Essæi, aut Sadducæi fuerint. Id enim ad rem non pertinet. Num autem Hebræi fuerint religione, id vero mihi est curæ. Quod cum multis argumentis ostenderim, non est, cur in hisce factis explicandis operam esse conterendam putem. Sed ne quid omittam, quod adversariis placeat, facile patiar, ut Therapevtæ fuerint de secta Pharisæorum. Nam a Sadducæorum opinionibus, ut est perspicuum, alieni erant. Neque vero a Philone in Esseis numerantur (1). Jam vero hæ tres sectæ veluti fontes, atque origines ceterarum, erant, quæ apud Judæos obtinuerant. Quodsi Pharisæi (2), qui Hierosolymis versabantur plerique improbis moribus erant, non tamen omnes, qui & in ea, & in aliis Urbibus vitam degebant. Atque ii quidem imprimis qui in reliqua Judæa, quique in Ægypto illud instituti genus profitebantur, longe ab Hierosolymitarum moribus aberant; cujus rei exempla perplura non in Josephi modo, sed etiam in Patrum Operibus reperiuntur (3).

Nono autem loco propterea Therapevtas Judæos religione fuisse ne-

(1) Eos namque initio libri *de vita contemplativa* ab Essæis distinguit Philo, ut est observatum §. superiore. Quodsi quisquam dixerit *Essæos contemplativos*, non *practicos*, quales erant *Essæi* Philoni memorati, fuisse, non equidem vehementer resistam. Video namque, etsi non omnia, fuisse tamen instituta quadam Essæis, atque Therapevtis communia. Qua de re consuli poterunt Josephus, & Porphyrius locis mox indicatis, ut Philo etiam *Lib. Quod omnis probus sit liber pag.678. seq. Edit. an.1613.* & apud Eusebium *lib.VIII. Præp. Evang. cap.XI.* & XII. *pag.379. seqq. Edit. an.1628.* Atque huc spectant, quæ habet Nilus Asceta, cujus Opuscula edidit Suaresius *Tract. Ascet. cap.III.* Adeundus Cotelerius *Tom.1. Monum. Eccl siæ Græcæ pag.759.* Errat autem vehementer Samuel Basnagius, qui *Tom.1. Annalium ad an. ante Dominum 2. pag.173. seq.* Eusebium pugnantia loqui statuit, quasi Therapevtas Christianos fecerit, quos in Præparatione Judaicam religionem coluisse dixisset. Eusebius enim in Præparatione de Essæis agit, non de Therapevtis, quos ibi nunquam nominat, quosque ab Essæis discrepasse idem ipse contendit Basnagius *l. c.*

(2) Eo verisimilius esse arbitror Therapevtas e Pharisæis esse profectos, quo nonnullos eorum intelligam simile quoddam vitæ institutum profiteri voluisse. Banus *Ex. Gr.* Josephi institutor prodiisse videtur e secta Pharisæorum. Nam Josephus idem *in Vita sua pag.2. T.1I. Opp.* postea quam a Bano secessit, vitam se agere cœpisse scribit, similem sectæ Pharisæorum. Id vero non fecisset, si Bani institutio Essæna potius, quam Pharisæa fuisset similior. Præterea Auctor libri *Juchasin*, quem Drusius citat, Eremitam illum Pharisæum fuisse testatur. At quis nesciat eam institutionem affinem ei fuisse, quam Patres in deserto profitebantur.

(3) Vide Joannem Chrysostomum *Homil.LII. in Matth. n.15.* Quod vero aliqui fuerint Pharisæi optimis moribus, constat ex iis, quæ in Evangelio Johannis de Nicodemo, & de Gamaliele in Actis Apostolicis memoriæ tradita sunt. Adeundus Buxtorfius Senior *Lexic. Chaldaic. & Thalmud. col.1852. seq.* quo loco: *Apparet*, inquit, *fuisse quosdam bonos Pharisæos pie viventes, & a vanitatibus mundi separatos.* Hinc Josephus eam est opinionem, ut potiorem, amplexus. Vide *Vitam Josephi pag.2.* Multa collegit Bouyerus, quæ ad hanc rem illustrandam pertinent *Epist.1. ad Montfauc. pag.47. seqq. & Epist.II. pag.327. seqq.* Quinetiam ostendit *pag.55. seqq.* ex libro Philonis περὶ φυγάδων *pag.456. Edit. an.1691. & lib.* περὶ μέθης *pag.259.* atque ex aliis, *Therapevtas* vocari eos omnes sive Pharisæos, sive alius sectæ homines, qui segregati viverent vitam piam, atque religiosam.

ſe negant, quod eorum ſimiles & in Judæa, & in Ægypto, & ubique gentium plerique eſſent, quemadmodum eſt memoriæ traditum a Philone. Sed eſt idem ipſe auctor tantam Judæorum multitudinem in omnibus terræ regionibus, potiſſimum autem in Ægypto fuiſſe, ut illi indigenarum numerum æquare viderentur (1). Quocirca ſi tanta erat eorum ubique gentium vis, atque copia, mirabile non eſt, ſi etiam ſuos in multis regionibus habuerint Therapevtas. At Philo, inquiunt, de ſecta loquitur, quæ tunc temporis naſci cœperat. Id ſi ita eſt, quemadmodum cadere in Therapevtas poterit, quod is Auctor prodidit, de eorum late longeque facta propagatione (2). Quid? Si veriſimile non ſit eorum diſciplinam recentem fuiſſe, quos Philo narrat & ſenes fuiſſe, & in ea jam uſque a prima ætate verſatos, ut ante oſtenſum eſt.

Proximum eſt, ut de abjectis contemptiſque divitiis a Therapevtis, deque omnium facultatum quas poſſiderent *abrenunciatione* dicam. Eſt enim hæc adverſariorum decima ratio. Intelligo autem eſſe aliquos, qui proprium id fuiſſe Chriſtianorum putent (3), aliarum autem ſectarum non item. Quibus equidem non aſſentior. Nam & Ægyptiorum Sacerdotes nonnullos, & Samanæos Indorum, antequam ſuis magiſtris ſe tradidiſſent in diſciplinam, relinquere, quæ poſſiderent, bona conſueſſe, ut vacui, ac liberi dederent ſeſe contemplationi cæleſtium rerum, traditum ab antiquis Scriptoribus eſt, quibus auctoritatem ſine ratione detrahere non oportet. Sed quoniam Ægyptiorum, Indorumque facta eſt mentio, danda mihi venia eſt, ſi paucis, quæ eſſent eorum inſtituta, quamque ſimilia legibus Therapevtarum oſtendero; ut hinc quiſque poſſit cognoſcere, ſintne etiam illi referendi in numerum Chriſtianorum. Etenim ſi mo-

(1) *Legat. ad Cajum pag.*1023. *Edit. an.*1691.

(2) Etenim ſi tunc cœpiſſent, ſcribere hæc Philo non poterat: πολλαχοῦ μὲν οὖν τῆς οἰκουμένης ἐστὶ τοῦτο γένος. *Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus? pag.*690. *Edit. an.*1613.

(3) Vide Montfauconom *Epiſtola ad Bouyerum* §.1.*pag.*185. ubi *Ce renoncement univerſel*, inquit, *en la maniére, que Philon l'exprime, eſt ſi propre aux Chrétiens de la primitive Egliſe, que bien des gens, qui ſur l'article des Therapevtes, étoient d'un ſentiment oppoſé au mien, ſe ſont rendus à ce ſeul argument.* At is non vidit rationem vivendi Eſſæorum, & abrenunciationem etiam, quam facere ſolerent, facultatum, multo fuiſſe ei, quam primi Chriſtiani ſervarent, ſimiliorem. Joſephus quidem *L.*II.*de Bello cap.*VIII.*pag.*160.*ſeqq. T.*II.*Op.* Eſſæorum mores deſcribit hoc modo „ Iſti a voluptatibus „ tamquam a ſcelere abhorrent; continentiam vero ſervare, & cupiditatibus non ſuccumbere pro virtute „ maxima docent... Matrimonium tamen, & ſucceſſionem legitimam non tollunt, ſed ſibimet a procaci „ mulierum petulantia cavent... Quin & divitias contemnunt, & admiranda plane inter eos obtinet bo„ norum communio... Lege ſancitur, ut qui iſti ſectæ nomen ſuum dare velint, facultates ſuas ſodalitio „ communes faciant; adeo ut inter omnes neque egeſtatis humilitas, neque opum vis immodica appa„ reat, ſed permixtis ſingulorum facultatibus, unum omnium ſit tamquam fratrum patrimonium. Vide cetera, quæ ſequuntur.

ſi morum ſimilitudo in cauſſa fuit, cur Euſebius, & qui eum ſunt conſectati, Therapevtas Chriſtianos fuiſſe defenderent, efficiet etiam, ut vel Indos, Ægyptioſque Philoſophos in cenſu Chriſtianorum habere oporteat, vel, ſi id minus, ego id tamen aſſequar, ut ea ipſa movere neminem poſſit, ut exiſtimet Therapevtas fuiſſe addictos noſtræ religioni. Igitur Chæremon (1) Stoicus Auctor imprimis antiquus Ægyptios Sacerdotes Philoſophos eſſe ſcribit, qui jubeantur locum ſibi ad ſpeculationem ſacrorum deligere. His conceſſum minime eſſe, ut in publicum progrediantur, utque cum aliis colloquia miſceant, niſi diebus quibuſdam feſtis, quibus conventus celebrantur. Ceteris diebus nemini fas eſſe ad eos accedere. Eſſe hanc Ægyptiorum ſanctionem: Illos, qui amplecti hujuſmodi inſtitutum velint, omnia negotia, omnemque parandarum pecuniarum rationem relinquere debere, totamque vitam conſecrare virtuti, & ſpeculationi divinarum rerum. Sacris Sacerdotes, nonniſi in Sanctuario, dare operam. Incedere eos & vultu, & habitu corporis compoſito ad gravitatem. Eſſe eorum tenuem, atque frugalem vivendi rationem. Vino nullo modo eos, aut parciſſime uti. Peracta purificatione pane eoſdem minutim conciſo cum hyſſopo veſci ſolere. Temperare ſibi ab oleo omnes, aut ſæpe, aut omnino. A rebus pleriſque aliis eos abſtinere. Perfectionis ſacrorum definitum tempus eſſe, apud aliquos quidem quadraginta & duorum dierum, apud alios autem vel plurium, vel pauciorum. Inter hos ſeptem numquam prætermitti dies quin ab animatis abſtineant. Samanæorum apud Indos hæc erat ratio vivendi, auctore Porphyrio. Cum quiſquam ſtatuiſſet nomen ei inſtituto dare, hunc, volebant, primum ad Optimates Civitatis acce-

(1) Apud Porphyrium *lib. IV. De Abſtinentia pag. 360. Edit. an. 1620.* qui ſic habet: „ Chæremon „ igitur Stoicus exponens ea, quæ contingunt circa Ægyptios Sacerdotes, ait, Philoſophos eſſe, qui „ ab Ægyptiis ſuſcepti juberentur ſibi locum deligere ad ſacrorum ſpeculationem ... In publicum prodi- „ re, aut cum reliquis miſceri eis non concedebatur, niſi tantum certis anni feſtivitatibus, & publicis „ conventibus. In ceteris vero erant fere inter reliquos Sacerdotes aliis inacceſſibiles: qui enim ad illos „ accedebat, oportebat prius a profanis conſuetudinibus abſtinuiſſe, & multarum aliarum rerum cujuſ- „ modi eſt iſta per Ægyptum communis ſanctio, qui divinorum ſpeculationi, & viſioni ſe volunt adjun- „ gere, oportere omne aliud negotium, omnemque parandarum pecuniarum rationem relinquere, to- „ tamque vitam inſtituto conſecrare ... Nullius rei exiſtentis ſpeculationi (*ſe dedere*) antequam ſe pu- „ rificaverint juxta purificationis neceſſarios ritus, neque rebus ſacris, niſi in ſanctuario, omnibus pro- „ fanis invio, habitaverint .. Inceſſus eorum bene erat compoſitus, aſpectus ex propoſito conſtans ... „ Vivendi ratio erat tenuis, & frugalis. Vinum enim alii omnino non bibebant, alii vero parciſſime ... „ Pane nullo modo utebantur in ſuis purificationibus, quibus peractis, ipſo minutim conciſo, cum hyſſo- „ po condebant ... Oleo autem ut plurimum, nonnulli vero omnino abſtinebant ... Tempus vero, quod „ requiritur ad perfectionem ſacrorum rituum, aliquot dierum complectitur numerum: aliud quidem „ duorum, & quadraginta, aliud hoc conſtituto termino brevius, vel longius; inter quos ſeptem „ numquam prætermittuntur dies, quin omnino ſit eis abſtinendum ab animatis &c.

accedere, eisque nunciare quid consilii cœperit (1). Eos continuo quærere cujas sit; tum comperta Pagi, possessionumque conditione, dimovere hominem de omnium facultatum, quas possidet, statu. Novitium bonis quibusque fortunæ sponte privatum, amictum in talos demissum accipere, discedereque ad Samanæos, quin ad uxorem, si habeat, aut ad liberos, si qui illi sint, multo autem minus ad amicos revertatur. Regem liberorum, uxoris vero familiares curam suscipere. Samanæos in Urbibus nullos esse. Extra illas esse eorum ædes, & templa constructa Regis pecunia. Oryzam, panem, & olera eorum cibum esse. Celebrari ab his conventus hoc modo. Tintinnabulo signum dari. Tum properare omnes in unum locum. In precibus inde fundendis eos occupari aliquamdiu. His absolutis pulsari iterum tintinnabulum. Hoc dato signo, Ministros singulis catinum offerre. Vesci tunc omnes iis, qui mensæ fuerint appositi, cibis, pane, oryza, oleribus. Brevi intervallo temporis convivium absolvi. Post exire quemque, ut quod suum est munus, expleat. Non dubito autem fore aliquos, qui Samanæos, & Sacerdotes Ægyptiorum convenisse in rebus quibusdam cum Christianis primorum temporum fateantur; in ceteris autem nullo modo; quare efficiant annumerari eos nostris nequire. Verum si quæ supra disputata sunt, diligenter consideraverint, non negabunt pleraque Therapevtarum instituta aliena a nostris fuisse; quapropter ne illos quidem haberi oportere in numero Christianorum, quamquam facultates, & bona quibus abundarent, parentibus, aut amicis relinquerent.

Atque erant profecto a Christianis primorum temporum Therapevtæ non aliis plerisque rebus solum, sed etiam hac ipsa, quæ ad opum contemtum pertinet, discrepantes. Nam Therapevtæ si uxore, li-

(1) „ *Samanæi* sunt ex singulis familiis delecti. Cum primum ergo aliquis in ordinem inscribi incipit,
„ ad civitatis primates accedit, qui comperta Urbis pagi, & possessionum conditione, de omnibus eum
„ facultatibus dimovent. Itaque novitius toto corpore supervacaneis spoliato, amictum in talos demis-
„ sum accipit, & ad Samanæos discedit, neque tamen ad uxorem, neque ad liberos, si forte habuerit,
„ se convertit, neque de illis rationem ullam habet, totus apud se contendens. Curam autem libero-
„ rum rex suscipit, ut pro modulo facultatum illis suppeditentur necessaria: curam vero uxoris familia-
„ res. .. Extra Urbem habitant diem totum exercentes in colloquiis de Deo. Habent autem domos &
„ templa regiis sumtibus ædificata, in quibus sunt Oeconomi.... Apparatus autem ille totus consistit ex
„ Oryza, pane, fructibus, & oleribus. Itaque tintinnabulo signum dante omnes in domum pro-
„ perant, ex qua bona pars Samanæorum non egreditur, reliqua precibus occupata. Ubi vero pre-
„ ces absolutæ, rursus tintinnabulum pulsatur. Quo audito, ministri singulis catinum dant; sunt duo,
„ qui præterea non comedunt, ciborum ex Oryza ministerio occupati; atque pro tota varietatis necessita-
„ te nonnihil ex fructibus, & oleribus mensis apponitur. Tandem compendiose cibati exeunt quisque in
„ sua exercitamenta. Porphyrius *ibid. pag.* 407. *seqq.*

re, liberis, fratribus carebant, amicis ſuis relinquebant facultates, ut egere deſinerent (1). Contra Chriſtiani ſi prædia, domos &c. deſerere conſtituerant, ea omnia vendebant, quanti ratio flagitabat, offerebantque Apoſtolis pretium, ut id diſtribuerent, velut cuique diſcipulorum opus erat (2). Quodſi res ita habuit ſeſe, non erat ducenda hinc ratio, cur in Chriſtianis numerandi Therapevtæ eſſent. Nec illis, qui adverſus nos ſentiunt, afferre quidquam adjumenti, quod eſt in Evangeliis de relictione bonorum, poteſt. In diſtinguendis enim primis Chriſtianis, ut verborum Matthæi, ſic diſciplinæ, quæ tempore Apoſtolorum obtineret, habenda ratio eſt.

Nam undecimum argumentum hoc opponunt. Erant, inquiunt, in Nitriæ Monte Monaſteria Therapevtarum. Quid ad rem? At Palladius ſolitarios Nitrienſes, qui quarto ſeculo florebant, deſcribens, ſic loquitur, ut ſimiles hos omnino fuiſſe conſtet Therapevtarum. Leve id quidem eſt. Quid enim eſſe poterat impedimento, quo minus ſtudia Judæorum, qui Therapevticam vitam agerent, ad ſolitarios noſtros quarto demum ſeculo traducerentur? Præterea Nitrienſes Monachi longe aberant a Therapevtarum ſuperſtitione, quippe qui neque vim ullam numeris ineſſe, neque Sabbati religione teneri quemquam, neque in re divina fas eſſe hyſſopo & ſale uti, neque alia multa, quæ ſunt ſupra animadverſa, obſervanda eſſe arbitrarentur. Quinetiam Palladius (3), Auctorque vitæ Sancti (4) Pachomii, Amonem Inſtitutorem tradunt fuiſſe Nitrienſium Monachorum. Hunc vero cum ad Nitriæ montes veniſſet, nonniſi perpauca Monaſteria reperiſſe (quæ ejuſmodi erant, cujuſmodi nunc ſunt ea, in quibus Eremitæ noſtri degunt), quare fuiſſe coactum operam locare in ædificandis novis. At, ſi a Therapevtis ad Monachos quarti ſeculi eſt ea diſciplinæ ratio propagata, nec primus illorum

(1) *De Vita contemplativa pag.891. ſeqq. Edit. an.1691.* „ Facultates ſuas relinquunt filiis, vel „ filiabus, vel cognatis aliis, ultro eis poſſeſſione cedendo. Quodſi illis cognati non ſunt, ſociis, & „ amicis &c.

(2) Lucas *Act. Apoſt. cap.*IV. 34. „ Neque quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſo- „ res agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant „ ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.

(3) Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ *pag.23. Edit. Lugd. Batav. Meurſii an.1616.* οὐκ ὄντων γὰρ ἐκεῖ (ἐν τῷ ὄρει τῆς νιτρίας) τότε συνεχῆ μοναστήρια· οἰκοδομεῖ ἑαυτῷ δύο θόλους κελλίων, καὶ βιώσας ἄλλα εἴκοσι καὶ δύο ἔτη ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ κατορθώσας εἰς ἄκρον τὴν τῆς ἀσκήσεως ἀρετὴν ἐν τῷ μονήρει βίῳ ἐτελεύτησε. „ Neque enim erant ibi (*in Monte Nitria*) frequentia Mo- „ naſteria. Ædificavit ſibi duos Tholos cellularum, & cum vixiſſet alios 22. annos in Eremo, & recte „ ſummam exercitationis virtutem in ſolitaria vita exercuiſſet, deceſſit.

(4) Apud Roſweidum *De Vitis Patrum pag.133.* „ Ab (Ammone) per Dei gratiam primum facta ſunt „ fundamenta converſationis eorum fratrum, qui nunc in Monte Nitriæ commorantur.

illorum Institutor Amon fuisset, neque tam pauca, neque ejusmodi Monasteria invenisset, quæ Cœnobitis minime convenirent.

Est autem illud ridiculum, quod duodecimo loco objici potest, quodque ~~novus~~ quidam Auctor, nescio quo monumento fretus, opponit, certum esse, Judæos Philonis ætate non fuisse delectatos studio allegoriarum. Nam est contra certissimum, Judæos illius temporis in hoc genere plurimum diligentiæ locavisse. Neque vero necesse est, ut aliorum utar testimonio ad eam rem demonstrandam. Satis namque fuerit Philonis libellos versare, ut pernoscamus, quæ illi studia colerent. Sed mitto (1) de re testata, atque explorata dicere. Hoc breve dico; si Essæi, Josepho teste, libros majorum suorum habebant, qui traditiones eorum complecterentur, nihil obstare, quin suos etiam habuerint Therapevtæ, qui, ut mos ferebat, pleni essent allegoriarum.

Nam decimum tertium argumentum est ex hymnis petitum, quos Therapevtæ canere in conventu solerent. Hos enim indicia esse dicunt cultæ ab eis, observatæque Christianæ religionis. Id ego quemadmodum ex hymnis sit consequens, non intelligo. Namque ut mittam, quæ ante sunt de illorum auctoribus disputata, quotus quisque est, qui tam late hæc signa patere non cognoscat, ut non in Judæos solum possint, sed etiam in Brachmanas Indorum cadere? Etenim hi quoque in cœtu hymnorum (2) cantu delectabantur. Scio id negari a Montfaucono, cum agitur de Judæis, quasi ejus nocturni cantus nullum exemplum afferri possit. Sed hymnorum, canticorumque usum jam usque a Mosis temporibus apud Hebræos obtinuisse perspicuum est. Hinc auctus eorum numerus a regio Psalte fuit (3). Quid autem esse potuerit impedimento, quin austerioris vitæ cultores in multam noctem cantum producerent, ne suspicari quidem possum. Ac si recentiores Judæos, qui pii videri velint, in

Tom.I. G eo

(1) Eusebius *lib.*VIII. *Præparationis Evangelicæ cap.*X. refert fragmentum quoddam ex operibus Aristobuli, cujus viri, ut visum nonnullis est, fit initio libri secundi Machabæorum mentio; quod quidem fragmentum satis ostendit, quam illi allegoriæ placerent. Erit fortasse, qui putet, Judæos traditiones nullas habuisse, quæ monumentis litterarum commendatæ essent. Sed convinci facile poterunt Josephi testimonio ajentis *lib.*II. *De Bello cap.*VIII. σπουδάζουσι δὲ ἐκτόπως περὶ τὰ τῶν παλαιῶν συγγράμματα *Summum autem studium adhibent* (*Essæi*) *veterum scriptis*. Hinc enim patet habuisse Essæos libros, quos sibi majores reliquissent. Atque fuisse Hebræis ejusmodi scripta, colligi quoque ex eo Philonis libro potest, qui inscribitur *De specialibus legibus &c. pag.*769. *Edit. an.*1691. ubi scriptum esse ait in legibus prisci cujusdam e sua gente hominis: *dejerato per religionem patris tui &c.*

(2) *Magnum diei, & noctis tempus in laudes Deorum distribuunt &c. Porphyrius l.*IV. de Abstinent. *pag.*406. ubi de Brachmanis agit.

(3) De cantu Essæorum consulendus Josephus *l.*II. *cap.*VIII. *de Bello*.

eo genere exerceri solere testatur Buxtorfius (1) senior, eorumque usus describit, præcentoresque commemorat, qui choris præsiderent; nullum dubium erit, quin ea ipsa consuetudo potuerit apud veteres obtinere. Alioqui hoc restaret, ut eos, quorum est a Buxtorfio facta commemoratio, in Christianis, propterea quod cantu delectarentur, Montfauconus poneret. Quo quid esse potest absurdius? Præterea est quiddam traditum a Philone (2), quod Christiana gravitate indignum esse videtur. Nam in Ecclesiis saltare Bacchantum more Christianos consuevisse, quis credat? Saltasse autem Therapevtas hoc modo, legimus in eo libro, qui *de vita contemplativa* inscribitur. Non moror, quod nonnulli respondent, metaphora uti Philonem. Huc enim si confugerint adversarii, funditus evertent omnem de Therapevtis historiam. Quidquid namque minus arriserit, hoc totum metaphorico sensu dictum ab eo Scriptore fuisse affirmare licebit; itaque summa erit in narratione confusio. Nec placet, quod Montfauconus addit, nihil immodesti in eo genere choreæ fuisse. Ego enim cum hæc in Philonis libro studiose considero, comperio magnam esse inter saltatum Therapevtarum & Bacchantum (3) similitudinem. Quodsi quisquam est, qui tueri illum usum exemplo quorumdam Hispanorum, atque Belgarum conetur, is sic habeat, abusu recenti adduci ad Christianorum societatem Therapevtas non posse. Nam quod majores nostri (4) ita aversabantur, ut eos qui illud agerent, haberi in numero heterodoxorum vellent; id scilicet nonnisi abusus, pravæque consuetudinis loco habendum est.

Decimum quartum, quod adversarii proferunt, habet hoc modo: Christianos eos fuisse, qui sacram mensam, qui templa, qui Diaconos, qui Presbyteros, qui Virgines haberent, qui Sabbato

aqua

(1) *Synagoga Judaica cap.xxi.*

(2) *Pag.902. Edit. an.1691.* εἶτα ᾄδουσι πεποιημένους εἰς τὸν θεὸν ὕμνους πολλοῖς μέτροις, καὶ μέλεσι, τῇ μὲν συνηχοῦντες, τῇ δὲ καὶ ἀντιφώνοις ἁρμονίαις ἐπιχειρονομοῦντες, καὶ ἐπορχούμενοι, καὶ ἐπιθειάζοντες. τοτὲ μὲν τὰ προσόδια, τοτὲ δὲ τὰ στάσιμα, στροφάς τε τὰς ἐν χορείᾳ, καὶ ἀντιστρόφους ποιούμενοι. εἶτα ὅταν ἑκάτερος τῶν ἀνδρῶν, ἰδίᾳ, καὶ καθ' ἑαυτὸν ἑστιαθῇ, καθάπερ ἐν ταῖς βακχείαις ἀκράτου σπάσαντες τοῦ θεοφιλοῦς ἀναμίγνυνται, καὶ γίνονται χορὸς εἷς ἐξ ἀμφοῖν. " Deinde cantant hymnos variis in Deum metris, & " carminibus, nunc simul omnes, nunc alternis vicibus non sine religiosis, & decoris gestibus, atque " accentibus: modo stantes, modo gyrorsum, retrorsumve gradum moventes, utcumque res postulat. " Deinde postea quam uterque virorum seorsum explevit se his deliciis, ut in Bacchicis, velut amore di- " vino ebrii, unum chorum faciunt promiscuum &c.

(3) Vide mox relatum Philonis locum.

(4) S. Johannes Damascenus Essæos in numero hæreticorum haberi voluit, quod res harum similes celebrarent. Vide *Cotelerium Tom.1. Monumentorum Eccl. Græca pag.283.* S. Augustinus autem hanc Judæorum saltandi in conventu consuetudinem reprobans *Enarrat.1I. in Ps.xxxii. §.vi. Melius*, inquit, *tota die foderent, quam tota die saltarent.*

aqua calida uterentur, quique versi ad Orientem orarent; erant autem hujusmodi Therapevtæ; erant igitur Christiani.

Sed hæc omnia demonstrare, quemadmodum competere Judæis etiam queant, nihil negotii est. Ac de mensa quidem, cum satis multa disputata fuerint numero superiore, nihil opus est dicere. Quod ad templa spectat, nego Therapevtis ulla fuisse. Commune semneum, quod Philo nominat, non templi Christiani magis, quam Synagogæ simile erat. Immo vero cum nulla sit ab eo Scriptore vini injecta commemoratio, quod a cœtibus Christianorum non aberat, sit ita, ut Synagogam illud potius fuisse existimem. Nec vero, quod divisæ muro in semneo a viris mulieres essent, consequens inde est, Christianis esse Therapevtas annumerandos. Erat enim ea in Synagogis quoque divisio (1). Descendo ad Diaconos. Hos quales sunt Christianorum, indicari mihi in libro Philonis volo. Nam qui indicatos verbis τῶν διακονουμένων censent fuisse, nihil agunt. Etenim qui ministrabant mensis sive Ethnici, sive Christiani, sive Judæi essent, ab iis quoque διακονούμενοι dicebantur, qui alieni essent a nostra religione. Præterea Philo eos, qui ministrarent, Therapevtas juvenes fuisse scribit; contra vero ab Apostolicis viris diaconi ii seligebantur, qui prædicare Evangelium possent, quæ res non juvenes, sed viros graves poscebat. Quid autem de Presbyteris Therapevtarum loquar, quos constat non ob dignitatem, sed propterea quod a prima ætate hujusmodi institutum essent amplexi, fuisse *presbyteros* appellatos? Nam quod Montfauconus putat eos Therapevtarum presbyteros priores sedes occupasse, qui *ordinatione* ceteris essent antiquiores, commenticium est. Ætatis enim, & diuturni Therapevticæ vitæ cultus sæpe est a Philone facta commemoratio; *ordinationis* numquam. Minime vero illud probo, quod ajunt, apud Judæos nullas fuisse ætate Philonis anus virgines; quare illas, quarum extat in libro *de vita contemplativa* memoria, non Hebræas, sed Christianas censendas esse. Josephus enim auctor est, fuisse apud Essæos plerosque, qui perpetuam colerent castitatem (2). Quæ cum ita sint, sequitur, ut apud Judæos esse quoque potuerint anus virgines. Atque haud scio an Philo anus illas Therapevtarum cum laude memorasset, si illæ & Christianæ religioni adstrictæ essent, & id egissent, quod Judæi nefas esse arbitrarentur. Ex eo vero, quod versi ad

 orien-

(1) Vide Bouxtorfium Seniorem *Synagoga Judaica cap.IX. pag.221. Edit. an.1641.*
(2) *Lib.II. De Bello Judaico cap.VIII. Tom.II. Opp. Edit. Havercampianæ.*

orientem Solem Therapevtæ orarent, non video quid ſequatur. Erat hæc quoque Eſsæorum conſuetudo (1). Quid? Eſsæos ne ab Joſepho nominatos quiſquam Chriſtianos fuiſse dicet? Minime vero. Converſi autem ad Orientem orabant, vel quod verſiculum pſalmi LXXII. *Timebunt te cum Sole* (2) ſic eſse intelligendum cenſerent; vel, ut Rabbini volunt, excitandam nempe eſse precibus auroram (3); vel quod Hieruſalem Alexandrinis orientalis ſit, modo ortus æſtivi ratio habeatur. Ac veriſimile quidem eſt eo illos ſpectaſse, ubi erat templum, cujus ſane non minor eſse apud Therapevtas debuerat veneratio, quam eſset menſæ poſitæ in templi veſtibulo (4).

Non me movet quod addunt de aqua calida. Nam etſi cautum erat, ne quis ea Judæus die ſabbato uteretur; excogitata nihilominus ratio fuit ejus ſanctionis declarandæ ab his, qui in Rabbinorum numero habebantur. Aquam enim Solis radiis (5) calefactam bibi ſabbato poſse ſtatuerunt. Immo vero ne aquam quidem vetitam eſse, quæ calefacta igne accenſo jam uſque a die ſuperiore fuiſset.

Extremum eſt, ut novum illum Scriptorem, cujus paulſo ante a nobis aliquæ ſunt exploſæ ſententiæ, breviter refellam ajentem, diem illum feſtum cujus Philo meminit, neque Paſcha, neque Pentecoſten fuiſſe. Tota enim ejus ratio hæc eſt, quod Judæus homo loquutus de Pentecoſte non fuiſſet, omiſſa Paſchatis, qui dies feſtus Judæorum præcipuus erat, memoria. Sed non animadvertit, hoc fuiſſe Philoni propoſitum, ut diem aliquem indicaret, quo ſolemne convivium a Therapevtis celebrari ſoleret. Itaque ut Paſcha, ſic etiam Pentecoſten nominare potuiſſe. Delegiſſe autem Pentecoſtes diem, quod id ſibi commodum eſſe exiſtimarit (6). Nec minus leve eſt, quod opponit, nullam fieri a Philone mentionem ſacrificiorum, quæ die

(1) *Lib.* II. *de Bello cap.* VII. *de Eſſeis agens*: „ Ante ſolis ortum nihil profani loquuntur, ſed in eum
„ patrias quaſdam preces faciunt, quaſi, ut oriatur orantes.

(2) Sic enim legunt Hebræi.

(3) Vide mox relatum Joſephi locum. Bouxtorfius ſenior *cap.* IV. *Synagogæ Judaicæ pag.* 115. „ Scri-
„ bunt, inquit, ſapientes ſingulis hominibus diem excitandum eſſe, non autem illos a die excitandos,
„ ut Pſaltes regius ait: *Airah Schachar*. *Auroram excitabo*; ideſt, *Ego excito auroram*: *nequa-*
„ *quam vero aurora excitat me*; ut explicatur in Echa Rabbeti *Thren.* II. 19. Sed & neceſſitate coacti
„ facere hoc debent propter preces matutinas, quæ cum ipſo ſole oriente, non ſerius concipiendæ ſunt,
„ docente iterum Davide in *Pſ. Timebunt te cum ſole*; hoc eſt, *in ipſo ſolis ortu precibus ſuis matutinis*
„ *te laudare debent*.

(4) *Vide* Bouyerum *Ep.* I. *ad* Montfauconum §. *ult.* & *Ep.* 2. §. *ult.*

(5) Conſule Bouyerum *Ep.* II. *pag.* 353.

(6) Conſule Bouyerum *Ep.* 2. §. 12. *adv. Montfauc.* & *Epiſt.* II. §. 12. & Montfauconum *Epiſt. ad Bouyerum* §. IX.

die Pentecostes offerebantur. Inane est ab Judæis, qui ad Stagnum Mariam essent sacrificia petere, quæ nonnisi in templo offerri posse arbitrarentur.

Qui si Christiani fuissent, non laicam, sed Monasticam vitam duxissent. Christiani namque (1) plerique omnes in civitate manere, jam usque a tempore Apostolorum, consueverant, sicque, ut ceteri in Republica versabantur. Neque vero traditum ab aliquo veterum est aut jejunasse eos Paschali tempore, aut tanta austeritate vixisse, quantam Philo fuisse scribit austeritatem Therapevtarum. Contra Therapevtæ extra Urbes degebant in Monasteriis, idem institutum profitebantur, itaque sese gerebant, ut hoc tempore Monachi disciplinæ severioris. At erant, dicet quispiam, cum Therapevtis mulieres Therapevtriæ. Fateor. Sed erant Virgines, neque una simul cum viris habitabant, nisi in communi semneo, in quo tamen locum habebant muro a virorum loco divisum. Quod si idcirco Monachi non fuissent, ne *Humiliati* quidem, (ubi Instituti religiosi formam susceperunt, propterea quod manserint in eadem *clausura*), atque *Humiliatæ* essent in Monachis numerandæ (2). Id vero perspicue falsum est.

Restat, ut qualis sit Langii, quam initio retuli, sententia videamus. Ergo Ethnicos fuisse Therapevtas, quamquam erant in Mosis decreta, ritusque propensi, etsi ille verum existimat esse; tamen ita esse arbitror falsum, ut ne verisimile quidem, meo judicio, sit. Quid enim esse minus verisimile potest, quam eos esse a Philone *Mosis discipulos* appellatos, qui & superstitiosas aliquot ceremonias retinerent, & essent de genere Ethnicorum? Therapevtas autem *γνωρίμους τοῦ μωσέως* vocat Philo. Non erant igitur Ethnici. Ac Judæum hominem, qui multos in sua religione haberet, qui severam disciplinam profiterentur; deligere Ethnicos voluisse, quos omnibus & exteris, & suis etiam anteponeret, non modo difficulter credi, sed omnino credi non potest. Novimus scilicet mores Judæorum. Minus enim prodigi adversus eos, quos ortu profanos sciunt, esse suarum laudum solent. Sed hujus opinionis levitas cum confutata ab aliis sit, non desiderat longiorem orationem.

Neque vero is ego sum, qui in moribus, eaque vivendi ratione,

(1) Constat id *ex Actibus Apostolorum*, atque Apologistis, Athenagora, Justino, & Tertulliano. Ac Justini quidem, & Tertulliani loca paullo ante recitata sunt.

(2) Vide Humbertum de Romanis *lib.II. de modo prompte cudendi Sermones cap.XXXVIII. pag.474 Tom.XXV. Edit. Lugd. Bibl. Patrum.*

ne, quam Therapevtæ iniſſent, nonnulla fuiſſe negem, quæ veros Moſis diſcipulos (1) dedecerent. Verum cum jam inde a multo tempore magnus Judæorum numerus in Ægypto, & Græcia &c. eſſet, factum hinc eſt, ut illi, quemadmodum Philoſophandi rationem, ſic aliquas conſuetudines ſibi adoptarent, quæ fuiſſent propriæ Ethnicorum. Sed de Therapevtis ſatis dictum eſto.

§. VI.

Chriſtiani quandoque vocati Piſciculi.

I. *Cur dicti* piſciculi *Chriſtiani*? II. *Chriſto etiam tributa plerumque ea eſt a Patribus appellatio*.

I DEſcendo ad nomen *piſciculorum*. Eſt autem illud interdum a Patribus uſurpatum (2). Cauſſa ejus appellationis hæc fuit. Cum aqua *baptiſmi* regenerari nos ad novam, ſpiritalemque vitam majores noſtri intelligerent, ſimilitudinem e piſcibus, qui in aqua gignuntur, nec vivere ſine aqua poſſunt, duxerunt, iiſque omnibus, qui baptizati, Chriſtianam religionem amplexi eſſent, indiderunt nomen *piſciculorum*. Illud quoque accedebat, quod in Evangeliis legerent fuiſſe a Chriſto *piſcatores hominum* Apoſtolos appellatos, comparatamque ſagenæ Eccleſiam, quæ ex omni genere piſcium congregaret. Quapropter Clemens Alexandrinus hortatus Chriſtianos in Pædagogo eſt (3), ut qui annulos ferrent, hi *piſcis* figuram in illis inſculpi curarent, ne ſuæ originis obliviſcerentur. Neque

(1) Hujuſmodi namque erant choreæ illæ, ſaltatuſque Bacchantium more facti, veneratio numeri ſepties ſeptimi, quaſi ei vis ineſſet aliqua, quam propriam cenſerent eſſe *Trianguli rectanguli* principii generation s rerum &c. quæ digna erant Pythagoræis, aliiſque gentilibus potius, quam Hebræis, qui Moſen Magiſtrum ſequerentur. Idem autem de Therapevtis atque de Eſſæis dicendum eſt. Namque hos Eſſæos ab Ethnicis pleraque fuiſſe mutuatos oſtendit Lucas Holſtenius magnus imprimis vir, atque ſapiens *in adnotationibus ad Porphyrii Vitam Pythagoræ pag*.11. *Ed. Kuſteri*.

(2) Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap*.1. *pag*.224. *Edit. an*.1675. „ Sed nos piſciculi ſecundum „ *ἰχθὺν* noſtrum Jeſum Chriſtum in aqua naſcimur, nec aliter, quam in aqua permanendo ſalvi ſu„ mus. Ita Quintilla monſtruoſiſſima (quæ baptiſmum deſtruebat) ... optime notat piſciculos necare de „ aqua auferens &c. Huc fortaſſe ſpectant, quæ habet Clemens Alexandrinus *Lib*.III. *Pædagogi cap*.XI. *pag*.289. *Edit. Oxonienſis*. *Si ſit aliquis, qui piſcetur, meminerit Apoſtoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur*.

(3) Clemens Alexandrinus loco mox indicato: *αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων* ... *ἢ ἰχθὺς* &c. *Sint autem nobis ſignacula* ... *vel piſcis &c.* Vide, quæ de Onyche annulari Chriſtiano, qui erat in Muſæo Kirkerii, diſputat eruditiſſimus Lupius S. I. *Diſſert. ad Mon. S. Severæ pag*.64. In eo autem inſculpti piſces duo cernuntur. Extat præterea apud Petrum Franciſcum Fogginium virum clariſſimum, & amicum meum ſimilis annularis lapis, cujus ſchema exhibere placuit in extremo hoc Paragrapho.

Neque vero in annulis ſolum, atque lucernis (1), ſed etiam in urnis ſepulcralibus hanc eamdem figuram Chriſtiani veteres exprimebant (2); quo quidem ſigno plerumque fit, ut noſtrorum ſepulcra diſtingui a ſepulcris Ethnicorum poſſint. Eoque facilius inducti fuerunt, ut hoc ſymbolo uterentur, quo vocem Græcam ΙΧΘΥΣ (3), quæ *piſcem* ſignificat conflatam eſſe ex initialibus litteris appellationum *Jeſu Chriſti Filii Dei, ſervatoriſque noſtri* perſpicerent. Quamobrem in aliquot ſepulcris non *piſcis* figura modo, ſed etiam litteræ, quibus vox ΙΧΘΥΣ componitur, inſculptæ cernuntur (4). Cujus quidem rei præclarum a Fabretto, & a Bonarrotio affertur exemplum. Manavit autem is uſus, ut aliquorum fert opinio (5), ex eo etiam carmine, quod *acroſtichis* dicitur, adſcribebaturque Sybillæ Erithrææ, propterea quod ejus initiales verſuum litteræ collectæ hujuſmodi voces forment ΙΗΣΟΥΣ. ΧΡΙΣΤΟΣ. ΘΕΟΥ. ΥΟΣ. ΣΩΤΗΡ. *Jeſus Chriſtus Dei filius Salvator*; rurſum harum initialibus componitur vocabulum ΙΧΘΥΣ, hoc eſt *piſcis*, ut paullo ante diximus.

2 Sed animadvertendum eſt hujuſmodi litteris Chriſtum potius, quam Chriſtianos in ea inſcriptione ſignificari, quam Bonarrotius refert. Etenim continuo cernitur littera N, quæ explicata Νικᾷ ſonat, quod vocabulum in idem recidit, atque verbum latinum *vincit*.

(1) Vide Aringhium *l. mox indicando Roma ſubterranea*.

(2) Vide *Tab.xx. &c.* xxxv. in Opere inſcripto: *Sculture e pitture ſacre eſtratte da Cimeterj di Roma &c. Edit. Rom. an.1737. T.1.* quod quidem opus elaboratum eſt ab Johanne Bottario eruditiſſimo viro, & ſecundo Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtode *& pag.12. ejuſd. Operis*. Boldettum *Oſſer. ſopra i Cimiterj lib.1. cap.iv.* Fabrettum *Inſcript. cap.viii. n.xlv.pag.569.* & Aringhium *Roma ſubterranea lib.vi. cap.xxxviii.ſeqq. pag.619. ſeqq. Edit. an.1651.* In lucernis etiam fictilibus pingere Chriſtiani veteres conſueverant figuras piſcium. Adeundus Aringhius *loc. cit. pag.620.*


(3) Conſule Fabrettum loco mox indicato, & Philippum Bonarrotium *Oſſer. ſopra alcuni frammenti di Vaſi antichi di vetro &c. Explic. Tab.1. fig.2. pag.16. ſeq. Edit. an.1716.* Huc autem pertinet S. Optati Melevitani teſtimonium *lib.iii. contra Parmenianum pag.62. Edit. an.1631.* „ Hic eſt piſcis, „ qui in baptiſmate per invocationem fontalibus undis inſeritur, *ut* quæ aqua fuerat, a piſce etiam piſcina vocitetur. Cujus piſcis nomen ſecundum appellationem græcam in uno nomine per ſingulas litteras turbam ſanctorum nominum continet, ἰχθὺς, quod eſt latine *Jeſus Chriſtus Dei filius Salvator*.

(4) Adeundi Fabrettus, & Bonarrotius *ll. cc.* & Boldettus, qui accuratius rem exhibet *Oſſerv. ſopra i Cimit. lib.1. cap.xiv. pag.58.*

(5) Notum enim eſt quauri apud Patres ea carmina fieri ſolere. *Conſule Orationem Conſtantini Imperatoris ad Sanctorum Cœtum cap.xviii.* quæ extat poſt Euſebii *de Vita Conſt. opuſ. Edit. Cantabrig. pag.700. ſeq.* quo loco de Sibylla loquens: σαφῶς, inquit, ταῖς προτάξεσι τῶν πρώτων γραμμάτων ἥτις ἀκροστιχὶς λέγεται, δηλοῦσα τὴν ἱστορίαν τῆς τοῦ Ἰησοῦ καταλύσεως. ἔστι δὲ ἡ ἀκροστιχὶς αὕτη Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ „ Primis verſuum elementis (quod genus „ *acroſtichis* vocatur) Hiſtoriam adventus Jeſu Chriſti apertiſſime declarans. Eſt autem Acroſtichis hujuſmodi: *Jeſus Chriſtus Dei Filius Salvator &c.* S. Auguſtinus *lib.xviii. cap.xxiii. pag.505. Operis de Civ. Dei Edit. Pariſ. Monach. S. Mauri T.vii. Opp.* poſteaquam Sibyllæ carmen retulit, de quo agimus; hæc continuo addidit: *Horum autem Græcorum quinque verborum quæ ſunt* Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, quod eſt latine *Jeſus Chriſtus Dei filius Salvator*; *ſi primas litteras jungas, erit* ἰχθὺς, *id eſt* piſcis, *in quo nomine intelligitur Chriſtus*. Conſule Auctorem *lib. de Promiſſ. & Prædic. Dei Part.ii. c.xxxix. pag.168. inter Opera S. Proſperi Edit. an.1711.*

vincit. Quare indicat *piſcem*, hoc eſt *Chriſtum* eſſe *victorem*. Atque eſt illud ſatis compertum, & exploratum Chriſtum imprimis denotari *piſcis* ſymbolo (1). Ergo in nonnullis Chriſtianæ antiquitatis monumentis Tobiæ, ac Piſcis figuræ viſuntur (2), qui ſane *piſcis* præſefert *Chriſtum* ſervatorem. Quemadmodum (3) enim *piſcis* virtute & pulſus e Sara uxore Tobiæ filii dæmon, & reſtituta Tobiæ Patri facultas videndi fuit, ſic poteſtate Chriſti & ille ipſe Diabolus ejectus e mundo eſt, & genus hominum divinæ veritatis lumine colluſtratum.

Ac factum quidem hinc eſſe arbitror, ut qui digni eſſent Chriſtiano nomine, hi ab aliquot Patribus (4) *Piſcis* filii vocarentur. Sed de *Piſciculorum* vocabulo hactenus.



§. VII.

(1) Optatus Milevitanus *l. c. Cum piſce illo*, inquit, *qui Chriſtus intelligitur*. Vide locum mox recitatum S. Auguſtini.

(2) Vide Bonarrotii *Obſerv. Tab.* II. *fig.* 2.

(3) Optatus *l. c.* „ Sed neſcio, inquit, an cum illo piſce, qui Chriſtus intelligitur, qui in lectione „ Patriarchæ legitur in Tigride flumine comprehenſus, cujus fel, & jecur tulit Tobias ad tutelam fæminæ „ Saræ, & ad illuminationem Tobiæ non videntis, ejuſdem piſcis viſceribus Aſmodæus Dæmon a Sara „ puella fugatus eſt, quæ intelligitur Eccleſia, & cæcitas a Tobia excluſa eſt &c. Vide Auctorem Operis *de Prædict. & Promiſſ. Dei l. c.*

(4) Hieronymus *Epiſt.* VII. *Edit. Martianæi al.* XLIII. *ad Chromatium pag.* 13. *Tom.* IV. *Opp.* Bonoſum laudat, quod ſe quaſi *filium* ἰχθύος gerat.

§. VII.

Interdum etiam Gnostici.

I. Christiani aliquando hoc nomine appellati. II. Immutata tamen ejus vocis deinceps significatio est ita, ut in Monachos caderet. III. Unde orta ea appellatio fuerit, & quemadmodum Christianis tributa.

I. SEquitur, ut de nomine τῶν γνωστικῶν *Gnosticorum* pauca dicam. Igitur nullum dubium est, quin aliqui Patres Gnosticos appellaverint eos, qui orthodoxam Christi religionem profiterentur (1). Id vero eo consilio factum fuisse puto, ut ostenderent Christianam Philosophandi rationem non in rebus, quæ sub sensum cadant, fluxæve, atque caducæ sint, sed in sempiternis, certis, stabilibus denique, quæ mutari nullo modo possint (2), inque erga Deum, & proximum amore, ac pietate versari. Esse namque hoc Christiani institutum censebant, ut cognoscat dominum, qui veritas, qui sapientia, qui virtus Dei est, ut eum colat, ac vene-

(1) Clemens Alexandrinus *lib.1. Stromat. pag.345. Edit. Oxoniensis.* *Sufficit Gnostico* (loquitur autem de Christiano) *si vel unus inventus sit auditor &c.*

(2) Nam γνῶσις a veteribus Græcis, qui Philosophiæ nomine gloriabantur, non quæcumque, sed ea *cognitio* dicebatur, quæ ad res sempiternas, & a sensuum perceptione remotas pertineret. Itaque Clemens Alexandrinus *lib.VI. Stromateon cap.VIII. pag.775. Edit. Oxon.* eamdem in nostros transtulit & vocem, & vocis significationem. Definit enim γνῶσιν hoc modo: γνῶσις ἐστὶν ἡ περὶ τὰ ὄντως ὄντα καταγινομένη, quæ sic sunt omnino vertenda: *Cognitio circa illa occupata est, quæ vere sunt.* Explicat hanc enim paullo post, evolvitque sententiam: *Cognitio est animæ contemplatio rerum illarum, quæ vere sunt, sive unius ex illis, sive plurium, sive denique, cum perfecta est, omnium.* Sed paullo aliter notionem τῆς γνώσεως explicari aliquando a Clemente non nego. Quamquam est ea in vocibus, non vero in re ipsa diversitas. Postquam enim prudentiæ non unum esse genus dixit, γνῶσιν addit eam esse prudentiæ partem, quæ demonstrare potest primarum veritatum cognitionem, ex quibus vel nata sint omnia, vel nascantur. Primas autem eas veritates τὰ πρῶτα αἴτια *primas caussas* vocat. Adjungit eamdem σοφίαν, vel ἐπιστήμην vocari. ὅταν δὲ ταύτην ἀποδεικτικῷ λόγῳ βεβαιώσῃ τις, γνῶσίς τε καὶ σοφία, καὶ ἐπιστήμη ὀνομάζεται. „ Si quis autem scientiam primarum veritatum demonstrativa „ ratione confirmaverit, nominatur cognitio sapientia, & scientia. *Lib.VI. num.XVII. pag.820. Opp. T.II. Edit. Oxon.* Quamobrem res illæ, quas γνῶσις contemplatur, sunt, auctore Clemente τὰ πρῶτα αἴτια, & τὰ ὄντα *prima caussa*, *& ea quæ sunt* sine immutatione. Nam τὰ ὄντα sic ex Orientalium Philosophorum opinione definit Jamblichus *Vit. Pythagoræ cap.XXIX. pag.135. Edit. Kusteri.* *Sunt expertia materiæ, æterna, & per se operantia, qualia sunt ea, quæ vacant corpore.* Adjicit: *Corporea vero & materialia, & facta, & corruptioni obnoxia entis, nullo modo entia sunt.* Similia fere persequitur Jamblichus in Nicomachi Arithmeticam, quem in locum Samuel Stenulius in *adnotationibus pag.78.* multa aliorum veterum congerit testimonia, quæ eodem pertineant. Redeo ad Clementem. In τὴν γνῶσιν in moribus etiam versari affirmat, atque sic quidem differit *num.VI. pag.731. Edit. Oxon.* *Orat Gnosticus etiam cogitatione omni hora, per caritatem familiaris effectus Deo.* Et *lib.VII. pag.881.* *Ex hoc ipso quod sit Gnosticus exercet ipse beneficentiam, ut qui factus sit instrumentum Divinæ bonitatis.* Mitto alia quæ huc spectant Clementis testimonia ne sim longus.

retur, ut amore erga illum feratur, ut proximis præsidio atque adjumento sit. Quodsi perversum quoddam genus hæreticorum hanc sibi arrogavit appellationem, deterrere nihilominus Orthodoxos ab ea usurpanda non potuit. Neque enim Catholicos temperare sibi ab illo nomine oportebat, propterea quod essent aliqui perversa doctrina, improbisque moribus homines, qui eodem abuti auderent. Itaque & Clementis Alexandrini, & sequentium porro Patrum temporibus fuerunt, qui ultro se, verosque Christianos omnes *Gnosticos* nominarent.

II. Sed immutata aliquando ejus vocis notio ita fuit, ut non in quemque Christianum, sed in unos *ascetas* cadere videretur. Quamobrem Athanasius *ascetas* (1) *in Ægypto γνωστικὺς* vocat. Est autem auctor Socrates ab Evagrio Pontico editum fuisse in usum eorum *ascetarum* librum, quem *γνωστικὸν* inscripsisset (2), cujusque partes quædam etiamnum extant. Atque in harum partium aliqua fit Μονάχυ τῆς παρεμβολῆς τῶν γνωστικῶν τῦ δοκιμοτάτυ (3) mentio. Vitio autem interpretis factum esse, ut is Monachus in hæreticorum numerum referretur, qui sibi *sapientiam γνῶσιν* arrogabant, recte est a Valesio (4), & Binghamo (5) animadversum. Neque enim ponendus in hæreticis erat is, qui ob singularem virtutem adeptus est *τῦ δοκιμωτάτυ τῶν γνωστικῶν Probatissimi cognitione præditorum* appellationem.

III. Postulat autem instituti ratio, ut investigem, unde hoc nomen originem duxerit. Ergo cogitanti mihi, sæpeque animo repetenti, quæ a Pythagoricis de *γνώσει* & sapientia dicta sunt, ea tandem opinio visa est propius ad veritatem accedere, quæ *τῶν γνωστικῶν* nomen profectum a Pythagoricis Platonicisque Philosophis esse defenderet. Cum enim tantum hi sibi tribuere consuessent, ut se in perpetuis, sempiternis, immotisque rebus considerandis occupatos esse gloriarentur, sibique propriam esse *γνῶσιν* affirmarent; Christiani qui post viguerunt, & qui certo scirent, si cui umquam, nostræ

(1) Athanasius apud Socratem *lib.* IV. *cap.* XXIII. *Hist. Eccl.*

(2) Socrates loco laudato: *Ab hoc & libri admodum accurati perscripti sunt, quorum unus Monachus inscribitur, seu de virtute activa: alter Gnosticus, seu ad eum, qui dignus esse meruit cognitione. pag.* 235. *Edit. an.* 1668. Ex quibus verbis plane est consequens, præcipuum quod est in γνώσει, esse cognitionem; cetera vero, quæ ad actionem spectant, ea esse veluti consectaria quædam τῆς γνώσεως, quod quidem recte est a Clemente Alexandrino observatum *lib.* VI. *Stromat. pag.* 774. *Edit. Oxon.* quo loco: „ Ex *doctrina*, inquit, *est cognitio: scientiam autem sequitur appetitio, post quam actio.*

(3) *Monachi Paremboles Gnosticorum, seu cognitionis præditorum probatissimi.*

(4) Valesius *in Adnot. ad cap. mox laudatum lib.* IV. *H. E. Socratis.*

(5) Bingh. *Antiq. & Orig. Eccl. l.* 1. *c.* 1. §. III.

ſtræ quidem certe Philoſophandi rationi hoc eſſe peculiare, ut de ſummis (1), ſempiternis, iiſque omnibus, quæ mutationem pati non poſſint, agat; in eam inducti ſententiam ſunt, ut ſolos Chriſti ſectatores γνωστικοὺς eſſe dicendos arbitrarentur. Ergo hi Apoſtolum Paulum imitati, quam Philoſophi, & genus quoddam hæreticorum γνῶσιν (2) jactarent, falſo ſic eſſe appellatam conſtituerunt, ut quæ indigna eſſet hoc tanto nomine, propterea quod multis eſſet, iiſque graviſſimis erroribus implicata; quam autem Orthodoxi colerent ſapientiam, eam & veram eſſe merito affirmarunt, & dignam, quæ γνῶσις diceretur. Eſt autem illud veriſimile, nonnullos fuiſſe Pauli ætate Hæreticos (3), qui γνῶσιν ſibi arrogantes, γνωστικοὶ *Gnoſtici* nominari vellent. *Falſo* autem illa *vocata* γνῶσις non aliorum initio eſſe potuit, niſi Philoſophorum. Quamobrem τῶν γνωστικῶν, & τῆς γνώσεως ex Philoſophis nomina manaverunt. Cumque Platonici, & Pythagorei imprimis agere ſe de ſempiternis, maximiſque rebus dictitare ſolerent, in quibus pars magna τῆς γνώσεως conſtituta erat (4), factum hinc mea quidem ſententia eſt, ut ex his maxime profectæ eædem voces eſſe videantur. Neque enim nomina ea barbara ſunt, ut aut a Perſis, aut a Syris, aut ab Arabibus ſint repetenda. Sed cum Pythagorica ſcita, atque decreta in Orientem lapſu temporum pervaſiſſent, coliqueab Ægyptiis, Syris, Judæis, Helleniſtis, aliiſque gentibus incœpiſſent; mirabile non eſt, ſi voces etiam ipſæ eodem una cum dogmatis penetraverint, fuerintque deinceps in cauſſa, ut a Chriſtianis Orientalibus Catholicis quidem (5) jure; hæreticis vero injuria uſurparentur.

Altera pars τῆς γνώσεως erat de moribus. Atque ei Pythagorici

(1) Adiſis Clementem Alexandrinum *locis ſupra indicatis*, Imprimiſque *lib.*VI. *pag.*774. *ſeqq.*

(2) *Epiſt. ad Timoth. cap.*VI. *v.*20. ἐκτρεπόμενος ..... ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. *Devitans .... oppoſitiones falſo nominatæ cognitionis*. Conſule Clementem Alexandrinum *lib.*II. *Stromat. n.*XI. *pag.*457.

(3) Ita enim cenſent, in hunc locum *Apoſtoli*, Chryſoſtomus, Theodoretus, & alii plerique Patres. Ac Paulus quidem eos, qui jactarent τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν *circa fidem excidiſſe* ſcribit. Quæ res cadere, niſi in hæreticos, qui veram fidem pervertiſſent, in alium quemquam non poteſt. Hinc Gnoſtici hæretici qui ætate Clementis Alexandrini Eccleſiam infeſtabant, Epiſtolam ad Timotheum reprobabant, quod *hac voce* convincerentur. Vide Clementem ipſum *lib.*II. *n.*XI. *pag.*457. *T.*I. *Edit. Oxon.*

(4) Ut paullo ante conſtitit ex iis, quæ ex Clementis Alexandrini libris producta ſunt.

(5) Nam his vera ſublimium Myſteriorum de rebus ſempiternis cognitio conceſſa eſt. Atque hæc eſt vocis γνώσεως propria in ſacris litteris ſignificatio, ut indicet intelligentiam ſublimium ſenſuum, qui Scripturis continentur. Igitur I. *ad Cor.*XIII. *v.*2. πᾶσαν τὴν γνῶσιν *omnis cognitio* in idem recidit, atque εἰδέναι τὰ μυστήρια, *ſcire Myſteria*, differtque ἀπὸ πάσης πίστεως *ab omni fide*, quod hæc ſit γνώσεως ſubtilior intelligentia. Recenſetur autem γνῶσις inter Spiritus Sancti dona I. *Cor.*XII. 8. Quamobrem ſumitur interdum hæc eadem vox in bonam partem ab Auctore Epiſtolæ, quæ Barnabæ tribuitur

rici præ ceteris dabant operam, quorum sunt a Jamblicho (1), & Porphyrio (2) præcepta monumentis mandata litterarum. Erant autem primorum Christianorum mores mirandum in modum compositi ad concordiam, & probitatem. Itaque competebat illis, quod ad hanc etiam partem attinet, appellatio *Gnosticorum*. Verum quoniam temporum progressione immutata vivendi ratio est, inque deterius mores nostrorum vergebant; translata est vocis significatio, ut eos potissimum indicaret, qui cum Monasticam vitam amplexi essent (3), tum se totos & contemplationi dediderant divinarum rerum, & exercere solebant singulari diligentia in operibus virtutis, ac pietatis.

§. VIII.

Rursum vocati I. *θεοφόροι, seu* Deiferi. II. *χριστοφόροι, seu* Christiferi. III. *πνευματοφόροι, seu* Spiritiferi. IV. *ἁγιοφόροι, seu* Sanctiferi. V. *Ναοφόροι, seu* Templiferi.

I. FUerunt praeterea Christianorum aliqui, qui se *θεοφόρους*, hoc est *Deiferos* nominarent. Sunt autem hujus nominis jam usque ab secundo Ecclesiæ seculo primordia repetenda. Namque Ignatius Martyr Johannis Evangelistæ Auditor, & Episcopus Antiochenorum cum in suarum Epistolarum inscriptionibus (4), tum in colloquiis, quæ habuit cum Trajano Imperatore, rogatus quis esset, & quam tandem religionem profiteretur, *θεοφόρον* se esse dixit, quod *Christum*, qui Deus est, *in corde suo portaret* (5). Neque enim Anastasium Bibliothecarium moror, qui proptera id sibi nomen Ignatium vindicasse putat (6), quod is ille puerulus fuerit, cui adstantibus Apostolis,

buitur *cap.*VI. & X. Sed de his multa Interpretes sacrorum Bibliorum novi Testamenti disputant, quos consulere Lector poterit.

(1) *De Vita Pythagoræ cap.*XXVII. *seqq. Edit. Kusteri*.

(2) *De Vita Pythagoræ pag.*37. *seqq. Edit. Kusteri*.

(3) Consule quæ supra ex *Socratis H. E.* allata sunt.

(4) Sic enim scribit initio suarum septem Epistolarum, quæ genuinæ sunt, extantque *Tom.*II. *Apostolicorum Patrum pag.*11. *Edit.* 1724. neque enim otium est de ceteris editionibus earumdem differere. Ἰγνάτιος ὁ καὶ θεοφόρος. *Ignatius, qui & Theophorus*. Factum autem hinc est, ut a multis Ἰγνάτιος ὁ θεοφόρος fuerit appellatus, quorum testimonia numerat Cotelerius *not.*2. *in Epist. Ignatii ad Ephesios T.*II. *Apost. PP. pag.*11. *Edition. cit.*

(5) Acta Ignatii *T.*II. *PP. Apostolicor. pag.*158. *Edit. an.*1724. *Ignatius dixit, nemo Theophorum vocat cacodæmonem . . . Trajanus dixit, quis est Theophorus? Ignatius respondit: qui Christum habet in pectore*.

(6) Anastasius Bibliothecarius in Scholiis *ad actionem* I. *Octavæ Synodi Tom.*VIII. *Concilior. Edit. Lab-*

lis, impositæ manus a Christo Servatore fuissent. Nam quod ille sibi Græcos præsidio esse censet, leve omnino est. Veteres nos quidem, qui accurate sunt in rebus Ignatii describendis versati, non recentiores Græcos, qui sua volumina fabulis referserunt, audiendos esse arbitramur. Ac Johannes Chrysostomus (1), qui antequam Episcopatu Constantinopolitano potitus esset, Presbyter Ecclesiæ Antiochenæ fuit, numquam visum ab Ignatio Christum fuisse testatur. Quamobrem si Græci, quos Anastasius audivit, sive cum Romæ ageret, sive cum ad octavam Synodum profectus esset (2), eam ob caussam θεόφορον dictum fuisse existimarunt, magno in errore versati fuerint necesse est. Nec vero illis suffragio est, quod Ignatius in Epistola ad Smyrnæos scribit (3), ἐγὼ γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα. Est enim hic locus sic omnino vertendus. *Ego enim & post resurrectionem eum in carne novi*, non vero *vidi*, ut sapienter est a gravissimis, eruditissimisque viris Eusebii, Codicum Mss. & Rufini auctoritate demonstratum (4). Labitur quippe Johannes Dallæus, qui non οἶδα, sed εἶδον, vel ἴδον contra atque veterum testimonia, & antiqui Codices postulent, legendum esse existimavit. Sed quoniam alio propero, mitto de homine dicere, qui ut suæ sectæ opiniones tueri posset, id eniti maxime voluit, ut omnem Ignatianis Epistolis adimeret auctoritatem, quas sibi, si ponderis alicujus viderentur esse, repugnare perspiceret.

Verum etsi Ignatius eam esse vocis θεοφόρος significationem dixit, quam paullo ante retuli, fatendum tamen est, cognomen etiam hoc

Labbeana Parisiensis pag.094. „ Tradunt Græci, inquit, quod parvulus, quem Dominus advocatum statuit in medio dicens: *nisi conversi &c.* iste Ignatius fuit, & idcirco hunc Deiferum nuncupant &c.

(1) Homilia In S. Ignatium Martyrem *n.4. Editionis Montfauconianæ Paris. Tom.11. Posteaquam defunctus est (Christus), non solum Petrus, & Paulus, sed etiam Ignatius. qui eum non viderat, nec ulla cum ipso familiaritate conjunctus fuerat, tantam pro illo animi alacritatem ostenderat &c.*

(2) Nam hoc postremum verisimilius esse putat Pearsonus Auctor Anglus ex eorum hæresi quos Episcopales vocant *Vindiciarum Ignat. Part.11. cap.x11. pag.413. Tom.11. Apostolicor. Patrum Edit. laudata*. Græcorum vero scripta, qui ætate Anastasii vixerint, eamque fabulam tradiderint, nulla reperio. Non me tamen fugit fuisse post e Græcis plerosque, qui eam a suis acceptam, litterarum mandaverint monumentis, Consulendi Metaphrastes *In Martyr. S.Ignat. Tomo eodem Apostolic. Patrum pag.163. P.1.* & Nicephorus Callixtus *lib.11. cap.xxxv. Historiæ*. Sed de hac re copiosius disputat Johannes Baptista Cotelerius *In Epist. ad Ephesios n.2. pag.11. Tom. eod. Apostolic. Patrum*, Tillemontius *T.1I. Monum. Hist. Eccl. Edit. Paris. an.1694. pag.208* Cardinalis Baronius *ad an. Chr. 71. n.x111.* Bollandiani *in serie Patriarch. Antioch. T.1v. Mensis Julii pag.8. n.28.* Ec ex hæreticis Pearsonus *loco mox indicato, aliique perplures*.

(3) *Num.111. pag.34. T.11. Apostolic. Patrum cit. Edit.*

(4) Johannes Baptista Cotelerius *in not. ad eumdem Ignatii locum*, a quo non discrepant Heterodoxi duo eruditi viri Pearsonus *l. c.* qui multis Dallæum refellit, & Isaacus Vossius *in not. ad Ignat. Epist. ad Smyrnaos n.5. T. eod. Apost. Patrum pag.34.*

hoc Ignatii (1) ejusdem fuisse, quamquam non assentiar Bollandianis, ac Tillemontio, ajentibus eo cognominis loco habendam esse appellationem τῦ θεοφόρυ *Theophori*, quo summa Ignatius modestia esset. Neque enim sibi id negat modestus, quod omnibus Christianis commune esse arbitretur, quodque sibi ipsi, alloquens Imperatorem, adscribit, ut ostendat, cacodæmonem esse illum non posse, qui Theophorus sit, & *Christum* gestet. Itaque sic censeo cognomen id fuisse Ignatii, quod in inscriptionibus suarum Epistolarum omnium, ut Ignatium, sic etiam *Theophorum* sese vocet, non quod ita modestia, moderatioque animi flagitaret. Verum ex iis tantum inscriptionibus, quæ *cognomen exhibeant*, concludi nequiret convenisse Christianis omnibus appellationem *Theophororum*, nisi extarent de ea re non Ignatii ejusdem modo (2), sed aliorum etiam Patrum disertissima testimonia.

Et quoniam Patrum facta mentio est, idque jam flagitat ratio instituti mei; recensendæ scilicet eorum sententiæ sunt, quo liqueat quemadmodum nomen illud a Christianis usurpari soleret, iisque dari, qui convenissent in ejusdem religionis societatem. Ergo Clemens Alexandrinus Gnosticum, qua voce verum, orthodoxumque Christianum indicat, *Deiferum* esse statuit (3). Atque ei quidem Scriptori antiquo imprimis, & gravi deinceps Nazianzenus (4), Palladius (5), Theodoretus (6), Dionysiaster, Cyrillus Alexandrinus, Pho-

(1) Ita quoque sentiunt Tillemontius *l. c.* Bollandiani *l. c.* Cellerius *Tom.* I. *Hist. General. Auct. Sacr. cap.* XI. *libri* III. *Artic.* I. *pag.* 620. *Edit. an.* 1729. aliique innumeri, quos, ne sim longus, prætermitto.

(2) Ignatius *Epist. ad Ephes. n.* IX. *pag.* 14. *T.* II. *Apost. Patrum cit. Edit.* ἐστὲ οὖν ὁ σύνοδοι πάντες θεοφόροι, ἢ ναοφόροι, χριστοφόροι, ἁγιοφόροι. *Estis & comites via omnes Deiferi, Templiferi, Christiferi, & Sanctiferi.* Eadem extant *in Interpolat. Ignat. ad Ephes. Epist. pag.* 47. *n.* IX. *Tom. eod.*

(3) *Lib.* VIII. *Stromat. n.* 13. *pag.* 882. *Edit. Oxon.* „ Quid ergo dicemus de Gnostico? An *nescitis*, „ inquit Apostolus, *quod templum Dei estis?* *Divinus* ergo est Gnosticus, & jam Sanctus, & *Deum ferens*, & a Deo latus... Templum autem unum quidem est, magnum, ut Ecclesia: alterum vero parvum, ut homo, qui servat semen Abrahæ. Non concupiscet ergo aliquid aliud, qui habet in se „ Deum requiescentem. Non differunt ab his, quæ habet *lib.* VI. *pag.* 792. *T.* II. *ejusd. Edit.*

(4) *Orat.* XII. *pag.* 97. *Tom.* I. *Opp. Edit. an.* 1690. βούλεται γάρ ἡμῖν ὁ λόγος μὴ ἐξεῖναι διαπιστεῖν τοῖς ὑπὸ τῶν θεοφόρων ἀνδρῶν εἰρημένοις. „ Hic enim sermo vult non licere nobis „ iis rebus fidem adimere, quæ a Deiferis hominibus dicta sunt. Vide & *Orat.* XXXVII.

(5) *In Præfat. Historia Lausiaca* παρὰ θεοφόρων ἀθλητῶν τοῦ Χριστοῦ τὴν οὐράνιον ταύτην ζωὴν ἐκμεμάθηκα. „ A Theophoris pugilibus Christi cælestem harum rerum vitam didici.

(6) *Serm.* X. *Therapeutices.* Dionysiastri autem, eorumque, quos nominavi Scriptorum, testimonia recenset Pearsonius *l. c.* a quo accepit Binghamus. Præstat vero huc transferre, quæ sunt a Cangio in Glossario *media*, & *infima Græcitatis* animadversa: θεοφόρος, inquit, *vix est Deo plenus*, *sanctitate conspicuus*. *Theod. serm.* X. *Græc. Affect. de Isaia Propheta*... θεοφόροι ἀπόστολοι *in Actione* V. *Concilii Constantinopolitani sub Menna*. *Ita in Epistola Ludovici II. Imperatoris ad Basilium Imperatorem Constantinopolitanum*: Deiferi Apostoli. κύριλλος ὁ θεοφόρος τῆς ἀλεξανδρείων ἀρχιεπίσκοπος.

Photius, Maximus (nam ceteros missos facio) assensi sunt. Cur autem Deum ab Christianis gestari censuerint explicandum est. Itaque cum nos templa Dei ab Apostolo dici legissent, in templo autem peculiari quadam ratione Deum extare intellexissent, atque adeo in probo Christiano, hinc duxerunt *Deiferi* appellationem. Ac nititur profecto hæc veterum auctoritate opinio (1), ne quis existimet esse ipsam a novis Scriptoribus excogitatam.

II. Quemadmodum autem *Deiferi*, sic *Christiferi* quoque *latine*, græce vero χριστοφόροι nostri olim homines vocati sunt. Cujus quidem appellationis apud Patres exempla extant perplura (2). Sed hujus etymon a superioris vocis origine minime discrepat. Christiferi namque dicti sunt, quod cum Christo cari essent, tum eidem mirifice erant conjuncti, ut eum animo, & corde gestare viderentur.

III. Quinetiam cum Spiritus Sancti donis aucti probi Christiani essent, ejusque afflatu, instinctuque ducerentur, factum est, uti *Spiritum Sanctum* gestare dicerentur, ac *Pneumatophori* πνευματοφόροι identidem audirent. Qua de re illustria sunt *Irenæi* (3), *Athanasii* (4), *Basilii* (5), *Hieronymi* (6), *Cyrilli Alexandrini* (7), *& Interpolatoris Ignatianarum Epistolarum* (8) loca. Atque hinc profecta est,

σκοπ⊕. *Cyrillus Theophorus Alexandrinorum Archiepiscopus, apud Cyrillum Scitopolitanum in Vita Mſ. S. Sabæ cap.LVI.* θεοφόροι *etiam appellantur Patres, qui Niceno Concilio interfuerunt a Theodorito in Hist. Eccl. (l.1. cap.XVI.) Vide præterea Henricum Valesium (in eumdem lib. & cap.) & Suicerum in Thesauro Ecclesiastico.*

(1) Consule mox allatum *Clementis Alexandrini* locum.

(2) Vide Ignatii Epistolam ad Ephesios *loc. cit.* Athanasium *Orat.1. contra Gentes Tom.1.pag.6. & Oratione de Incarnatione Christi pag.53. Edit.an.1627.* quibus in locis Paulum Apostolum χριστοφόρον vocat, & Auctorem *Orationis de Passione, & Cruce Domini* inter opera S. Athanasii *Tom. eodem 1. pag.1021.*, ubi de Christiano loquens: ὁ χριστοφόρ⊕ ἀνὴρ, ὡς θε⊕ ἐστιν ἐπὶ γῆς τοῖς μὲν ἀνθρώποις ἀνεξίκακος γενόμεν⊕ &c. *Ille Christophorus vir, ut Deus est in terra, ab hominibus quidem mala depellens &c.*

(3) *Lib.v. Adv. Hæres. cap.v. pag.298. Edit. Parif. Massueti*: δικαίοις γὰρ ἀνθρώποις, καὶ πνευματοφόροις οἰκειωθὴ ὁ παράδεισος. *Sanctis enim hominibus, & Spiritiferis paratus est paradisus.*

(4) *De Humana nat. suscepta pag.600. Opp. T.1. Edit cit. Ipse igitur est Deus carnigerus* καὶ ἡμεῖς ἄνθρωποι πνευματοφόροι, *& nos homines Spiritiferi.*

(5) De Spiritu Sancto *cap.IX. pag.20. T.III. Opp. Edit. nova Parif.* ubi πνευματοφόρους ψυχὰς nominat, *Spiritiferas animas.*

(6) *Epist.21.pag.77. T.II.Opp. Edit.Rom. an.1575.* quo loco Jovinianum joco πνευματοφόρον vocat.

(7) Consule Cyrill. *in cap.III. Sophoniæ pag.608. Tom.III. Opp. Edit. Parif. an.1638.*

(8) *Epist. ad Ephesios num.IX. pag.47. Tom.II. Apost. Patrum Edit. cit.* quo loco hæc habentur:
„ Erraticus ille, & falsus spiritus seipsum prædicat; sibi namque placet; se ipsum glorificat, plenus
„ enim fastu est; mendax est, fraudulentus, assentatione, & adulatione gaudens, subdolus, gerrarum
„ consarcinator, nugax, dissonus, verbosus, lubricus, meticulosus; a cujus vi liberet vos Jesus Chri-
„ stus, qui supra Petram vos fundavit, ceu lapides electos, coaptatos in divinum patris ædificium,
„ sublatos in alta per Christum pro nobis crucifixum, Sancto Spiritu utentes pro fune, fide vero subve-
„ ctos,

cta est, meo quidem judicio, vetus consuetudo, ut majores nostri in *inscriptionibus* sepulcralibus *Spiritum Sanctum* eorum, qui in pace Ecclesiæ decessissent, commemorarent. Nisi enim eos afflatu Spiritus Sancti inspiratos & auctos donis fuisse indicare voluissent, nulla erat caussa, cur in sepulcris hæc esse insculpenda existimarent, & cum *Spiritu Sancto* (1). Utque magis magisque constet, Christianos idcirco πνευματοφόρυς dictos fuisse, quod instinctu Spiritus agerentur, ejusque donis ditati essent, plurimum conferent præclara Sanctorum testimonia (2), qui sæpe veteris etiam Testamenti Prophetas πνευματοφόρυς *Spiritiferos* appellarunt.

IV. Inde quoque nata est *Sanctiferorum* appellatio. Quos enim Græci ἁγιοφόρυς, eos Latini *Sanctiferos* possent dicere. Usi autem hac voce majores nostri (3) sunt, ut Christianos significarent, qui cum templa viva sint Dei, tum in se habent *Sanctum Sanctorum*, qui Deus ipse est, adeoque ἁγιοφόροι *Sanctiferi* vocantur.

V. Sed cum templa Dei nostri homines dicti sint, quid caussæ fuit, cur etiam *Templiferi* latine, græce autem ναοφόροι (4) dicerentur? Ego vero paucis hoc quæstionis genus expediam. Igitur observandum est ut *Sanctum*, sic etiam *templum Dei* Christum vocari a Patribus. De qua quidem re adeundus omnino est Cyprianus Episcopus

„ ctos, & caritate elevatos a terra ad cælum, una cum immaculatis ambulantes. *Beati* namque, in-
„ quit, *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Porro via omnis erroris expers est Jesus
„ Christus. Ego enim, inquit, sum via, & vita. Deducit autem hæc via ad Patrem. *Nemo enim*
„ *venit ad Patrem, nisi per me*. Beati itaque vos, qui estis Deiferi, Spiritiferi &c.

(1) Ita quidem lapis, quem exhibent Boldettus *lib.1. delle Osservaz. sopra i Cimiterj cap.xix.pag.87.* & Dominicus Georgius ὁ μακαρ. τῆς *de Monogramm: Christi cap.ix.pag.60.*

EX VIRGINIO TVO BEN
E MECO VIXTI LIB ENI C
ONIVCA INNOCENTISSI
MA CERVONIA SILVANA
REFRIGERA CVM SPIRITA
SANCTA DEP. KAL. APR. TIBERI
ANNO II. ET DIONI. COSS.

At placet mihi, quod adnotat Vir Clarissimus Antonius Maria Lupius *in Diss. de Mon. S. Severæ pag.1660.* Adhiberi namque hanc vocem *Spiritus* in Sacris litteris ait, *ad significandos etiam singulos fideles, in quibus inhabitat Spiritus ille Paracletus*, idque jam conferre ad explicandas aliquas inscriptiones, quæ sic habeant.

(2) Theophilus Antiochenus *lib.II. ad Autolicum pag.252. Edit. an.1615. in Append. Opp. S. Justini Martyris* Prophetas vocat πνευματοφόρυς πνεύματος ἁγίυ. *Spiritiferos Spiritus Sancti*. Eadem fere dicendi ratione usus est Cyrillus Alexandrinus *lib.1. Thesauror. in Exod. pag.260.*

(3) Ignatius martyr *Epist. ad Ephes. n.ix. pag.14. T.II. PP. Apost.* Et interpolator ejusdem Epistolæ *n.ix. pag.47. Tom. eod.*

(4) Consule Ignatium, ejusque interpolatorem locis mox indicatis.

pus Carthaginiensium (1). Quocirca cum Christum gerere dicerentur Christiani, necesse est ut etiam templum, seu ναὸν, qui *Christus* est, ferrent; ac proinde ναοφόροι, hoc est *Templiferi* appellarentur.

§. IX.

Vocati quoque Christiani fuerunt I. *Adolescentuli*. II. *Agnelli*. III. *Vituli Lactentes*. IV. *Columba e Columba*. V. *Et Pulli Columbarum, atque Gallinarum*. VI. *Infantes*. VII. *Filii Altissimi*. VIII. *Veri Israelitæ*. IX. *Ut & plebs Christianorum est novus, vel nascens populus appellata*.

I. Dici vix potest, quot novas appellationes majores nostri invenerint, quibus sese ab aliis distinguere, qui a nostris sacris, institutisque alieni essent; & suam erga Deum religionem, atque in proximos pietatem explicare possent. Nam cum in superioribus paragraphis aliquas numeraverimus, tum aliæ supersunt pleræque, in quibus recensendis, quoniam in hanc disquisitionem ingressi sumus, nostra deinceps versetur necesse est diligentia. Ergo a Clemente (2) Alexandrino observatum est fuisse in sacris litteris Christianos ob simplicitatem, & vitæ innocentiam *adolescentulos* appellatos.

II. Ob eamdemque caussam ἀρνία (3), seu *agnelli* dicti quoque probi, piique Christiani in sacris Bibliis sunt. Ergo apud Johannem *cap.* XXI. Evangelii, Petro onus pascendi *agnos*, seu *agnellos* a Christo imponitur. Βόσκε, inquit, τὰ ἀρνία μου. Pasce *agnellos meos* (4). Quo nomine indicantur, qui daturi erant nomen Christianæ religioni (5). Immo etiam Apostoli propter innocentiam & vocati a

(1) *Libro* 1. *Testimonior. cap.* XV: Quinetiam Christus ipse *Joh.* II. *v.* 19. corpus suum templum appellat. Consule Gregorium Nissenum *Orat.* II. *contra Eunomium Tom.* II. *Opp. pag.* 484. & Basilium Seleuciensem *Orat.* XXII. *pag.* 124. Est tamen sapienter a Cotelerio *in notationibus in Epist. Ignatii ad Ephesios pag.* 14. *T.* II. *Apostolic. Patrum* animadversum, dici *Templiferos* potuisse Christianos, quod cum essent ipsi *Templa Dei*, tum se ipsos gererent

(2) *Lib.* 1. *Pædagogi cap.* V. *pag.* 104. *seqq. Edit. Oxon. T.* 1. *Opp.* Consule etiam Isidorum Pelusioten *lib.* 1. *Epist.* CCVII. *pag.* 61. & Basilium Seleuciensem *Orat.* XXVIII. *pag.* 154.

(3) Consule Clementem Alexandrinum *lib.* 1. *Pædagogi cap.* V. *pag.* 105. *T.* 1. *Opp. Edit. Oxon. Agnellos autem meos cum dicit* (Christus) *simplices significat pueros, ut qui sint secundum genus non viri, sed agni, & oves*.

(4) *V.* 16.

(5) Quoniam τὰ ἀρνία *agnos* Interpretes verterunt, hinc evenit, ut Latini Patres Christianos agno-

Servatore Christo ἀρνία fuerunt, & ea figura expressi in antiquis picturis a majoribus nostris sunt, quarum nonnullæ in cœmeteriis Urbis visuntur (1).

III. Spectat autem eodem τῶν μοσχαρίων γαλαθηνῶν *vitulorum lactentium* appellatio. Quocirca Clemens Alexandrinus: *Quando dicit*, tamquam vituli lactentes, *nos*, inquit, *allegorice significat* (2).

IV. Sed frequentius in monumentis veterum occurrit nomen *columbarum* (3). Cujus quidem vocis non una esse solet significatio. Est namque, ut sæpe fuit a Patribus animadversum, columba & *candoris*, *simplicitatisque morum* (4), & *amoris*, & *pacis*, & *castitatis*, & *prudentiæ*, & *contemplationis*, & *mitis*, *demissi*, *innocentisque animi* signum.

Quamobrem mirabile non est, si Christus Servator hortatus discipulos fuerit, ut velut *columbæ* simplices essent (5), nataque hinc sit consuetudo veterum, ut Apostolos *in picturis* (6), *sculptisque lapidibus columbæ* figura exhiberent.

Verum

agnorum nomine appellaverint. Adeundus præ ceteris Augustinus *Serm.* CCLXV. *al.* 6. *ex Add. a Paris. T.* V. *Opp. pag.* 108. *Edit. Paris. Mon. S. Mauri*, *&* *Serm.* LXXX. *al.* XXXIV. *ex Addit. a Sirmond. ibid. pag.* 427.

(1) Vide Boldettum *Osserv. sopra i Cimiterj de' SS. Martiri di Roma lib.* 1. *cap.* VI. *pag.* 22. ubi:
„ Spesse volte, *inquit*, non solamente il Signore, ma gli Apostoli stessi sotto figure di agnelli si vedo-
„ no coloriti, il che sarà stato relativamente a ciò, che loro disse il medesimo Cristo per S. Luca *al*
„ *cap.* X. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*.

(2) *Lib.* 1. *Pædagogi cap.* V. *pag.* cit. ὅταν . . . ὡς υἱοὺς ἄρνια γαλαθηνὰ, ἡμᾶς πάλιν ἀλληγορεῖ.

(3) Adisis Clementem Alexandrinum *l. c. pag.* 106. Illustris præterea est Paulini Nolani in XXXII. *ad Severum Epistola n.* 14. *pag.* 205. *Edit. an.* 1736. locus. Habet autem hoc modo:

Nos quoque perficies placitas tibi Christe columbas.

Accedit Cyrilli Hierosolymitani *Catech.* XVIII. testimonium *pag.* 225. *Edit. an.* 1640. Nam περιστερὰ, inquit, διὰ . . . ἀκέραιον. *Columba propter simplicitatem*.

(4) Clemens Alex. *ibid.* . . . ἄκακον, . . . ἄχολον, πάλιν ἡμᾶς. *Et quando tamquam columbam simplicem*, *&* *felle carentem rursum nos intelligit*. Cyprianus *libro de unitate Ecclesiæ cap.* VI. „ Simplex, *inquit*, animal, & lætum est columba, non felle amarum, non morsibus
„ sævum, non unguium laceratione violentum. Hospitia humana diligere, unius domus consortia nosse,
„ cum generant, simul filios educare; cum commeant, volantibus simul cohærere, communi conversa-
„ tione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis
„ implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc caritas obtinenda, ut columbas dilectio fra-
„ ternitatis imitetur. Consule di præterea Tertullianus *lib. adversus Valentinianos cap.* II. *pag.* 250. *Edit. an.* 1675 *&* *Serm.* LXIV. *T.* V. *Opp pag.* 368. *&* *lib. de Baptismo cap.* VIII. *seq. pag.* 226. *seq.* Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. Illumin.* XVII. & Augustinus *contra Epist. Fundamenti cap.* IV. aliique, quos laudant Philippus Bonarrotius *Osserv. sopra alcuni frammenti di Vasi antichi di vetro pag.* 124. *seqq.* Paulus Aringhus *Roma subterranea lib.* VI. *cap.* XXXV. *pag.* 607. *Edit. an.* 1651. Boldettus *Osser. sopra i Cimiterj lib.* 1. *cap.* VII. *pag.* 24 *seq.* & Johannes Bottarius vir eruditissimus *Spiegaz. delle Pitt. e Sculture della Roma sotterr. Tav.* XXX. *pag.* 116. *seq. T.* 1.

(5) *Matth. cap.* X. *v.* 16.


(6) Paulinus Nolanus *Ep.* XXXII. *ad Sever. pag.* 202. de S. Felicis Basilica ab se extructæ picturis, operibusque musivis disserens, inquit:

„ Crucem corona lucido cingit globo;
„ Cui coronæ sunt corona Apostoli,
„ Quorum figura est in columbarum choro.

Atque

Verum non *Apostolos* modo, sed etiam seipsos eo symbolo expresserunt (1), quod illis id onus incumberet, ut *columbæ* imitatores essent.

Atque in cruce, quæ extat Romæ in summa Basilicæ S. Clementis abside duodecim columbæ cruci insistunt, quæ Apostolos denotant, quasque corona circumdat. Ejus autem Crucis ectypon extat apud Bosium *lib.*VI. *de Cruce Triumphante cap.*XI. *apud Ciampinum vet. Mon. T.*I. *cap.*XXI. *pag.*191. Gretserum *Tom.*III. *Operis de Cruce lib.*I. *cap.*XXXIII. & Bottarium *l.c. pag.*I 2 . quod etiam exhibere nobis hoc loco placuit.



(1) S. Paulinus *Epist.*XXXII. *n.*14. *pag.*204. *Edit. cit.* „ Item, inquit, dextera, levaque crucibus „ minio superpictis, hæc epigrammata sunt:

„ Ardua floriferæ Crux cingitur orbe coronæ
„ Et Domini fuso tincta cruore rubet.
„ Quæque super signum resident cæleste, columbæ
„ Simplicibus produnt regna patere Dei.

Boldettus *l. c. pag.*23. „ Spessissimo si vede, *inquit*, la sola colomba dipinta nelle Cappelle, e Sepolcri „ (*de' Cimiterj*) e scolpita ancora . . . e ciò facevasi senza alcun dubbio, perchè quei primi fedeli . . . „ raffiguravano in questo innocente volatile la carità, la semplicità, il gemito, la compunzione, la „ puri-

Dicti præterea *e columba* nonnumquam Christiani fuerunt, quod sane nomen tributum illis est, vel quod Ecclesiæ membra sint, quæ columba dicitur (1), vel quod participes sint Corporis Christi, quod in *vase* olim servari consueverat columbæ figuram præseferente, quæ Spiritum Sanctum indicaret (2), vel quod nati sint ex spiritu, qui *descendit corporali specie sicut columba in Christum* (3).

V. Quod si inditum illis *columbarum* nomen est, perspici facile poterit, cur sint etiam *pulli columbarum* vocati (4). Nam qui ex *innocentibus*, *piis*, *mitibus*, *Sanctis*, ob easque res *columbas* vocatis orti essent, eorumque similes esse studerent; ii quidem certe dici merito poterant *pulli columbarum*. Accedit *pullorum Gallinarum* appellatio, quam Clemens Alexandrinus commemorat (5), atque idcirco impositam nobis esse affirmat, quod Christi filii simus, Christusque testetur congregatos ab se nos esse, ut sub *alas congregantur a gallina pulli*.

VI. Jam vero ut *columbæ*, sic *infantes* (6) nominati Christiani sunt innocentiæ ratione.

VII. Frequentiora sunt nomina *filiorum Dei* (7), & *filiorum Christi* (8). Atque horum quidem non in Patrum operibus modo, sed etiam in sacris novi Testamenti libris exempla reperiuntur. Sed quoniam eorum patens est origo, non est cur multis explicanda esse videa-

„ purità, e l'innocenza. Neque vero in sepulcris, & Sacellis modo, sed etiam in annulis, & lucernis earum plerumque figuram veteres exprimebant. Vide Aringhum *l. c. Roma subterranea*, Bonarrotium *l. c.* & Bottarium *l. c. pag.* 177.

(1) Consule S. Pacianum Episcopum Barcinonensem *Ep.* 1. *ad Simpronianum Tom.*11. *Concilior. Hisp. Card. Aguirre pag.*80. & S. Augustinum *lib.*111. *cap.*xviii. *de Bapt. contra Donat. & lib.*v. *cap.*xvi. *& cap.*xxi. *& Tract.*vi. *in Joh. Evang. n.*3. *seqq.*

(2) Vide Basilii vitam a Pseudo-Amphilochio scriptam *cap* iI. *n.*3. *pag.*943. *Tom.*1I. *Act. Sanct. Boll. Mensis Junii*, & Bottarium *l. c. pag.*66. Bonarrotium *l. c.* Aringhum *l. c. & l.*11I. *c.*xxii. *pag.*517. & alibi sæpe.

(3) Lucæ *cap.*11I. *v.*22. *Marci* 1. *v.*10. *Matth.*11I. *v.*16. *Joh.*1. 32. *seq.* Renatos autem ex spiritu nos esse, ait Johannes *cap.*1I. *Evang. v.*5. *&* 11I. *v.*6.

(4) Clemens Alex. *l. c. pag.*106. *Innuet etiam per Mosen duos pullos columbarum: eorum, quæ sunt tenera, nempe pullorum, immunitatem a peccato, innocentiam, & acceptarum injuriarum oblivionem dicens esse Deo acceptam.*

(5) *Ibid.* „ Quod autem nos pullos dicat testis est Scriptura, *quemadmodum gallina congregat pul-* „ *los suos sub alis suis*, ita nos sumus pulli Domini, sane quam admirabiliter, & mystice animæ simpli- „ citatem ex puerili ætate describente verbo.

(6) Clemens Alex. *ibid. pag.*109. *& c.*vi. *pag.*112. „ Non sumus nos pueri, *inquit*, & infantes appellati, „ quod sit puerilis, & contemnenda nostra disciplina, ut nos calumniati sunt, qui *sunt inflati scientia*, „ hoc est *Gnostici*. Tertullianus quoque *lib. contra Valentinianos cap.*1I. *pag.*251. *Edit. an.*1675. *S. Augustin. Adnot. in Job. cap.*xxxviii.

(7) *Joh. Evang. cap.*1. *v.*12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri. & Ep.*1. *cap.*11I. *v.*1. *Ut filii Dei nominemur, & simus.* Augustinus *lib. contra Adimant. Manich. cap.*v. Cyrillus Alexandrinus *in Caten. ad cap.*x1. *Johann. pag.*298. aliique, quos Suicerus laudat *in Thesauro Ecclesiastico ad v.* τέκνον.

(8) Tertullianus *lib.*v. *Adv. Marcionem cap.*1x. *pag.*472. *Edit. cit. Filii* (Christi) *sunt*, inquit, *qui in ipso renascuntur.*

videatur. Quemadmodum autem *Dei filii* dicti sumus, ita nobis *filiorum Altissimi* (1) tributa est appellatio. Eodem quippe, atque illa prior omnino recidit.

VIII. Cum vero *semen Abrahæ* gens Christiana in scripturis dicatur, indignique Judæi sint, qui hoc tam præclaro vocentur nomine, propterea quod *Messiam* Christum rejecerint, factum hinc est, ut nobis etiam hæserit appellatio *verorum Israelitarum* (2), a quibus longe esse dolus, omneque vitium debet.

IX. Observat autem Clemens Alexandrinus in Pædagogo *Christianam gentem* dici *novum*, & *nascentem* (3) *populum* solere, quod a *vetere* distinguenda sit *populo*, qui rejectus a Deo fuit, quoniam Salvatorem, quem expectabat non modo non excepit, sed ne agnovit quidem.

§. X.

(1) Justinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone n.124. pag.217. Edit. nov. Mon. S. Mauri.*

(2) Vide Justinum Martyrem *Dial. cum Tryphone n.123. pag.217. novæ Edit. Mon. S. Mauri.*

(3) Clement Alexandr. *lib.1. Pædagogi cap.v. pag.109. Edit. Oxon. Juvenes ergo populus novus, ut distinguatur a veteri populo, ii sunt, qui nova bona didicerunt.* Rursum idem Clemens *ibid. cap.vi. pag.119.* Quoniam verbum allegorice lac dici posse affirmat, continuo adjungit *Justos* homines, quales sunt Christiani, γαλακτοφάγυς *hoc est lac comedentes* appellandos esse arbitratur. Sunt alia præterea a Clemente ipso nomina memorata, quæ ne sim longus, tacitus prætermitto.

§. X.

Dicti praeterea Christiani sunt. I. *Christi*. II. *Chrestiani ab his, qui originem nominis Christiani ignorarent*. III. *Catholici*. IV. *Ecclesiastici*. V. *Dogmatici*. VI. *Orthodoxi*.

I. QUamquam Servatoris nostri proprium est *Christi* nomen, tamen fuerunt nonnulli Patres (1), qui illo ipso, sano autem modo, vocari nos posse arbitrarentur. Cum enim vox χριστὸς *Christus* unctum significet, sequitur, ut qui *unctus* Spiritu Sancto est, *Christus* etiam dici queat. Sumus autem omnes Christiani uncti Chrismate *signo Spiritus Sancti*. Sed *Christi* nominis veneratio, quae summa & est, & esse apud Orthodoxos debet; in caussa fuit, cur ea omnibus tribui Christianis cessaverit appellatio.

II. Ethnici, qui ignorarent, quae esset τῆ χριστιανικῆ Christiani nominis origo, & Christum χρηστὸν *Chrestum*, & Christianos χρηστιανὺς *Chrestianos* appellaverunt (2). Etenim cum plerosque suorum esse scirent, quibus esset *Chrestus* nomen, nullum vero, qui *Chri-*

(1) Ambrosius *de obitu Valentin. Tom.*II. *Opp. pag.*1189. *Edit. an.*1690. „ Non est injuria charactc- „ ri Domini inscribi & servulos, & nomine Imperatoris signari milites, quandoquidem Ipse Dominus „ dixerit: *Nolite tangere Unctos*, (*seu Christos*) *meos*. Hieronymus *Comment. in Ps.*CIV. *Breviar. in Psalter. pag.*397. *Tom.*II. *Oper. Edit. Martianai*: „ Ecce ante legem Patriarchae non uncti regali un- „ guento Christi dicuntur. Christi autem sunt, qui Spiritu Sancto unguntur. Mitto cetera Patrum testimonia, ne sim longior, quam oportet. Adeundus interea Justinus Martyr *Dialogo cum Tryphone n.*86. *pag.*184. *nova Edit. Marani*.

(2) Justinus Martyr *Apologia* I.*pag.*54. *Ed.Oper.an.*1615. „Et quod ad nomen attinet, quo criminis lo- „ co nobis objicitur, χρηστότατοι *optimi* certe sumus. Hine Binghamus concludit dicta haec ab Justino fuisse, ut significaret Christianos fuisse ab Ethnicis χρηστιανὸς appellatos, nomenque ipsum proinde τὸ σωτῆρα *optimum* esse. Quae quidem res, etsi placuit etiam Silburgio, mihi quidem certe Monachos Maurinos *in not. pag.*45. sequuto, non placet. Neque enim Justinus usquam τὸν χρηστὸν memorat. Nam quod paullo post τὸ χρηστὸν legimus, non sequitur χρηστιανὸς fuisse nostros a Justino vocatos, ut alluderet ad gentilium pronunciandi modum. Etenim Martyr ille τῦ χριστῦ nominis originem ea *unctione* semper repetit, ex utilitate numquam. Satius fuisset Clementem Alexandrinum laudare, qui *lib.*II. *Stromateon n.*4. *pag.*438. *Edit. Oxonien. Qui in Christum crediderunt*, inquit, *Chresti*, *hoc est probi sunt*, *& dicuntur*. Id vero factum a Clemente est, quod fortasse audiret a quibusdam Ethnicis χρηστὸν appellari *servatorem*, qui originem nominis τῦ χριστῦ ignorarent. Nam Tertullianus Apologetici *cap.*III. „ Sed & cum perperam, inquit, Chrestianus pronunciatur a vobis, (nam nec nominis est notitia penes „ vos), de suavitate, vel benignitate compositum est. Rursum idem ipse *lib.*I. *ad Nationes cap.*III. „ Chrestiani pronuntiamur (nam ne nominis quidem ipsius liquido certi estis) sic quoque de suavitate, „ vel bonitate modulatum est. Lactantius Firmianus *lib.*IV. *cap.*VII. *pag.*367. *Edit. an.*1660. „ Sed exponenda hujus nominis ratio est propter ignorantium errorem, qui eum immutata littera Chrestum „ solent dicere. Ac Suetonius quidem *in Claudio cap.*XXV. *Judaeos*, inquit, *impulsore Chresto assidue tumultuantes*, *Roma expulit*. *Chresti* autem nomine, quidquid contra nonnulli pugnent, *Christum* indicavit. Atque sic quidem intellexit Paulus Orosius quinti seculi Scriptor *lib.*VII. *Hist. cap.*IV. Atque Lucas etiam *Act.*XVIII. *v.*2. Omnes Judaeos Roma fuisse pulsos scribit, ne Christianis quidem exceptis. Tacitus etiam XV. *lib. Annal. cap.*XLIV. nominis Christiani Auctorem *Chrestum* appellat.

Christus diceretur; censuerunt Servatori nostro idem ipsum nomen fuisse impositum, esseque proinde ejus sectatores *Chrestianos* nominandos. Ac plerosque Ethnicos *Chrestos* vocari consuesse testata res est. Nam Appianus in Mithridaticis (1) meminit Socratis, nescio cujus, cui *Chrestus* cognomen erat. Est autem auctor Aurelius (2) Victor *conspirasse* milites aliquot in Aureliani Imperatoris necem, *auctoribus Chresto, & Marcellino simulque Magnentio*. Quinetiam extant Martialis Poetæ Epigrammata quædam (3) *in Chrestum*, nescio quem, ut & (4) in *Chrestillum*. Fit præterea in vetere Inscriptione *Chræstæ* (5) mentio. Atque Fulgentius in *libello*, quem *de Sermone Prisco* (6) inscripsit, Manilium *Chrestum* memorat. Quod autem ignoratione originis, atque etymi nominis factum sit, ut ab Ethnicis *Chrestiani* vocaremur, auctores sunt Tertullianus & Lactantius (7), qui propterea illis indicandum putarunt esse, quæ sit vera ejus vocis significatio. χρηστὸς *Chrestus* autem Græcis idem est atque *benignus, mitis, suavis latinis*. Quare sive χριστιανοὶ, sive χρηστιανοὶ dicti nostri ab Ethnicis ipsis essent, neutra videlicet appellatio usurpata fuisset ignominiæ caussa. Itaque non probro, ut quidam existimant (8), neque enim id gentilibus vitio Patres verterunt, sed errore immutata vox χριστιανοὶ in χρηστιανοὶ fuit (9). Quodsi ironice

(1) Non longe a principio.

(2) In Annibaliani Vita.

(3) *Lib.* VII. 54. & IX. 28.

(4) *Lib.* XI. 91.

(5) Apud Havercamp. *in not. ad Apolog. Tertull. pag.* 42. *Edit. an.* 1718. Habet autem hoc modo:

,, Hoc victus, fatique decus, & amabile nomen
,, Dote pudicitiæ celebrata laboribus actis
,, Vitæ Chresta jacet condita nunc tumulo.

Rursum Inscriptio Polæ in Istria apud Gruterum *pag.* 855. *n.* 2.

P. AELIVS PRISCIANVS
ET AELIA CHRESTI
VIVI SIBI POSVER.

Adisis etiam Ciceronem *lib.* II. *Epist. Famil.* 8.

(6) *Ad v. Injuges Boves*: Consule Ausonium *Epigram.* XXXIX. Quinetiam quarto seculo circa 312. annum Episcopo Syracusanorum Chrestus erat nomen. Euseb. *l.* X. *Hist. c.* VI.

(7) *Locis supra indicatis*.

(8) Consule *Notationes in Apolog.* I. *S. Justini Martyris pag.* 45. *Edit. nova Monachor. S. Mauri*.

(9) Et χριστοῦ in χρηστοῦ. Quare Auctor Dialogi, qui inscribitur *Philopatris* inter Luciani opera, cum introducit Triephontem de Christiana religione bene, ut simulat, loquentem, Christum vocat χρηστὸν, quod non fecisset, si hoc nomine probri, & contumeliæ loco uti Ethnici consuessent. Scio Johan. Matthiam Gesnerum contra sentire *disput. de Philopatr.* inserta T. III. Opp. *Luciani pag.* 709. *seqq. Edit. an.* 1743. Etenim *cap.* XX. *pag.* 717. Petrum Danielem Huetium refellit, quod scripserit fieri eo in loco Christi ab Auctore Philopatridos mentionem. Neque enim reperisse usquam in eo dialogo scribit, se nomen servatoris *Christi*. Nam quod Auctor ait *cap.* XVII. *Dialogi*: πάντα, εἰ ... χρηστὸς ... ἐν ἔθνεσι. Non sic esse vertendum, *omnes, siquidem & Chrestus est & in gentibus*. sed

nice *aut per antiphrasim* immutatam quisquam putet fuisse, is videat quibus conjecturis confirmare opinionem suam possit. Ac cogitanti, cum hæc scriberem, mihi unde natus is error fuerit, ut quem χριστὸν dici audirent Ethnici, eumdem latine *Chrestum* (quod esset suorum plerisque idem nomen), efferrent, conflarentque inde vocem *Chrestiani*, venit hæc quoque in mentem suspicio. Apud Græcos jam usque ab seculo saltem secundo eam obtinuisse pronunciandi rationem, quæ etiamnum est in usu in Græcia, ut το. ι. & τὸ η eodem modo efferrentur, sonumque formarent τῦ. ι. Ergo sono non discrepasse τῦ χριστῦ a vocis χρηστῦ pronunciatione. Nam videmus in inscriptionibus sæpe τό ι, & τὸ η confundi, quod verisimile est evenire facile nequivisse, nisi utriusque litteræ idem sonus fuisset. Accedit quoque illud, quod cum ætate æqualem dyphthongorum in unius litteræ sonum immutationem, immutationi litteræ η. in ι. pronunciationem fuisse putem; constet autem dyphthongos jam inde ab Ecclesiæ seculo secundo *ligari* a Græcis consuesse; suspicer etiam τὸ η eo tempore solitum fuisse efferri eodem atque litteram ι. sono. Neque enim dubium est *Antonini* nomen nullam dyphthongum admittere. Sed cum Græci longam esse primam ι. *Antonini* nomine intelligerent, scirentque ita ab suis efferri si ea & simplex ι. & ει dyphthongus esset, simili pronunciandi ratione decepti in nummis, & inscriptionibus expresserunt nomen illud hoc modo: ANTONEINOΣ (2). Sed hæc ego suspicans dico, non quasi habenda esse pro certis arbitrer.

III. Ve-

sed hoc modo: *Et omne quidem, si modo bonum aliquem esse inter gentes contingat*. Verum non animadvertit esse omnium Christianorum sententiam, salvari neminem sine Cristo posse. Cum ergo quærere-tur a Christiano, num Scytharam nomina in cælo describantur, respondendum profecto ita fuit, *certe, si quidem & inter eos Christus sit*, quem colant, & venerentur. Sed immutatione nominis χριστος in χρηστός, & χριστιανος in χρηστιανος copiose disputatum a Michaele Rossalo fuit ante annos aliquot eo in libello, quem edidit de hoc argumento Groningæ. Animadvertendam est vero Ethnicos, qui scirent, quæ esset Christianorum de origine nominis Christi sententia, & Christum χρηστόν, & Christianos χρηστιανὺς appellasse, ut factum a Celso, atque ab Imperatoribus est, qui edicta contra nostros publicaverunt.

(1) Vide Aringhum *libro* III. *cap.* XXII. *pag.* 599. *Tom.* I. quo loco refert inscriptionem latinam Græcis characteribus expressam, quæ sic exhibet nomen *Gordianus*. Γ ω Ρ δ Η Α Ν V C & vocem *nuncius* hoc modo: ν V ν Σ Η VΣ. Constat igitur τὸ Η. elatum fuisse, atque efferri cœpisse eodem atque τὸ I. sono. Similes plerasque inscriptiones reperi non apud Aringham modo, sed etiam apud Boldettum, Lupum, aliosque, quos consulere quisque per se poterit. Quinetiam intelligo eamdem τῦ ι. atque τῦ υ. fuisse pronunciationem, ut & ex aliis, & ex ea imprimis inscriptione constat, quæ extat apud Aringhum *lib.* IV. *cap.* XVIII. *pag.* 138. habetque hoc modo. CHRISOSTOME. IN. PACE. QVAE. VIXIT. ANNOS. P. M. XVIII. DEPOSITA. VIII.

(2) Hujusmodi pleraque extant Antoninorum numismata Græca, quæ communia sunt. Neque vero ex numismatibus modo, sed ex *inscriptionibus* etiam idem ipsum effici facile potest. Nam in ea, quam

mox

III. Venio ad nomen *Catholicorum*. Vetus est appellatio *Catholicæ* (1) Ecclesiæ. Est namque ab Ignatio usurpata. Atque ea quidem vox non aliud quam *universalem* significat. Dicta vero *Catholica* Ecclesia fuit, quod propagata ubique terrarum (2) esset, distingueretturque a factionibus hæreticorum (3), quæ tam late minime paterent. Itaque qui veram Christi doctrinam sequuntur, hi quoniam in Catholica Ecclesia sunt, jure καθολικοὶ *Catholici* & a Patribus dicti (4) olim fuerunt, & nunc etiam appellari solent.

IV. Quamvis autem qui Clericalem vitam profitebantur, ii proprie ἐκκλησιαστικοὶ vocarentur; non defuerunt tamen, qui interdum, omnes homines Religioni Orthodoxæ addictos hoc ipso nomine dignarentur. Aptum enim id esse putabant, quo illi ab Ethnicis, Judæis, atque hæreticis sejungi possent. Sed hoc sensu adhibita *Ecclesiastici* appellatio, eum significabat (5), qui veræ Christi *Ecclesiæ*, non Synagogæ, neque turbæ Ethnicorum, vel Hæreticorum *cœtuum* membrum esset.

V. Rursum Δόγμα *Dogma* in sacris novi Testamenti libris religionem Christianam quandoque indicat (6). Est id autem a Patribus

K iden-

mox retuli ex Aringho CHRISOSTOME pro CHRYSOSTOMAE legitur. Præterea in lapide Græco apud Aringhum *l.* II. *c.* XXII. *pag.* 609. *T.* I. KE scriptum cernitur pro KAI. Mitto cetera momenta, ne longus sim.

(1) Ignat. *Epist. ad Smyrnæos n.* VIII. *pag.* 36. *T.* I. *PP. Apost. Edit. an.* 1724. *Ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica Ecclesia.*

(2) Quemadmodum autem jam inde a primis seculis propagata latissime fuerit, copiose ostendam in secundo hujusce Operis libro. Jam vero *Optatus Milevit. lib.* II. *contra Parmenianum pag.* 46. *Inde dicta est Catholica*, inquit, *quod sit rationalis, & ubique diffusa.*

(3) Clemens Alexandrinus *lib.* VII. *Stromat. n.* XVII. *pag.* 899. *Edit. Oxon.* „ In unius ergo naturæ „ sortem cooptatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere. Et essentia ergo „ & opinione, & principio, & excellentia solam esse dicimus, Antiquam, & Catholicam Ecclesiam, in „ unitatem unius fidei, quæ est ex propriis testamentis &c.

(4) Multa in hanc rem congerunt Theologi, ubi de *nota vera* Ecclesiæ, quod sit *Catholica* disserunt. Atque huc etiam pertinent, quæ Suicerus, homo cetera de hæresi Lutheranorum disserit in Thesauro ad *vocem* Καθολικὸς. Nunc uno S. Paciani loco contentus ero. Itaque is in priore ad Sympronianum Epistola *pag.* 81. *Tom.* II. *Concilior. Hisp. Edit. Card. Aguirre*, ostendens quo nomine vocaretur. *Nec tamen*, inquit, *æstua frater. Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit. Hoc probor, inde significor.* Vide cetera, quæ de eodem cognomine *ibid. & in seqq.* Epistolis disputat.

(5) Gregorius Nissenus *lib.* I. *contra Eunomium T.* II. *pag.* 330. ὅλων ἡ πᾶσα μάχη, καὶ ἀμφιβολία τῶ δόγματος τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς πρὸς τοὺς ἀνομοίους ἐστι, κ. τ. λ. *Igitur omnis contentio, & dubitatio Ecclesiasticis contra Anomæos est &c.* Vide Eusebium *l.* IV. *Hist. c.* VII. & Cyrillum *Hierosolymit. catech.* XV. *n.* 4. & Valesium *in not. ad lib.* II. *Hist. Euseb. cap.* XXV.

(6) Chrysost. *Homil.* V. *in Epist. ad Ephes. pag.* 900. *Edit. Francofurd.* ἢ τὴν πίστιν οὖν φησί, δόγμα αὐτὴν καλῶν. *aut fidem igitur dicit, dogma ipsam vocans.* Theodoritus *Comment. in Ep. Pauli ad Ephes. c.* 2. *v.* 15. *T.* III. *Opp. Edit. Sirmondi.* δόγματα δὲ τὴν εὐαγγελικὴν διδασκαλίαν ἐκάλεσεν. *Dogmata Evangelicam doctrinam vocavit.* Sed fuerunt Patres, qui dogmatum nomine ea intelligerent, quæ pertinent ad ceremonias, & præcepta; prædicationum vero, quæ spectant ad capita fidei. Consulendus Basilius *lib. de Spiritu Sancto cap.* XXVII. & S. Eulogius Episcopus Alexandrinus apud Photium *in Biblioth. cod.* CCXXX. *pag.* 833.

identidem observatum. Quare *Christiani οἱ τοῦ δόγματος*, hoc est qui *dogmatis*, seu *dogmatici* dicti sunt (1).

VI. Superest ut de nomine *Orthodoxorum* dicam. Sunt namque Patres sæpe ac multum eodem ipso usi, ut eos significarent, qui recte de Christianis dogmatis, institutisque sentirent. Etenim cum plerique essent prava doctrina, improbisque moribus homines, qui decreta nostræ religionis pervertere conarentur, essentque idcirco ab Ecclesiæ communione sejuncti; ut ab iis secernerentur non re tantum, sed etiam nomine Catholici, hi quidem & aliis sæpe, & *τῶν ὀρθοδόξων recte sentientium* vocabulo sunt a majoribus appellati (2).

Estque jam hinc orta consuetudo apud Græcos vocandi *κυριακὴν τῆς ὀρθοδοξίας* primam Dominicam Quadragesimæ. Quum enim in eam rem studiose inquirerem, sic reperiebam. Iconoclastas in septima Synodo fuisse hæreseos condemnatos, ut qui vetus Ecclesiæ de veneratione sanctarum imaginum dogma reprobarent. Michaelem Imperatorem, ejusque matrem Theodoram curasse, ob ejus rei memoriam, ut ea dies apud *recte* de *imaginibus sentientes* solemnis esset (3). Quamobrem & *κυριακὴν τῆς ὀρθοδοξίας Dominicam rectæ sententiæ*, & *πανήγυριν τῆς ὀρθοδοξίας Panegyrim rectæ sententiæ*, & *ἑορτὴν τῆς ὀρθοδοξίας solemnitatem rectæ sententiæ* dictam esse, quod propria esset *τῶν ὀρθοδόξων recte sentientium*. Sed de honorificis Christianorum nominibus satis dictum esto.

§. XI.

(1) Eusebius *lib.* VII. *Hist. Eccl. cap.* XXX. Βασιλεὺς ἐντευχθεὶς Αὐρηλιανὸς αἰσιώτατα περὶ τοῦ πρακτέου διείληφε. Τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν οἶκον, οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν. *Interpellatus Aurelianus Imperator rectissime hoc negotium dijudicavit, iis domum dari præcipiens, quibus Italici, & Romanus Episcopus dogmatis*, hoc est *Orthodoxæ Religionis Christianæ, scriberent*.

(2) Hoc enim sensu intelligenda est vox Ὀρθόδοξος apud *Auctorem Quæstionum ad Orthodoxos inter opera Justini Martyris in Appendice*. Extantque Dialogi Theodoriti, in quibus sunt colloquutores Ὀρθόδοξος, & Ἐρανιστὴς *Orthodoxus, & Eranistes*. Cetera, ne sim lectori molestus, prætereo.

(3) Philotheus Patriarcha Constantinopolitanus *Homil. in* 1. *Quadragesimæ Dominicam paullo post initium*, „ Hac Dominica, & prima jejuniorum Christi Ecclesia celebrare solet Orthodoxiam, sive resti„ tutionem venerabilium, & sacrarum imaginum factam ab Imperatore Michaele, & Theodora matre „ ejus beata Imperatrice, & Sancto Methodio Patriarcha Constantinopolitano „. Sed de hac re agam alio loco, ubi de festis diebus disseram, opportune. Interea consulitor Leo Allatius *Opusc. de Dominicis, & Hebdom. Græcor. sect.* XIV. quod quidem Opusculum extat in calce operis de *Ecclesiæ occident. atque Orien. Perpetua Consensione pag.* 1432. *Edit. colon. an.* 1648.

§. XI.

Quinam Christiani vocati a majoribus nostris fuerint Hellenistæ.

I. *Proponuntur variæ Scriptorum sententiæ*. II. *Hellenistarum nomine ii sæpe græci sunt vocati qui, abjecta superstitione idololatriæ, ad nostra sacra conversi sunt*. III. *Proselyti justitiæ dicti aliquando sunt Hellenistæ*. IV. *Refellitur Jo. Alberti Fabricii opinio*. V. *Quot fuerint apud Judæos genera Proselytarum*.

I. POstulat nunc instituti ratio, ut inquiram qui tandem ii fuerint Christiani, quos a Luca Evangeliste *capp.* VI. *v.* I. IX. 29. XI. 20. nominatos *Hellenistas* fuisse legimus. Atque intelligo equidem varias de hoc genere argumenti esse, interque se dissidentes criticorum virorum sententias. Ludovicus Cappellus (1) non alios eo nomine indicari Christianos censet, quam eos, qui ex Græcis ad Christianorum religionem accessissent. Neque dissimilis hujus est Salmasii (2), Croii (3), Pearsoni (4), Wolfii (5), aliorumque opinio, Hellenistas eos esse, qui e Proselytis Judæorum, ac genere quidem Ethnicis Christiani facti fuissent, ajentium. Negat Isaacus Vossius (6), ut qui putet Judæos, qui gentilium Romanorum partibus studuissent, meruissentque stipendia, appellatos fuisse hoc nomine. Quam sane sententiam, cum pluribus Richardus Simonius (7) refellisset, tum eo tandem falsam dixit esse, quo existimaret Hellenistarum numero eos tantummodo Hebræos duci oportere, qui extra Judææ fines versarentur. Atque affinis huic est, quam Lightfootus (8) probat, opinio. Hellenistas namque Judæos linguæ patriæ

(1) *Opp. Posthum. pag.* 394.

(2) *In lib. de Coma pag.* 429. & Commentar. *de lingua Hellenist. Edit. Lugd. Batavor. an.* 1643.

(3) *Observ. in Nov. Test. cap.* XXX. XXXI. XXXII.

(4) *Lection. in Acta Apost. pag.* 52. *& seqq.*

(5) Johannes Christophorus Wolf. *in Curis Philolog. ad Nov. Testam.*

(6) *Capite ultim. de Sibyllin. Variar. Observat. pag.* 287. *&* 307.

(7) *Histor. Critic. Nov. Test. cap.* XXVII. *pag.* 317. *Edit. an.* 1680. Ait autem Chrysostomum, Theodoritum, Oecumenium, aliosque sibi esse contententes. Negari tamen non potest, quin locus Lucæ, ut post videbimus, ei adversetur.

(8) Apud J. A. Fabricium *salut. Luce Evang. pag.* 61. *Edit. an.* 1731. Petri autem de Marca *lib.* VI. *de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap.* 1. Opinio est, *Hellenistas* fuisse Judæos Secundæ dispersionis degentes in *provinciis Ethnicorum*.

patriæ ignaros fuiſſe ſtatuit, qui Gentium Regiones incolerent, ſive illæ Græcorum eſſent, ſive aliorum.

II. Ego autem ſic cenſeo. Ceteris omnibus, (quas quidem numquam negaverim ad ſimilitudinem veritatis accedere), eſſe ut plurimum Cappelli ſententiam anteferendam. Eo autem dixi, *ut plurimum*, quo interdum *Helleniſtarum* nomine intelligi ſoleant, qui antequam noſtris ſacris eſſent initiati, Proſelyti Judæorum fuerunt. Utque jam oſtendam, quod ſtatui de Cappelli opinione, animadvertendum eſt, *Actorum Apoſtolicorum* undecimo capite tam eſſe perſpicue ab Judæis *Helleniſtas* diſtinctos, ut dubio vix ullus eſſe locus videatur. Poſtea enim quam (1) de Cornelii Centurionis converſione dixit, tum addit Lucas, actas Deo a Chriſtianis fuiſſe gratias, propterea quod *& Gentibus pœnitentiam dediſſet ad vitam*. Mox vero adjungit: „ Et illi quidem, qui diſperſi fuerant ſub „ Stephano, perambulaverunt uſque Phænicem, & Cyprum, & An- „ tiochiam, nemini loquentes, niſi ſolis *Judæis*. Erant autem qui- „ dam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cum introiſſent Antio- „ chiam, loquebantur πρὸς τοὺς ἑλληνιστὰς *ad Helleniſtas*, ſeu *Græcos* „ *annunciantes* Dominum Jeſum. Quo quidem ex loco perſpicue palam eſt, *Helleniſtas* ab Judæis etiam illis diſtingui, qui in Palæſtina non eſſent. Quare *Græcos* eo nomine intelligi oportere. Jam vero ſi ſolis Judæis annunciabant, qui diſperſi fuerant, Chriſtum; negari nequit, quin annunciarint etiam *Proſelytis juſtitiæ ex Græcis*, ſi qui in Synagogis fuiſſent, cum nulla eſſet cauſſa, cur excludendi eſſe cenſerentur. Quapropter ſi non modo ab Judæis genere, ſed a Proſelytis quoque ex Græcis diverſi *Helleniſtæ* fuerunt, concedendum videtur eſſe, τῶν ἑλληνιστῶν appellatione indicatos ab Luca fuiſſe homines ex Gentibus, Corneliique ſimiles, quem idem Evangeliſtes ἀλλόφυλον nominat. Eo autem magis in mea confirmor ſententia, quo videam in Simeonis Stylitæ junioris vita Ethnicos ἑλληνιστὰς (2) appellari, idemque Gregorio Nazianzeno eſſe τὸ ἑλληνίζειν, atque vivere Ethnicorum more (3). Eſtque illud tritum ſermone Græcorum ἑλληνισμὸν intelligendum eſſe pro *Ethniciſmo*.

III. Non

(1) *Cap.* v. 18. *ſeqq.* Non negat Calmetius hunc locum cum aliis pleriſque eſſe de Græcis converſis ex Ethniciſmo intelligendum. Aſſentitur Stephanus Furmontius, quod ad hunc locum ſpectat, *Hiſt. Acad. Reg. Inſcript. & Elegant. Litterar. Tom.* II. *pag.* 171. *Edit. Hagæ Comitum an.* 1724. Cap. tamen VI. *Actor. Helleniſtas* eos Judæos vocari putat, qui immixti Syris a Græcis ſubjugatis eſſent.

(2) Apud Bollandianos *Tom.* V. *Menſis Maji pag.* 373. ὄντος πολλοὺς αὐτοῦ τῶν Ἀντιόχου τῶν ἑλληνιστῶν, [illegible] *&c.* (Amantius Judex) *multos Gentilium Græcorum, & Athæorum* comprehendit &c.

(3) *Orat.* I. *in Julian. pag.* 98. Non probo quod habet loco mox indicato Furmontius pro ἑλληνιστὰς eſſe

III. Non is tamen ego ſum, qui *Proſelytos juſtitiæ* ex *Ethnicis* quandoque fuiſſe vocatos *Helleniſtas* negem. Immo vero de his arbitror inſtitutum ab Luca ſermonem eſſe capitis ſexti (1) Actorum initio. Quandoquidem cum inſtituti ſeptem Diaconi ab Apoſtolis ſunt, quod *Helleniſtæ* conqueri de Hebræis cœpiſſent, nullus Ethnicus ad Chriſtiana ſacra acceſſerat. Primum enim omnium, qui noſtræ religioni nomen dedit, ἀλλόφυλον (2) Cornelium Centurionem fuiſſe teſtata res eſt (3). Is vero initiatus Myſteriis noſtris poſt Martyrium Stephani fuit, quem unum e ſeptem Diaconis fuiſſe certo ſcimus. Quamobrem *Helleniſtæ*, cujus Lucas meminit, *murmuris auctores*, Ethnici eſſe nequiverunt. Fuerunt igitur Proſelyti juſtitiæ ex Græcis, qui cum ἑλληνισταὶ, hoc eſt Græci (4) ante fuiſſent, tum non impedierunt, quin poſt ſuſceptam Judæorum religionem, & deinde Chriſtianam, quandoque ἑλληνισταὶ vocarentur. Non enim vereor, ne quis mihi opponat, eos qui in Græcia, aut alibi, quo Gentes loco potirentur, nati, & græca, aliave lingua uſi eſſent, quæ ab Hebraica diſcreparet, fuiſſe ἑλληνιστὰς appellatos. Paulus namque Tharſo oriundus, & peritus græce, ἑβραῖον *Hebræum* ſe tamen vocare ſolet (5). Neque vero ἑβραῖον ſolum, ſed etiam ἐξ ἑβραίων: *ex Hebræis*. Quid? ſi Hæbræi Alexandriæ, aut Antiochiæ nati, non ἑλληνισταὶ *Helleniſtæ*, ſed ἑβραῖοι appellabantur, adjuncto tamen Epitheto ἀλεξανδρεῖς, vel ἀντιοχεῖς (6). At eo quem laudavimus Actorum Apoſtolicorum loco ἑλληνισταὶ *Helleniſtæ* opponuntur ἑβραίοις *Hebræis*. Non ergo dum *Helleniſtas* commemorat Lucas, aut eos qui

eſſe quandoque ἑλενισταὶ fortaſſe ſcribendam, quaſi hi nomen ab Helena regina ...abenorum duxiſſent, quæ, ut Joſephus eſt auctor *l.* xx. *c.* xx. *Antiq. Jud.* Moſaicam Legem profeſſa eſt. Hi namque, qui ab Helena nomen ſortiti ſunt, non *Heleniſtæ*, ſed *Heleniani* audierunt; de qua re diſſerit *Johannes Henricus Majus Notit. Imperii Adiab.* edita Marburgi *Cattorum an.* 1726.

(1) V. 1. „ *In diebus illis creſcente numero diſcipulorum factum eſt murmur* (Helleniſtarum) *Græcorum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem ..... quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Poſt quæ Lucas refert inſtitutionem ſeptem Diaconorum.

(2) *Cap.* x. *Actor. v.* 28.

(3) Erat vero Cornelius, meo quidem judicio, e *Proſelytis Portæ*. Neque enim aut idolorum cultu, aut alia ulla ſuperſtitione tenebatur, eratque apud Judæos magna in exiſtimatione: *Actor. cap.*x. & 22. quæ res eveniſſet nunquam, ſi is *Proſelytus* ſaltem *Portæ* non fuiſſet. Ceterum *incircumciſus* erat; quo circa *Proſelytus Juſtitiæ* eſſe non potuit. Sed de Proſelytis dicam paullo poſt.

(4) Daniel Heinſius *Exerc. in Novum Teſtam.* vitio dat vulgato Interpreti, quod τοὺς ἑλληνιστὰς *Græcos* dixerit. Verum ex iis, quæ ſunt hactenus diſputata, ſatis conſtare cenſeo, quam magno ille in errore ...

(5) *Act. Apoſt. cap.* xxi. *v.* 39. & *cap.* xxii. *v.* 3. *Et epiſt.* II. *ad Corinth. cap.*xi. *v.*22.

(6) ...ſule Joſephum *lib.* xiv. *Antiquit. cap.* vii. *n.*2. *pag.* 694. *ſeq. Edit. Havercampianæ Tom.*1. ... *cap.* III. *pag.* 569. *ſeqq.* Atque de hac ipſa re diſſerit Pearſonus *loc. cit.*

qui ſequuti partes Romanorum fuiſſent, aut qui extra Judæam degerent, aut Hebræos, qui Græcienſes dici conſueſſent, quod lingua uterentur Græcorum; ſed vel *Proſelytos juſtitiæ ex Græcis*, vel *Proſelytos Portæ* vel *Ethnicos* Græcos indicat. Capite autem VI. non indicat *Ethnicos Græcos*, neque *Proſelytos portæ*, nullus enim horum ea ætate ad ſacra Chriſtianorum acceſſerat (1). Igitur *Proſelytos juſtitiæ Græcos* eo nomine ſignificarit neceſſe eſt.

IV. Scio Johannem Albertum Fabricium ſic fuiſſe animo inſtitutum, ut eorum opinionem putaret eſſe propenſiorem ad veritatem, qui locum e cap. VI. Actorum de Ethnicis Græcis (2) eſſe intelligendum arbitrarentur. Sed ejus ego interpretandi rationem probare nullo modo poſſum. Nam quod verba Lucæ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις *in diebus illis* non ita preſſe ſtrictimque ſumenda exiſtimavit eſſe, ut cadere in ea, quæ poſt converſionem gentium contigere, nequeant; commenticium eſt. Si enim ante Cornelius noſtris ſacris initiatus fuit, quam ſeptem Diaconi ab Apoſtolis delecti fuiſſent, non equidem video, cur ante de Diaconis loquutus Lucas fuiſſet, quam de Cornelio cenſuiſſet orationem inſtitui oportere. Quapropter manebit ἑλληνιστῶν *Hellenistarum* nomine Græcos ſæpe, interdum autem *Proſelytos juſtitiæ e Græcis* fuiſſe nuncupatos.

V. Erant enim apud Judæos Proſelytorum genera duo. Alterum *Juſtitiæ* (3); alterum contra *Portæ* dicebatur. Qui dicti *Portæ Proſelyti* ſunt, ii quidem certe neque circumciſi, neque ceremoniis, ſacriſque initiati; ſed hoc ſolum obligati erant, ut ne quid aut dicerent contra Moſen, aut contra præcepta, quæ decalogo continentur, agerent. *Proſelyti* vero *juſtitiæ* & circumcidi, & exercere ſeſe conſuerant ita, ut Judæorum inſtituta, legeſque poſcerent.

Eo

(1) Nam ſi ante quiſquam incircumciſus Græcus ab Apoſtolis converſus ad Chriſtiana ſacra fuiſſet, non tum primum, cum Cornelius initiatus Myſteriis noſtris eſt, conqueſti apud Petrum fuiſſent, qui erant e circumciſione. At vero tum primum conqueſti ſunt, ut auctor eſt in *cap.* X. & XI. *Actorum* Lucas.

(2) *Libro de Salutari Luce Evang. cap.* XV. *n.* 5. *pag.* 60.

(3) *Domicilii*, vel *Portæ* Proſelyti qui fuerint, conſtat ex *Gemarah Hieroſol. ad Titulum Jabimoth cap.* XI. *fol.* 12. Multa in hanc rem diſputant homines heretici Baſnagius *lib.* VI. *Hiſt. Judaica c.* VII. *Edit. an.* 1716. Seldenus. *libro* II. *de Jure Naturæ*, & *gentium juxta diſciplinam Hebræorum cap.* II. & Slevogtus *Diſſert. de* Proſelytis. De *Proſelytis* vero *Juſtitiæ*, & ii, quos numeravi, & Nicolaus in *notis ad Cunæi Rempublicam Judæorum pag.* 154. *Edit. an.* 1732. *l.* 2. *cap.* XII. differunt. Conſulendum Caroli Sigonii opus de Republica Hebræorum, & quæ in illud viri docti obſervarunt, quorum adnotationes referuntur in poſtrema Editione Mediolanenſi operum Sigonianorum. Ex horum autem Proſelytorum numero erat Judæus ille, qui occaſionem Tertulliano dedit ſcribendi *adverſus Judæos* librum. Vide *cap.* 1. *ejus libri pag.* 183. *Edit. Opp. Tert. an.* 1675.

Eo tamen nomine ab Hebræis diversi erant, quod non Abrahamo illi; sed Græcis atavis, atque parentibus oriundi essent (1), neque magistratu fungi, ullaque præfectura possent.

CAPUT II.

De Contumeliosis nominibus, quibus Ethnici, Judæi, atque Hæretici Orthodoxos Christianos vocare solebant.

§. I.

Christiani per summam injuriam vocati Athei.

I. POsteaquam de *honestis* Christianorum nominibus actum a nobis est, quoad ejus fieri potuit, diligenter; ordo, seriesque rerum, quæ proposita nobis initio fuit, postulat, ut secundo loco de *contumeliosis* (quibus nostros vocare Ethnici, Judæi, atque Hæretici audebant ignominiæ caussa), dicendum esse videatur. Illud autem principio sese offert, quod, etsi primum, quod usurparetur, non fuit; est tamen omnium maxime contumeliosum. Conqueri enim, graviterque expostulare de Judæis, & Gentibus Majores nostros, imprimisque Justinum Martyrem (2), Tatianum (3), Athenagorem (4), Tertullianum (5) Minucium Felicem (6) Arnobium (7) video, quod Christianos gentes eædem *Atheos* appellarent. Cum enim illæ sua numina despici a nostris, contemnique perspicerent, & assequi fortasse nequirent, quem hi tamdem venerarentur, qui nullum Ethnicis cognitum esse ponendum censerent Deum, duci eos

(1) Seldenus *l. c.* observat, in Israelitico jure alia fuisse, quæ ad officia erga Deum, atque homines, ac vitæ rationem spectarent, alia quæ ad Magistratus capessendos, gerendasque præfecturas pertinerent. Prioris generis quæ erant, ea tam Proselytorum fuisse communia, quam erant Judæorum originariorum; alterius contra generis non item; nisi exceperis Proselytos, qui matre Judæa orti fuissent. Nam hi Judices esse in inferiori judicio poterant, ut est a *Nicolao l. c. pag.* 115. *& Slevogto l. c.* animadversum.

(2) *Apolog.* 1. *alias* 11. *n.* 6. *pag.*47. *Edit. Parif. Monach. S. Mauri. & Dialogo cum Tryphone n.* 118. *pag.* 202.

(3) Huc enim spectat quod habet in *Extrema Oratione ad Græcos pag.* 276. *Opp. Just. Ejusd. Editionis.* μενούσης μοὶ κατὰ θεὸν πολιτείας ἀνεξάρνητου. *Manente mihi citra negationem ratione colendi Dei.*

(4) Legat. *n.* 3. *pag.*282. *Ejusd. Edit. Opp. S. Just.*

(5) Apologetici *cap.* x. *pag.* 10. *Edit. cit.*

(6) *In Octavio pag.* 8. *Edit. an.* 1652.

(7) Arnob *lib.* 1. *pag.*1. *&* 2. *Edit. an.* 1651.

eos putarunt in numero *Atheorum*. Sed de Atheismi *calumnia* erit tertio hujusce libri capite opportunior disserendi locus.

§. II.

Et Magi, atque Malefici.

PRoxima est huic contumelia *Magiæ* (1) & *Maleficii* (2). Etenim inerat hæc Ethnicorum animis perversa sententia, miracula, quæ a Christo patrata essent, quæque Christianorum precibus patrari a Deo solerent, non potestati divini numinis, sed malis artibus esse, atque præstigiis tribuenda. Atque profecta hæc scilicet ex Hebræis primum contumelia est, quæ cum in gentiles manasset, ita aucta, & propagata est, ut omnium hostium animos occupasse videretur. Verum agam de hoc item genere calumniæ capite eodem tertio hujusce libri.

§. III.

Et Præstigiatores.

SPectat autem ad rem eamdem appellatio *Præstigiatorum*. Hoc vero nos vocat auctor *Philopatridos* nomine (3). *Sic enim* inscribitur Dialogus, qui a nescio quo homine scriptus, qui imbutus Ethnicorum superstitione esset, extat inter opera Luciani (4). Est autem illud exploratum, nihil aliud fuisse in caussa, cur tanta ille nos afficeret contumelia, nisi veterem opinionem, quæ ferret *Magia* nostros, atque præstigiis delectari.

§. IV.

(1) *Acta Pass. Sanctorum Martyr. Bonos. &c.* apud Ruinartium *Act. Mart. Sincer. pag.* 665. *an.* 1689. „ Judæi, & Gentiles, qui ad eorum venerant irridendum exitium, clamare cœperunt: Isti „ *Magi*, *& Malefici &c.* Vide etiam *Acta Pass.* SS. Petri, Andreæ, Pauli, & Dionysiæ Virginis sub Decio. Apud Eamdem *pag.*148. Et Acta SS. *Perpetuæ*, *& Felicit. n.* xvi. *apud eumd. pag.*93. Vide infra *cap.*III. §.xviii.

(2) Vide Acta Bonosi *ibid.*

(3) *Num.*25. *T.* III. *Opp. Luciani pag.*614. *Edit. an.* 1743.

(4) Exprobrat perinde Christianis Celsus apud Origenem *l.* 1. *& lib.* vi. *pag.* 661. *T.*1. *Opp. Edit. Nova Monach. S. Mauri*. τὰν γοητειῶν *præstigias*, eosque proinde γόητας *præstigiatores* vocat.

§. IV.

Et Græci, atque Impostores.

Accedit *nomen Græcorum* (1). Sunt autem illo usi Ehtnici, ut nostros irriderent, quod horum plerique pallio, quæ vestis propria erat *Græcorum* Philosophorum, non toga, ut mos Romanorum ferebat, induti essent. Quamobrem *Græci* dicti *palliati* fuerunt, *Romani* autem *togati*. Ægre namque, atque iniquo animo Romani patiebantur, videre Christianos, neglecta *toga*, uti *pallio* indumento *Græcorum*. (2). Quorum quidem Romanorum ut Tertullianus reprimeret audaciam, singularem librum *de Pallio* publicavit. Sed erit fortasse, qui roget, cur nomini huic adjectum fuerit *epitheton* Impostorum? (3). Cui equidem, ut morem geram, sic statuo: Primum omnium nostrum, qui *πλάνος deceptor*, atque *impostor* per summam injuriam ab Judæis appellaretur, fuisse *Christum humani generis servatorem*. Eos ipsos Judæos, cum cernerent propagari Christianum nomen late longeque cœpisse, dedisse operam, ut non minus contumelia invalesceret, quemadmodum est ab Justino Martyre, ac Philosopho traditum memoriæ (4) posterorum. Quare lapsu temporum factum hoc fuisse tritum etiam vulgi sermone quasi proverbium: *ὁ γραικὸς ἐπιθέτης Græcus impostor*, quasi vero Christiani sua sentiendi, vivendique ratione in fraudem mortales illicerent.

(1) S. Hieronymus *Epist.* XLVII. *al.* X. *ad Furiam pag.* 556. *Edit. Martianæi*. *T.* IV. *Opp.* „ Ubicumque viderint Christianum, statim illud de trivio ὁ γραικὸς ἐπιθέτης. *Græcus impostor*. Similia repetit *Epist.* XIX. *al.* XXIII. *pag.* 54.

(2) Ita censet Kortholtus *lib. de Moribus Christianorum cap.* III. *pag.* 22. *seq.* quem sequitur Binghamus *lib.* I. *Orig. cap.* II. §. IV.

(3) Nam & Ulpianus *Digest. lib.* L. *Tit.* XIII. *lib.* I. Christianos *impostores* vocat. *Si incantavit*, inquit, *si imprecatus est*, si, (ut vulgari verbo *impostorum utar*) *exorcizavit &c.*

(4) Justinus Martyr Dialogo *cum Tryphone n.* 118. *pag.* 202. *Edit. Monach. S. Mauri*: ἄνδρας χειροτονήσαντες ἐκλεκτοὺς, εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐπέμψατε, κηρύσσοντας, ὅτι αἵρεσίς τις ἄθεος, καὶ ἄνομος ἐγήγερται ἀπὸ Ἰησοῦ τινὸς Γαλιλαίου πλάνου. Homines constituistis, electosque in omnem universitatem misistis, qui prædicarent, quod secta quædam *Athea*, & *Exlex excitata esset a Jesu quodam Galilæo seductore*. Ex quo etiam Justini loco plane colligitur, junctos fuisse Judæos Ethnicis, unaque arguisse nos *Atheismi*, & impietatis.

§. V.

Et Sophistæ.

ATque hinc fortasse orta est etiam contumeliosa, quæ nostris aliquamdiu hæsit, appellatio *Sophistarum* (1). Nam sumitur plerumque τὸ σοφίζομαι in malam partem, tumque eum significat, qui ut decipiat aliquem, dolo quidpiam, & fraude comminiscitur. Quamobrem non Christianos solum, sed Christum etiam ipsum σοφιστὴν (2) nonnulli Ethnici scelere, atque sacrilegio implicati appellaverunt. Christiani autem cum tanta contumelia afficerentur, consolabantur ipsi se, quod eadem esse affectum intelligerent eum, quem *viam, veritatem, ac vitam esse* pernoscerent.

§. VI.

Et Seductores.

JAmvero quemadmodum Servator noster *Seductor* (3) ab Judæis appellatus est, ita qui ejus Religionem amplexi sunt, eadem injuria sunt affecti (4). Sunt autem Ethnicorum magnæ de Christianis conquestiones, quasi hi idolorum cultores ad Christiana sacra colenda inducentes, seducere, pervertereque solerent.

§. VII.

(1) Prudentius *de Coronis Carm.* XIV. *de Romano Martyre v.* 404. *Edit. an.* 1613. sic inducit Asclepiadem loquentem:

Quis hos *Sophistas* error invexit novus,
Qui non colendos esse divos disputent?

(2) Lucianus *de Morte Peregrini pag.* 337. *Tom.* III. *Opp. Edit. laudatæ* ὁ νομοθέτης ὁ πρῶτος ἔπεισεν αὐτοὺς, ὡς ἀδελφοὶ πάντες εἶεν ἀλλήλων, ἐπειδὰν ἅπαξ παραβάντες, θεοὺς μὲν τοὺς Ἑλληνικοὺς ἀπαρνήσωνται, τὸν δὲ ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν αὐτῶν προσκυνῶσι. „ Primus legislator persuasit omnes esse invicem fratres, postquam semel transgressi, Deos Græcos abnegaverint, adoraverint autem *sophisten* illum *affixum cruci*.

(3) Videndum Evang. Matthæi *cap.* XXVII. v. 63. quo loco Jesus ab Judæis ὁ πλάνος *seductor* dicitur. Adisis Justinum Dialog. cum Tryph. *num.* 118.

(4) Vide S. Augustinum *in Psalm.* LXIII.

§. VII.

Et Superstitionis Novæ, Pravæ, Immodicæ, Exitiabilis, atque Maleficæ.

JAm vero cum Ethnici esse alienos ab idolorum cultu Christianos cernerent, multaque iis objici audirent, quæ pietati erga Deum, atque homines, integritatique morum contraria esse viderentur; hoc sibi facile persuaserunt, consectari nostros *superstitionis* quoddam genus, quod cum inane, & recens, & malum, illorum quidem judicio, esset, tum est ab illis & *novum*, & *pravum*, & *immodicum*, & *exitiabile*, & *maleficum* appellatum. Cujus sane rei apud Suetonium (1), Plinium (2), atque Tacitum (3) vestigia reperiuntur. Immo vero extant vetera monumenta nonnulla *Inscriptionum* (4), quæ hoc idem ita confirment, ut nihil desiderari supra possit. Quamquam intelligo esse aliquos, qui *Inscriptionem* in Lusitania repertam, in qua fit deletæ ab Nerone *superstitionis novæ* mentio

(1) In *Neronis vita cap.* XVI. *pag.* 297. *Edit. Patini an.* 1675. „ Christiani genus hominum *super-* „ *stitionis novæ, ac maleficæ*.

(2) Juniorem *lib.* X. *epist.* XCVII. *pag.* 631. *Edit. Cellarii an.* 1711. ad Trajanum scribentem hoc modo; *Nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam, & immodicam ..... Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est.*

(3) Tacitus *lib.* XV. *Annal. c.* 44. Christianismum *exitiabilem superstitionem* vocat. Consule ex Christianis Arnobium *lib.* 1. *pag.* 13. *Edit. an.* 1651.

(4) Apud Gruterum *pag.* CCXXXVIII. & Halloixium *Tom.* 1. *Scriptor. Oriental. pag.* 299. refertur hæc, quæ in Lusitania reperta est, inscriptio.

NERONI CL. CAES.
AVG. PONT. MAX.
OB. PROVINC. LATRONIB.
ET . HIS . QVI . NOVAM
GENERI . HVM . SVPER
STITION. INCVLCAB.
PVRGATAM.

Altera inscriptio apud eundem *pag.* CCLXXX. & Baronium *ad an.* 304. *num.* IX. sic habet;

DIOCLETIAN. CAES.
AVG. GALERIO . IN . ORI
ENTE . ADOPT. SVPERS
TITIONE . CHRIST'
VBIQ. DELETA . ET . CVL
TV . DEOR. PROPAGATO.

mentio (1), eſſe dubiæ fidei arbitrentur. Quorum ſi vera eſt ſententia, nihil tamen impedit, quin Chriſtiana religio, nova *ſuperſtitio* fuerit ab Gentilibus appellata.

§. VIII.

Et Religionis *barbaræ*, ac *peregrinæ, atque barbari*.

NEque his tam contumelioſis nominibus contineri Ethnici potuerunt. Excogitarunt illi pleraque alia, ut quam non probabant, eamdem omnibus inviſam redderent religionem. Itaque eam & *peregrinam* (2), & *barbaram* (3) vocaverunt. Quorum quidem nominum hæc eſſe cauſſa potuit. Cum neque ab Græcis, neque ab Latinis, ſed a Chriſto Servatore, qui natus in Judæa, altus autem, educatuſque in Galilæa fuit, introductam Chriſtianam religionem eſſe cognoſsent: præter Græcos vero, atque Latinos nulla gens eſſet, quam ipſi *barbaram* non vocarent; factum ita eſt, ut noſtræ hæſerint religioni *peregrinæ*, ac *barbaræ* contumelioſa vocabula. Quamobrem mirabile videri non debet, ſi cum *barbaram* illi dixerint *Chriſtianam religionem*, ejus etiam cultores *barbaros* nominaverint.

§. IX.

Et κακοδαίμονες, *& mali dæmones*.

SEd quoniam Ethnici vitam cum ſanguine a noſtris pro Chriſti *fide* tuenda profundi videbant, idque ſine ratione fieri arbitrabantur, cenſuerunt eos, qui ſic agerent, quaſi infelices, miſerique eſſent, κακοδαίμονας, hoc eſt *malos dæmones* eſſe dicendos (4). Eſt enim κακοδαίμων,

(1) Dubiam namque eſſe putant Scaliger, Fleetwoodus, & Ittigius *Hiſt. Eccl. Primi Sec. cap.* VI. *num.* III. *pag.* 323. *Edit. an.* 1709. ſed de hoc argumento agam in ſecundo hujus operis *libro*.

(2) Porphyrius apud Euſebium *lib.* VI. *Hiſt. Eccleſ. cap.* XIX. de Origene loquens, declinaſſe illum dicitat πρὸς τὸ βάρβαρον τόλμημα *ad barbaram audaciam*. Hac enim dicendi ratione Chriſtianam religionem indicat.

(3) In Actis Martyrum Lugdunenſium ſub Marco Aurelio circa an. Chriſti CLXXVII. apud Euſebium *lib.* V. *H. E. cap.* 1. *ſeqq.* & Ruinartium *Act. SS. MM. pag.* 57. *num.* XVI. *Edit. an.* 1689. Sic Gentiles introducuntur loquentes: *Novam quandam* [Chriſtiani] *ac peregrinam nobis invehunt religionem.* ξένην τινὰ καὶ καινὴν ἡμῖν ἐπεισάγουσι θρησκείαν.

(4) Vide *Acta Martyrii S. Ignatii num.* II. *pag.* 158. *T.* II. *PP. Apoſtolicor. Edit. an.* 1724. quo loco Trajanus ſic S. Martyrem compellat: τίς εἶ κακόδαιμον; *Quis es Cacodæmon.* & Acta SS. MM. *Andro-*

δαίμων, ut est in vetere Glossario idem atque *calamitosus* (1), & infelix homo. Quare Dio Chrysostomus, qui tempore Trajani vixit, Alexandrinos alloquens (2), *quid igitur*, inquit, *hoc praeclari est*, *o Cacodaemones*. Eos vero ita vocat, propter illos, qui vitam suam sine ratione perdiderant: *Ajunt jam quosdam eorum*, *qui perierunt ex tali caussa*, *animose se gessisse*, *non deprecantes mortem*, *sed supplicantes*, *ut diutius audire liceret*. Addit praeterea δυστυχεῖς, & ταλαιπώρους *aerumnosos*, & *miseros* fuisse. Quae cum ita sint, consequens omnino videtur esse, idcirco κακοδαίμονας fuisse ab Ethnicis dictos Christianos, quod hi, ut ajebam, quasi *bono genio* (3) inobedientes essent, ac proinde miseri, sese tot in discrimina ultro conjicerent.

§. X.

Et Desperati atque Parabolarii.

Atque hinc etiam manavit nomen *desperatorum*. Nam homines projectae audaciae, qui inspectante populo, in caveis cum feris pugnarent, dici *desperati* (4) ab Ethnicis consueverant, ut & *bestiarii* (5), ac *parabolarii*, a Graecis autem παραβόλοι. Jamvero cum Christiani quemvis cruciatum perferre mallent, quam ab religione, quam

Andronici, *Probi*, *& Tarachi*, apud Ruinartium *n.* IX. *pag.* 485. *Edition. an.* 1689. in quibus Maximus Praeses Andronico dicit: Τί λοιπὸν ποιεῖς, κακόδαιμον *&c. Quid reliquum facies cacodaemon*; Quod autem κακοδαίμων Maximus Graece, hoc Latine vetus Interpres *male daemon*, vel *maledicte daemon* dixit. Hoc etiam nomine Christianos vocat in *Dialogo de Peregrini Morte* Lucianus *n.* 13. *T.* III. *Opp. Edit. Nova an.* 1743.

(1) *Glossar. Philol. & Alior. Graec. Lat. pag.* 96. *Edit. Caroli Labbei an.* 1679.

(2) *Orat.* XXXII. Τί οὖν τὸ λοιπὸν ὦ κακοδαίμονες, .. φασὶ γοῦν τινὰς τῶν ἀπολωλότων ἐπὶ τὴν τοιαύτην πρόφασιν νεανιεύσασθαι, μὴ παραιτουμένους τὸν θάνατον, ἀλλὰ προσλιπαροῦντας, ὅπως ἀκούσωσιν ἔτι πλεῖον. *pag.* 376. *Edit. Paris. an.* 1604.

(3) Dio *Orat.* XXIII. *pag.* 279. *Edit. ejusd.* Τὸ μὴ πείθεσθαι μηδὲ προσέχειν, ἀλλ' ἐναντίως τῷ θεῷ τε, καὶ δαίμονι πράττειν τῶν κακῶν, καὶ ἀγνωμόνων; πῶς δ' ἂν ἄλλως λέγοιμεν, εἶναι δὲ τοὺς πειθομένους τῷ δαιμονίῳ τοιούτῳ ὄντι εὐδαίμονας· τοὺς δὲ ἀπειθοῦντας κακοδαίμονας, ἀνάγκη „ Bono genio obedire, & vivere juxta illius praescripta, an esse putas modestorum, & mente „ praeditorum; an pravorum, & fatuorum? Modestorum. Non obedire vero, neque attendere, sed „ contrarium Deo, & genio facere, malorum putas esse, & mala mente praeditorum. Quomodo aliter „ diceremus? Esse autem obedientes bono genio, *eudaemones*, seu *felices*; inobedientes, vero *cacodaemones*, seu *infelices*? Necesse est.

(4) Salmasius *in not. ad Lactantium l.* V. *cap.* IX. *pag.* 483. *Edit. an.* 1660. „ *Desperatus*, inquit, „ est παράβολος. Ita vocati, qui aliter *confectores* dicebantur, qui ad bestias pugnabant, & illis „ conficiendis operam suam locabant, quos inde παραβόλους vocabant.

(5) Consule Tertullianum *Apologet. cap.* XLII. *Edit. Havercam* 1718. Quem in locum Tertulliani „ haec sunt adnotata ab Havercampio: „ *Bestiarios* notavit La Cerda Graecis dici παραβόλους, id „ est *projecta audacia*. Recte, nam & Apulejus loco, quem citat Heraldus, notat ut *perdita securita-*

quam amplexi essent, deficere, exponique propterea bestiis, ut dilaniarentur, plerumque solerent; sic ab inimicis contempti sunt, quasi similes essent *desperatorum*. Quare ortæ inde fuerunt, quod ad hoc maxime vocabulum attinet, magnæ de Ethnicis nostrorum (1) hominum conquestiones. Neque vero defuerunt Christiani, qui pro nomine Jesu *parabolanos* (2) vocari se paterentur, idque etiam sibi non dedecori, sed honori, & gloriæ ducerent.

§. X I.

Et Sarmentitii, & Semaxii.

DIcti præterea *Sarmentitii* Christiani, atque *Semaxii* sunt. Cujus appellationis Tertullianus (3) hanc fuisse caussam scribit. Cum nostri deterreri non modo non hortatu, neque blanditiis, sed ne minis quidem Judicum, Imperatorumque ab sententia possent, cumque variis suppliciis afficerentur, tum eo etiam supplicio sæpe sic erant affecti, ut interirent *quo ad stipitem dimidii axis revincti ambitu Sarmentorum exurebantur*. Atque erat *dimidii axis* stipes, ut Binghamo (4) visum est, longus pedes circiter sex. Verum de hoc supplicii genere dicam eo loco abunde & copiose, ubi de suppliciis Martyrum differam. Ex *dimidio* igitur *axe*, quem Romanorum vulgus *semaxin* vocabat, exque *Sarmentis*, seu *supervacuarum virgularum vitium fasciculis*, irrisione quadam Ethnicorum, *Semaxiorum* atque *Sarmentitiorum*

„ *ritatis*. Adde etiam apud Latinos dictos *Parabolarios*. Julius Firmicus *lib.* VIII. *Matheseos*, *nati* „ *sub sidere caniculæ*, *erunt venatores*, *Arenarii*, *Parabolarii*, *& qui sub conspectu populi in* „ *caveis cum feris pugnent* ..... Erat vox παραβάλλειν in usu de esca bestiis objecta, prout ex- „ emplis adductis confirmat Henricus Stephanus; & apud Athenæum παραβληθεὶς ζώοις est *objectus* „ *bestiis*. Idem Stephanus παραβαλλεσθαι, exponit: *projecta audacia adire periculum*.

(1) Tertullianus *Apolog. cap* 1. *pag.* 429. *Edit. Haverc.* „ Propterea desperati, & perditi existimamur. Sed hæc desperatio, & perditio penes vos in caussa gloriæ, & famæ vexillum virtutis extollunt: „ Minucius Felix in Octavio *pag.* 8. *Edit. an.* 1652. sic introducit Cæciliam Ethnicam de Christianis loquentem „ *Homines .... desperatæ factionis*. Denique Lactantius *lib.* v. *cap.* IX. *pag.* 483. „ *cit. Edit.* Qui, *inquit*, magis æstimaverint fidem, cultoresque se Dei non abnegaverint, in eos „ verso totis carnificinæ suæ viribus, velut sanguinem sitiant, incumbunt, & *desperatos* vocant; „ quia corpori suo minime parcant: quasi quidquam desperatius esse possit, quam torquere, ac dilaniare eum, quem scias innocentem.

(2) Svicerus *in Thesauro Ecclesiastico ad V.* παραβολάνοι refert ex *Actis SS. MM.* Abdonis & Sennes locum, qui sic habet: *Tunc jussit Valerianus introduci in Amphitheatrum, ut ferarum morsibus consumerentur. Et cum audacissimi* parabolani *ingressi fuissent &c.* Sed vereor, ne adjuncta hæc Actis ab recentiore quopiam scriptore fuerint.

(3) *Cap.* 1. *Apolog. pag.* 428. *Edit. Haverc.* „ Licet nunc sarmenticios, & semaxios appelletis „ quia ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur.

(4) *Lib.* I. *Orig. cap.* II. §. X.

tiorum vocabula orta ſunt. Vide Nourrium *Diſſertatione* IV. *in Tertullianum* (1).

§. XII.

Et Biathanati.

SEquitur, ut explicem cur etiam interdum majores noſtri *Biathanati* βιαθάνατοι audirent (2). Eſt igitur βιαθάνατος is, qui *interit violenta morte*. Quambrem Tertullianus in eo libro, qui de *anima* inſcribitur *Biaothanatos* illos eſſe ſcribit quorum animas per vim, atque injuriam *ſævus*, & *immaturus finis* extorſit (3). Ergo cum Chriſtiani igni, aut ferro, aut alio genere ſuppliciorum interire potius, quam idolis ſacrificare vellent, βιοθάνατοι, vel βιαθάνατοι, vel βιαιοθάνατοι ab Ethnicis ſunt vocati. Neque enim Suicero (4) aſſentior, qui etiam *Biothanatos* dici potuiſſe Chriſtianos putat, *quaſi vivi mortui eſſent*, propterea quod morte ſe conſequuturos immortalitatem eſſe ſperarent. Nam etſi ejuſmodi eorum ſpes erat, qui tamen *Biothanati* vocabulo hoc genus ſignificationis tribuerit, reperio certe neminem. Quod autem profert Luciani locum (5), nego eſſe illi præſidio poſſe. Efficitur namque eo ipſo loco, majores noſtros mortem pro Chriſti nomine magno animo contemſiſſe; inde vero *Biothanatos* eſſe dictos, nullo modo prorſus efficitur. Cumque hujus ſimile ſit Minucii teſtimonium (6), quo Binghamus utitur ad eamdem rem demonſtrandam; non eſt cur ullo vetere monumento conſtitui eam ſententiam poſſe arbitremur.

§. XIII.

(1) *Tom. II. Apparatus in Biblioth. SS. PP. pag.* 1424. *Edit. an.* 1715.

(2) In Actis S. Symphoroſæ Martyris, & ſeptem ejus filiorum, hæc leguntur apud Ruinartium *pag.* 19. *Edit. an.* 1789. „ Hadrianus juſſit corpora eorum ſimul auferri, & projici in foveam altam: & impoſuerunt Pontifices nomen loco illi ad ſeptem *Biothanatos* „. Conſule Cangium *Gloſſar. Med. & Inf. Latinit. ad v. Biothanati*.

(3) *Tertull. lib. de Anima cap.* 57. *pag.* 305. *Edit. an.* 1675. „ Itaque invocantur quidem Biaothanati, ſub illo fidei argumento, quod credibile videatur eas potiſſimum animas ad vim, & injuriam facere, quas per vim, & injuriam, ſævus atque immaturus finis extorſit.

(4) Theſaur. *Eccleſiaſt. T.* I. *ad v.* βιοθάνατος.

(5) Lucian. *in Peregr. T.* III. *Opp. pag.* 336. *Nov. Edit.* πεπείκασι γὰρ αὐτοὺς οἱ κακοδαίμονες, τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι, καὶ βιώσεσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον. παρ' ὃ καὶ καταφρονοῦσι τοῦ θανάτου καὶ ἑκόντες αὐτοὺς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοί.„ Perſuaſerunt enim ſibi *Cacodæmones* (miſeri) illi, in univerſum quidem ſe futuros eſſe immortales, & perpetuo tempore victuros: quare etiam contemnunt mortem vulgo, ſuaque ſe ſponte occidendos præbent.

(6) Binghamus *lib.* I. *Orig. & Antiq. Eccleſ. cap.* II.

§. XIII.

Et *Hebetes*, *stolidi*, *obtusi*, *rudes*, *idiotæ*, *indocti*, *impoliti*, *inepti*, *agrestes*, *miseri*, *fatui*, *obstinati*, *&* *deploratæ*, *perditæ*, *atque inlicitæ factionis*.

OBjecta quoque nostris hominibus tarditas, atque inscientia fuit. Quare *hebetes*, *stolidi*, *obtusi*, *&* *rudes*, *idiotæ*, *insensati*, *indocti*, *impoliti*, *inepti*, *agrestes* (1) denique sunt ab inimicis nominis Christiani vocati. Atque inde, mea quidem sententia profectæ hujusmodi appellationes sunt, quod pauperes (2), & in philosophicis, inque vitæ communis ducendæ scientia nostros esse minus versatos putarent, eaque a nostris ipsis hominibus pro Christi fide peragi cernerent, quæ cum scientia, atque prudentia humanarum, divinarumque rerum componi nullo modo posse arbitrarentur. Neque enim persuadere sibi poterant, esse eos ingenio, acumine, eruditione, prudentia excellentes posse, quibus tot nefaria crimina objici solerent, quot capite hujus libri tertio numerabimus, quique pro

(1) Lucianus *Dial. De Morte Peregr. pag.* 338. *T.* III. *Opp.* Christianos vocat ἀνθρώπους ἰδιώτας, homines *idiotas*. *Tertull Apolog. cap.* XLIX. *pag.* 423. *Edit. Haverc.* „ Hæc sunt, quæ in nobis solis „ præsumtiones [*nempe fides rerum futurarum*] vocantur, in Philosophis, & poetis summæ Scientiæ, „ & insignia ingenia. Illi prudentes, nos *inepti* „. Cæcilius apud Minucium Felicem *in Dial.* qui inscribitur Octavius *pag.* 12. *Edit. an.* 1552. „ Si quid sapientiæ vobis [o Christiani] aut verecundiæ „ est, desinite mundi plagas, & cæli fata rimari. Satis est pro pedibus aspicere, maxime *indoctis*, „ *impolitis*, *rudibus*, *agrestibus*, quibus non est datum intelligere civilia, multo magis denegatum „ est discernere divina. *Et pag.*4. Indolescendum est audere quosdam, & hoc studiorum *rudes*, lit- „ terarum *profanos*, *expertes*, artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum decer- „ nere „. *Et pag.* 8. *qui de ultima face collectis imperitioribus*, *&* *mulieribus credulis &c.* Vide Voweri notationes in Minucium *pag.* 10. *ejusd. edit.*, *&* *pag* 15. *Illiteratos*, *pauperes*, *imperitos* de rebus Cælestibus disputare, *plebejos*, *indoctos*, *seminudos*. Arnobius *lib.* 1. *pag.* 15. *edit. an.* 1651. „ Melioris sunt caussæ, qui Grundules adorant lares &c. quam sumus nos omnes, qui Deum colimus &c. Et illi cati sapientes prudentissimi vobis videntur &c. Nos *hebetes*, *stolidi*, *fatui*, *obtusi*, „ pronunciamur, & *bruti* „. Vide *lib.* II. *pag.* 45., *&* *lib.* III. *pag.* 109. Ubi: *despuitis*, inquit, *nos*, *ut rudes*. Lactantius Firmianus *lib.* IV. *cap.* XIII. *pag.* 389. *edit. an.* 1660. *Cur igitur vulgo pro* stultis, *&* vanis, *&* ineptis *habemur*? Consule *Theophilum Antiochenum lib.* III. *ad Autolicum pag.* 383. *edit. novæ Monachorum S. Mauri inter S. Justini opera*; & Theodoretum *Prolog. Therapeutices pag.* 461. *T.* IV. *opp. edit. Sirmondi*. Rursum Tertullianus *cap.* XXVII. *Apolog. pag.* 250. „ Sed „ quidem dementiam existimant, quod cum possimus, & sacrificare in præsenti, & illæsi abire manente „ apud animum proposito, *obstinationem* saluti *præferamus* „. *&* *cap.* L. *pag.* 437. *Illa ipsa obstinatio*, *quam exprobratis magistra est &c.* Postremo adisis Plinium *lib.* X. *epist.* 97. *pag.* 628. *edit.* Cellarii.

(2) Consule Minucium *Dialogo inscripto Octavius*, *pag.* 8. *cit. edit.* quo loco Cæcilius Ethnicus Christianos *Seminudos* vocat. Sexcenta sunt Tertulliani, Origenis, Arnobii aliorumque testimonia, ex quibus constat Christianis ab Ethnicis objectam fuisse paupertatem.

pro Christo sanguinem (1) funderent, quem Ethnici ipsi cruci fuisse Pilati sententia affixum accepissent. Itaque iis, quæ recensui nominibus, hæc etiam adjecerunt eamdem ob caussam (2). Scilicet Christianos & *stultos*, & *fatuos*, & *deplorata*, *perdita*, atque *inlicitæ factionis homines* esse pronunciarunt. Atque *inlicitæ* factionis nos esse dixerunt, quo nos ipsos quidquam contra bonum publicum machinari arbitrarentur. Qua de re erit *capite* sequente opportunus dicendi locus.

§. XIV.

Et Lucifuga natio, ac latebrosa, & muta in publico.

Quinetiam cum Christiani impetus Ethnicorum, mortisque periculum declinaturi, abdere se in subterranea loca, inque occultos recessus consuevissent (3); veritus Cæcilius Gentilis non est, eos irridens vocare *latebrosam*, & *lucifugam nationem* (4). Immo vero quoniam conventus suos in angulis sæpe, tenebrosisque locis celebrabant, eamdem ob caussam, quam indicavi, solebantque ibidem de rebus divinis disserere; accesserunt eisdem *in tenebris*, *atque in angulis garrulorum* vocabula. *Mutam* autem *in publico* Christianorum gentem vocavit Cæcilius, quod id vitio Christianis Gen-

(1) Minucius *Octav. cap.* VIII. *edit. Cellarii. Halæ pag.* 26. „ Proh? mira, inquit, stultitia, & „ incredibilis audacia, spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt, & futura, & dum mori „ post mortem timent, interim mori non timent &c. Plena sunt hujusmodi rerum *SS. MM. Acta*.

(2) Vide Minucium ibid. ubi hæc Cæcilius loquitur: „ Mira *stultitia* &c. *spernunt tormenta præsentia* &c. ut supra. Lactantium *Epitome cap.* I. qui sic habet „. Hominibus videtur ineptum ac stultum torqueri, & mori velle, quam libere liceat abire sine noxa. Consulendus præterea Luciani *de morte Peregrini Dialogus num.* XI. *pag.* 333. *seqq. T.* III. *opp. edit. novæ*. Rursum quod attinet ad *deplorata*, *inlicitæ*, & *perditæ factionis* nomina Cæcilius apud Minucium *pag.* 8. „ *Homines*, inquit, *deploratæ*, *inlicitæ factionis*. Tertullianus *Apol cap.* I. *pag.* 429. *edit. Haverc. Exurimur*, inquit ..... *Propterea perditi existimamur*. *Sed hæc* .... perditio *penes vos in caussa gloriæ*, & *famæ vexillum virtutis extollunt*. Præterea quod pertinet ad nomina *insensatorum*, *miserorum*, *stultorum* &c. Videndi iidem quos supra nominavi, Scriptores. Consulenda *Acta SS. MM.* imprimisque *Tarachi*, *Probi*, & *Andronici* apud Ruinartium *pag.* 458. *seqq.*

(3) Quemadmodum Christiani occultarent se, ne ab Ethnicis opprimerentur, colligitur cum ex aliis monumentis, quæ innumerabilia sunt, tum ex inscriptione antiqua, quam post Aringhum, & Boldettum, & alios, Mabillonius retulit *Itiner. Ital. pag.* 135. *edit.* 1724. Habet autem hoc modo: *Alexander mortuus non est, sed vivit super astra, & corpus in hoc tumulo quiescit. Vitam explevit cum Antonino Imperatore; qui ubi multum beneficii antevenire praevideret, pro gratia odium reddit. Genua enim flectens, vero Deo sacrificaturus ad supplicia ducitur. O tempora infausta. Quibus inter sacra, & vota, ne in cavernis quidem salvari possimus. Quid miserius vita? Sed quid miserius morte? Cum ab amicis, & parentibus sepeliri nequeant? Tandem in Cælo coruscat. Parum vixit, qui vixit* IV. X. *Temp.* Sed de hac re agam ubi disseram de *Cæmeteriis*, in quæ se reciperent Christiani, ut persequutionem declinarent.

(4) *Pag.* 8. *ejusdem edit. Latebrosa, & Lucifuga natio, in publicum muta, in angulis garrula &c.*

tiles darent, quasi *inutiles reipublicæ* essent, sibique publico munere abstinendum esse existimarent. De qua quidem calumnia agam in sequenti capite diligenter.

§. XV.

Plautina Prosapia, & Pistores.

NUnc de altera contumelia, qua est Christianos Cæcilius insectatus, dicendum est. Ergo is *Plautinæ Prosapiæ illos, Pistoresque* (1) vocat. Atque eo quidem ausus est nostris hujusmodi appellationem dare, quod ex infima plebe eos esse (2) Gentiles jactarent, ac proinde *Plauti* similes, qui cum summa egestate pressus esset, sese ad manuarias molas *Pistori* locavit, ne (3) fame periret. Quare non *Plautinæ Prosapiæ* modo, sed etiam eos *Pistores* vocavit. Neque vero a Cæcilio solum contra Christianos, sed etiam a S. Hieronymo contra suos reprehensores adhibitæ ita hæ voces sunt, quasi proverbii loco habendæ essent (4). Sed Hieronymus *dicaces* vocibus *Plautinæ familiæ* indicat, non *Pistores* ut factum est a Cæcilio.

§. XVI.

Et Cerdones.

JOhannes vero Lamius (5) vir doctissimus, in eo libro, qui *de Eruditione Apostolorum* inscribitur, ob eamdem rationem *Cerdones* ab Juvenali Poeta fuisse appellatos Christianos censet. Periisse namque ait Poeta (6) Domitianum posteaquam in *Cerdones* gladium strin-

(1) Cæcilius apud Minucium *ibid. pag.* 12. „ Quid ad hæc autem Octavius homo *plautinæ prosapiæ*, „ *ut pistorum* præcipuus, ita postremus Philosophorum?

(2) Nam idem Cæcilius *ibid. pag.* 8. *Christianos de ultima fæce, & seminudos* vocat, ut vidimus in not. ad §. XIII. *hujus cap.* Similia objecerunt *Celsus apud Origenem lib.* III. & Ethnici apud *Tatianum Orat. ad Græcos*, *ut cap. seqq.* videbimus.

(3) Vide Hieronymum *Chron. pag.* 134. *edit. Pontaci an.* 1604. Et Gellium *lib.* III. *Noct. Atticar. cap.* III. *pag.* 88. *edit. an.* 1666. & Varronem apud eumdem Gellium l.c. a quo Varrone rem accepisse videtur Hieronymus.

(4) *Epist.* 1. *ad Pammachium Adversf. Jovinian. pag.* 75. *T.* II. *edit. Romana an.* 1575. „ *Inventa sunt Plautinæ familiæ, & scioli tantum ad detrahendum, qui in eo se doctos ostentare velint, si omnium dicta lacerent.* Et *epist.* 11. *Ad Domnionem pag.* 77. „ *Hunc dialecticum Urbis vestræ* (Jovinianum) *& Plautinæ familiæ columen &c.*

(5) *Cap.* III. *pag.* 41.

(6) *Satyra* IV. *v.* 150. *seqq.*

„ Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset „ Tem-

ſtringere cœpit. Quod eo conſilio fortaſſe dixit, quo *Chriſtiani* violenta morte interiiſſe Domitianum contenderent, quia ſævierat in homines innocentes, quales ſe eſſe ipſi cognorant. Sunt autem *Cerdones* dicti ἀπὸ τῦ κέρδυς *ab lucro*, propterea quod lucri cauſſa opus exercerent. Quamobrem ſumi pro ignobilibus id vocabulum plerumque ſolet, qui labore victum quæritant.

§. XVII.

Et Aſinarii, atque Aſinicolæ.

QUid? ſi Ethnici exiſtimantes noſtros aſini caput colere, & *Aſinarios* (1) ipſos, & *Aſinicolas* (2) appellarunt? Sed de hoc genere accuſationis erit ſequenti capite diſſerendum.

§. XVIII.

Et Extranei, Factioſi, Rei læſæ divinitatis, atque Imperii, Sacrilegi, Profani, & Vani.

CUm vero Chriſtiani abhorrerent a Gentilium myſteriis, ſuperſtitioſoque cultu, factum hinc eſt, ut ab hoſtibus ſuæ religionis *extranei* vocarentur (3).

Cur autem *factioſi* (4) appellati fuerint, qui turbas non agerent, & inter quos nulla erat ſententiæ, animorumque diviſio, viderint Ethnici, quibus nihil magis placere videbatur, quam ut Chriſtianorum famam, exiſtimationemque lacerarent.

 Jam-

„ Tempora ſævitiæ claras quibus abſtulit Urbi,
„ Illuſtreſque animas impune, & vindice nullo.
„ Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus
„ Cœperat.

(1) Tertullianus *Apolog. cap.* XVI. *pag.*159. *edit. Havere. Hic forſitan*, inquit, *improbamur, quod inter cultores omnium pecudum, beſtiarumque* Aſinarii *tantum ſumus*.

(2) Hoc nomen a veterum aliquo Chriſtianis tributum fuiſſe non reperio. Notatur tamen a J. Fr. Buddæo *diſſert. De Origine, & Præſt. nom. Chriſtiani* §. XVIII. Verum ex accuſationibus Ethnicorum concluſum id eſſe a Buddæo cenſeo, non autem indicatum, quaſi expreſſa ejus facta ſit a veteribus mentio.

(3) Conſule Nourrium *Tom.* II. *Apparat. in Bibl. SS. PP. pag.*1497. *edit. an* 1715. ubi de hoc nomine multa diſputat, affertque, ut rem confirmet, locum ex Tertulliani Apologetico *cap.* XXXI. *pag.*282. qui ſic habet. „ Cum concutitur imperium ..... *utique & nos* licet *extranei* a turbis æſtimamur &c.

(4) Minucius Felix in Octav. *pag.*35. *ejuſd. edit.* „ Nec de ultima ſtatim plebe conſiſtimus, ſi honores „ veſtros, & purpuras recuſamus. Nec factioſi ſumus, ſi omnes unum bonum ſapimus eadem congrega„ ti quiete, qua ſinguli, nec in angulis garruli, ſi audire nos publice aut erubeſcitis, aut timetis. Conſule Tertull. *Apol. cap.* XXXIX. & XL.

Jamvero *impii* (1), atque *sacrilegi* (2) dicti sunt, quod diis cultum non adhiberent. Hinc *profani* (3) quoque, & *rei læsæ religionis* (4) audierunt.

Nam *vani*, etiam nominati sunt, quasi vana (5) esset eorum religio, & *vanitas* spes omnis futuræ salutis, & felicitatis.

§. XIX.

(1) Christianis passim objecta *impietas* fuit, ut ex nostris Apologistis, exque Actis SS. Martyrum plane constat. In Actis *SS. MM. Tarachi, Probi, & Andronici* Maximus Præses dicit: κέλευε τοὺς ἀσεβεῖς ... τῆς χριστιανῶν μύτας. *Voca impios Religionis Christianorum cultores*, *pag*.465. & 473. *edit. Ruinart. an.* 1689. Vide *Lactant. l. v. c.* ix.

(2) Tertullianus *cap.* x. *Apolog. pag.* 108. *Itaque sacrilegii, & majestatis rei convenimur*, & *cap.* II. *pag.* 28. *Laniari jubere sacrilegum, si confiteri perseveraverit*, & *cap.* xxxv. *pag.* 296. Et *lib. Ad Scapulam cap.*II. *Tamen nos, quos sacrilegos existimatis*. Nam solita populi erat acclamatio in deposcendis Christianorum suppliciis: *tolle sacrilegos*. Sic enim vertit Rufinus *lib.* iv. *hist.* quæ refert Eusebius de Polycarpi Martyrio loquens *lib.* iv. *cap.* xv. *H. E.* Αἶρε τοὺς ἀθέους. *Tolle Atheos*.

(3) Prudentius *in Romano Martyre de Coronis carm.* xiv. *v.* 85. Sic introducit Tyrannum alloquentem S. Romanum Martyrem

„ Hoc tu parasti perdite spectaculum
„ Cladis cruentæ de necandis civibus,
„ Quos ut Profanos, impiati, & seculi
„ Reos, necesse est, te magistro, interfici.


Hinc apud Minucium Felicem in *Octavio* Cæcilius Christianos *plebem profanæ conjurationis* vocat *pag.*72. *edit. an.* 1672. Lactantius *quoque lib.* iv. *cap.* 27. *D. I. pag.*440. *edit. an.* 1660. auctor est, dæmonas, præsentia Christianorum impeditos, ne Ethnicos deciperent, clamare consuesse, *interesse sacris homines profanos*. Similia extant in interpolatis Actis S. Calixti P. M. quæ vir eruditissimus, nobisque amicissimus Canonicus S Mariæ in Transtyberim Petrus Morettus egregie illustrat in historia suæ Basilicæ.

(4) *Tertull. ibid. cap.* xxiv. *pag.* 235. Nec nos ..... *rei læsæ religionis*.

(5) Prudentius *περὶ στεφάνων Hymno* III. *de S. Laurentio v.* 329. *seqq.* Sic de Tyranno S. Martyrem alloquente scribit:

„ Dicis libenter oppetam,
„ Votiva mors est Martyri
„ Est ista vobis, novimus,
„ Persuasionis *vanitas*

Tertull. Apol. *cap.* iv. *pag.* 46. „ Respondebimus ad singula in quibus ...... *vani* deputamur. Christia-
„ num hominem omnium scelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius ini-
„ micum existimas [Ethnice], & cogis negare &c.



§. XIX.

Et Hoſtes generis humani (1) , *Principum* (2), *Publici* (3), *Rei Majeſtatis*, (4) *Homicidæ* (5), *Inceſtuoſi* (6), *Peſſimi* (7), *Sceleratiſſimi* (8), *& Rei omnium ſcelerum* (9) .

CONſtat autem Tertulliani , aliorumque veterum teſtimoniis, hæc tam contumelioſa nomina , fuiſſe Chriſtianis tributa . Sed quoniam capite ſequente diſputandum de hiſce calumniis (10) copioſe eſt , ſatis hæc fuerit nomina indicaſſe .

§. XX.

Et infructuoſi in negotiis .

ETſi vero recte ſe gererent Chriſtiani in vita civili , quoniam tamen non frequentabant ceremonias Ethnicorum , *infructuoſi in negotiis* (11) appellati ſunt . Ob eamdemque rem , quaſi inutiles eſſent reipublicæ , qui noſtris myſteriis fuiſſent initiati , Flavius Clemens Flavii Sabini Veſpaſiani Imperatoris Fratris Filius accuſatus a Suetonio eſt , ac ſi (12) *contemptiſſimæ inertiæ homo fuiſſet* .

§. XXI.

(1) Tertull. *Apol. cap.* XXXVII. *pag.* 313. Sed hoſtes maluiſtis vocare generis humani .

(2) Ibid. *cap.* XXXV. *pag.* 292. & *cap.* XXXVI. *pag.* 305. *&* 306.

(3) Ibid. *cap.* XXXV. *pag.* 292. *Propterea igitur publici hoſtes Chriſtiani , quia Imperatoribus neque vanos , neque mentientes ..... honores dicant* .

(4) *Ibid. cap.* XXVIII. *pag.* 264. *Ventum eſt ad ſecundum titulum læſæ auguſtioris majeſtatis* . Vide *cap.* X. *pag.* 108.

(5) *Ibid. cap.* IL. *pag.* 35. *Cur non & homicida ? Si homicida Chriſtianus ? Cur non & inceſtus ? Vel quodcumque aliud nos eſſe creditis* . Vide & *pag.* 22. *cap. eod.*

(6) *Ibidem* .

(7) V. Acta *latina* SS. MM. Tarachi, Probi , & Andronici *pag.* 458. *edit. cit. Ruinart.*

(8) *Dicimur ſceleratiſſimi &c. Tertull. ibid. cap.* VII. *pag.* 77.

(9) *Ibid. cap.* IL. *pag.* 32.

(10) §. XIX. *ſeqq.*

(11) „ Sed alio quoque injuriarum titulo poſtulamur , & *infructuoſi in negotiis* dicimur . Quo pacto „ homines vobiſcum degentes , ejuſdem victus , habitus , inſtructus , ejuſdem ad vitam neceſſitatis ? „ Neque enim Brachmanæ , aut Gymnoſophiſtæ ſumus , Silvicolæ , & exules vitæ . Meminimus gratiam „ debere nos Deo Domino Creatori . Nullum fructum operum ejus repudiamus ; plane temperamus , ne „ ultra modum aut perperam utamur . Itaque non ſine foro , non ſine macello , non ſine balneis , ta„ bernis , officinis , ſtabulis , nundinis veſtris , ceteriſque commerciis cohabitamus hoc ſeculum . Na„ vigamus & nos vobiſcum , & militamus , & ruſticamur , & mercatus proinde miſcemus . Artes operas „ noſtras publicamus uſui veſtro . *Quomodo infructuoſi* videamur *negotiis veſtris* , *cum quibus* , de „ quibus vivimus , non ſcio . Sed ſi ceremonias tuas non frequento , attamen & illa die homo ſum &c. „ *Tertull. Apol. cap.* XLII. *pag.* 356. *ſeq.*

(12) *In vita Domitiani cap.* XV. *pag.* 433. *edit. Patini an.* 1675.

§. XXI.

Et Christempori.

Quid caussæ autem fuerit, cur nos hostes Christiani nominis χριστεμπόρους (1) hoc est *institores, mercatoresque Christi* per injuriam, & contumeliam nominarent, cognosci ex eo fortasse potest, quod id se agere nostri dicerent, ut (2) cælestes sibi divitias compararent.

§. XXII.

Et Sibyllistæ.

Superest, ut de *Sibyllistarum* vocabulo dicendum esse videatur. Ergo Celsus Epicureus apud Origenem (3) Christianos Σιβυλλιστὰς vocat. Nam confugere illi ad carmina Sibyllina solebant cum adversus Ethnicos disputarent, idque jam adeo felici successu faciebant, ut multos ad sacra nostra inducerent. Quare cautum a Præfectis fuit (4), ne quis ea pervolvere auderet.

§. XXIII.

Et Judæi.

Erat autem id consuetum Ethnicis, ut primitivos Christianos Judæorum nomine indicarent. Cujus quidem rei exempla apud veteres extant permulta. Sed unde orta hæc fuerit appellatio disquirendum est. Mea autem sic est ratio. Cum a Christo Servatore, in

(1) Chrysost. *homil. in 1. epist. ad Thessal.* VI. *pag.* 467. *T.* XI. *opp. edit. Paris. Montfauc.* Διὸ καὶ χριστεμπόρους καλοῦσιν ἡμᾶς. *Quare & Christi mercatores nos vocant.* Hoc tamen appellationis genus Juliani Imperatoris ætate vetustius esse non arbitror, quod nullum veterum reperiam, qui illius meminerit.

(2) Basilius Seleuciensis: τοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ ἐμπορεύεσθαι θησαυρούς. *Celestes mercari Thesauros.* Vide Macarium *homil.* XVI.

(3) *Orig. l. v. contra* Celsum *num.* LXI. *pag.* 623. *T.* I. *edit. Monach. S. Mauri.*

(4) Vide, quæ ex Patribus Justino, Clemente Alex., & aliis animadvertunt Benedictini in locum mox indicatum Origenis. Justinus Mart. Apol. 1. *num.* 44. *nov. edit. Paris. Mon.* S. Mauri *pag.* 70. sic habet „ θάνατον δὲ ὁρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπου, ἢ Σιβύλλης, ἢ τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων. *Sancita mors est in eos, qui legunt Histaspis, Sibyllæ, aut Prophetarum libros.*

in Judæa, exque Iudæ Tribu orto, introducta esset Christiana religio, tum vero ab Apostolis, qui Hebræi natione erant, late longeque propagata; essentque etiam Sacra Biblia, multaque dogmata communia Christianorum, ac Judæorum (1); factum hinc est, ut initio, cum nomen Christianum non ita pervulgatum esset, & plerique Christiani originem e Judæis ducerent, confusi utrique, omnesque *Judæorum* nomine appellati sint.

Quamobrem Suetonius *Judæos* a Claudio Roma pulsos fuisse scribit, propterea quod *auctore Chresto* turbas (2) agerent, *Chresti* namque nomine *Christum* indicat, cujus caussa *Judæi* inter se dissiderent, cum alii quidem Messiam eum esse defenderent, alii contra negarent. Ego enim Paulum Christianum Hilscherum (3), qui de Christo loqui Suetonium inficiatur, nihil moror. Nam ut mittam, qui de *Christo* intelligendum eum locum esse arbitrantur (4), certa res est *Christum* ab Ethnicis sæpe fuisse vocatum (5) *Chrestum*; cumque nulla caussa sit, cur alium quempiam Suetonio memoratum fuisse putemus, cujus caussa tumultus inter Judæos Romæ agentes orirentur, fateamur necesse est *Chrestum* Suetonii eumdem atque *Christum* esse oportere. Accedit præterea Lucæ testimonium ajentis *Judæos* omnes a Claudio fuisse (6) ex Urbe ejectos, quare abiisse eos etiam simul, qui Christianam religionem profiterentur, quod sane exilium *Judæorum* ab eo non discrepare censeo, cujus est a Suetonio facta (7) commemoratio.

Est

(1) Hinc nos successores Judæorum, & posteros esse observat Lactancius *lib.* v. *Divin. Instit. cap.* xxii. *pag.* 553. *edit. an.* 1660. & ante Lactantium Tertullianus *Apolog. cap.* xvi. *pag.* 156. *edit. Havercamp.* de Tacito loquens „ *Is*, inquit, *in quinta Historiarum suarum bellum* Judaicum *exorsus ab origine gentis, etiam de ipsa tam origine, quam de nomine & religione gentis, qua voluit, argumentatus, Judæos refert ..... Onagri consimilis bestiæ superficiem consecrasse. Atque ita inde præsumtum, opinor, nos quoque ut Iudaicæ religionis propinquos, eidem simulacro initiari.*

(2) Vide supra §. x. *cap. superior.*

(3) *Differt. de Chresto edita Lipsiæ an.* 1697. Sequutus autem hic est Usserium, aliosque nonnullos, quos omnes esse ἑτεροδόξους intelligo, quosque citat Pitiscus *in notis ad locum illum Suetonii*.

(4) Vide Orosium *lib.* vii. *cap.* iv.

(5) Consule quæ de hac re §. x. *capitis superioris* disputata sunt.

(6) *Cap.* xviii. *Actor. Apost. v.* 1. *seq.* „ Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum, & inve-„ niens quemdam Judæum, nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscil-„ lam uxorem ejus, [eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma] accessit ad eos „. Sed de hac re consuli poterunt Baronius, & Petrus Franciscus Fogginius *Bibliothecæ Vaticanæ* custos vir singulari eruditione, & amicus meus *exerc.* vi. *de itinere S. Petri pag.* 113. *edit. an.* 1741. Ac de *Christo* errore quodam in *Chrestum* immutato extant Protestantium duorum eruditorum *Christophori Augusti Heumanni*, *&* *Michaelis Rossal* Dissertationes.

(7) Consule Cornelium a *Lapide* in *locum Lucæ mox indicatum*. Estque eadem J.F. Buddæi Lutherani scriptoris sententia. *Differt. de Orig. Dignit. & usu nom. Christiani* §. xviii. *pag.* 417. *seq. edit. an.* 1715.

Est præterea Auctor Dio *Acilium Glabrionem* (1) virum consularem affectum fuisse supplicio, qnod accusatus Atheismi fuisset, transissetque ex Ethnicismo ad *Judæorum* religionem. *At Judæorum* vocabulo *Christianos* significat, ut est a viris doctissimis (2) observatum. Quinetiam addit idem ipse Dio *Flavium Clementem* capitis (3), & *Flaviam Domitillam* exilii pœnam tulisse, quia ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη *in mores Judæorum* inciderant, qua sane appellatione *Christianos* notari perspicuum (4) est. Adjungit vero vetitum a Nerva Domitiani successore fuisse, ne quis contemtus Deorum quemquam, neu Judaici ritus crimine accusaret (5). Atque huc spectat Spartiani locus de Caracalla. „ Septennis puer, inquit, quum *Collusorem* „ suum puerum, ob *Judaicam* religionem gravius verberatum au- „ disset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel aucto- „ res verberum diu respexit (6). Quid multis opus est? Lampridius in Alexandro (7) Severo satis luculenter indicat Judæorum nomine significatos ab se eos fuisse, qui Christianam colerent, & tuerentur religionem. „ *Clamabat sæpius*, inquit, *quod a quibusdam sive* Judæis, *sive* Christianis *audiverat*, *&* *tenebat*; *idque per præconem*, *quum aliquem emendaret, dici jubebat*; *quod tibi fieri non vis alteri ne feceris*. Quare Judæos illos, quos nominant (8) Rutilius, & (9) Arrianus

(1) In *Domitiano*. Xiphilinus in Epitome Dionis, ubi de Domitiano agit. *Glabrionem quoque, qui cum Trajano magistratum gesserat accusatum præter cætera superioris criminis* [hoc est Judaismi] *etiam cum bestiis, quando pugnasset, interfici jussit*.

(2) Baron. *ad an.* xcIv. *n.* 1. & Huetio *demonstr. Evang. Proposit.* III. *num.* 22.

(3) *Xiphil. Epitom. Dion. Ibid.* „ Eodem anno Domitianus cum alios multos, tum vero Fabium Cle- „ mentem Consulem, etsi patruelis ejus erat, & Flaviam Domitillam Domitiani consanguineam uxorem „ habebat, morte affecit, illato ambobus crimine Atheismi, cujus rei caussa multi, qui in mores Ju- „ dæorum transierant, damnati sunt, quorum pars occisa est, para spoliata facultatibus: Domitilla „ tantummodo in Pandatariam relegata est.

(4) Adisis Eusebium *lib.* III. *H. E. cap.* xvIII. *pag.* 109. *edit. Cantabrigien.* Et Hieronymum in Epitaphio Paulæ, qui Flaviam Domitillam ob Christianam religionem relegatam in insulam Pandatariam fuisse tradunt.

(5) *Dio in Nerva* refert vetuisse illum, quempiam ἐπ' ἀσεβείας, ἐπ' ἰουδαϊκῷ βίῳ καταιτιᾶσθαι, *neque contemptus Deorum neque Judaicæ vitæ crimine accusare*.

(6) *Initio vitæ Antonini Caracallæ*. Est autem Auctor Tertullianus *in lib. ad Scapulam cap.* Iv. *lacte Christiano fuisse educatum Caracallam*.

(7) In vita *Alex. Severi*.

(8) Vixit ætate Honorii Imperatoris. Sed suos imitatus, qui olim nostros Judæos vocaverant, sic scripsit *Itinerar. v.* 395.

Atque utinam numquam Judæa subacta fuisset
Pompeii Bellis, imperioque Titi.
Latius excisæ Gentis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

(9) Dissert. *in Epictet. lib.* II. *c.* IX. *pag.* 249. *edit. an.* 1596. quo loco accusat eos, qui Philosophi personam sumunt, quum non sint. „ Quid appellas te Stoicum? Quare decipis, & fallis tam multos? „ Quam

rianus quique de rebus divinis disserebant, illiciebantque plerosque Ethnicorum ad suæ sectæ mysteria, non alios, quam Christianos fuisse censeo, Petrum Danielem Huetium, aliosque viros eruditissimos Auctores vehementer sequutus.

§. XXIV.

Et ab Judæis, atque Gentilibus Galilæi.

Accedit *Galilæorum* vocabulum, quod ex Judæis profectum videtur esse. Nam erant hi animo ita comparati, ut vatem nullum, multoque minus Messiam e *Galilæa* prodire posse arbitrarentur. Itaque ut nostros afficerent contumelia, ad varias gentes, ut Justinus scribit, legatos miserunt, qui nunciarent: excitatam *impiam sectam* [sic enim nostram religionem vocabant] ab Jesu quodam *Galilæo* fuisse (1); a qua necesse esset, ut sibi quisque caveret. Neque vero Christum Servatorem tantummodo, sed eos etiam, qui ei se addixissent, vocasse Judæi videntur viros *e Galilæa*. Etenim Johannes *cap.* VII. *Evangelii* Pharisæos commotos in Nicodemum, propterea quod audiendum ante esse Christum, cognoscendumque quid ageret, affirmasset, sic eum fuisse alloquutos tradit: „ *Numquid & tu Galilæus es?* Vel *ex Galilæa es? Scrutare scripturas, & vide, quia a Galilæa Propheta non surgit*. Scio esse aliquos, qui secus hæc verba esse explicanda putent. Sed cur hoc sensu usurpari nequeant, assequi nullo modo possum, cum tam esset Judæorum perversa de *Galilæis* opinio. Quare mirum non est, si deinceps illi nostros *Galilæos* nominaverunt. Ad quam rem confirmandam conducit Johannis Malalæ (2) testimonium. Antea enim quam discipuli sibi imposuissent nomen Christianorum Antiochiæ, dictos eos fuisse scribit *Nazaræos*, atque *Galilæos*. Ab se autem sibi ipsis hanc fuisse tribu-

„ Quam ob caussam vis haberi inter Græcos, cum sis Judæus? An nescis ut quisque dicatur Judæus? ut „ Syrus? ut Ægyptius? Quod si quem alternantem viderimus, dicere solemus non esse Judæum, sed si„ mulatorem. Cum autem affectum receperit illius disciplinæ, eamque professus fuerit, tum est & re, „ & nomine Judæus.

(1) Consule Justini Martyris locum quem supra §. hujus capitis IV. attuli.

(2) *Hist. Chronic. pag.* 318. *edit. Oxon. an.* 1691. πρώην γὰρ Ναζωραῖοι ἐκαλοῦντο, καὶ γαλιλαῖοι οἱ χριστιανοὶ. *Ante enim Nazaræi vocabantur, & Galilæi Christiani.*

tam appellationem, inducere animum non possum, ut credam (1). Nullum enim extat ejus apud Scriptores sacros Novi Testamenti, primorumque Patrum monumentis vestigium. Quamobrem ab *Judæis* factum id fuisse verisimile est, qui vivo Christo, ut est paullo ante animadversum, ejusmodi vocabulum usurpare non dubitaverant. Quod quidem constitui *Canonis* Antiocheni auctoritate posset, si modo esset ulla. Sed quoniam ea Synodus in apocryphis merito numeratur, mitto de ipsa copiosius dicere (2).

Ab Judæis autem ad Græcos manavit *nomen Galilæorum*. Atque usurpatum illud profecto ab Arriano Nicomediensi est, ut Christianos perstringeret (3). Nam quos alios ille indicarit hoc nomine, ne conjectura quidem intelligere possumus. Vixit autem Arrianus cum Hadriano Imperatore. Ac si genuina est Tiberiani Primæ Palestinæ Præsidis ad Trajanum Epistola, [esse autem genuinam plerique (4) viri & eruditi, & apud suos celebrati ob criticæ facultatis peritiam, censent] nullum dubium est, quin Christianis jam usque ab initio secundi seculi tributum ab Ethnicis etiam fuerit nomen *Galilæorum* (5). Non ergo Natali Alexandro (6) assentior, qui medio primum quarto Ecclesiæ seculo adhiberi hanc appellationem cœpisse putat.

Verum

(1) Est eadem Johannis Matthiæ Gesneri *Dissert. De Ætat. Dialogi Philop. edit. nova operum Luciani T. III. pag. 730. sub prima*, inquit, *rei Christianæ initia, qui sanctissimum Servatoris nostri disciplinam essent amplexi, μαθηταὶ hoc est* discipuli *vocabantur: ab inimicis autem Galilæi, itemque Nazareni*.

(2) Confer Natalem Alexandrum *Hist. Eccl. seculi* 1. *Dissert.* xx. & Antonium Pagium *Crit. Baron. ad an.* LVI. *n.* 3. Plura etiam de hac Synodo complexus est *Joh. Alb. Fabricius* homo de Secta Lutheranorum *Tom.* III. *Codicis Apocryphi Novi Testamenti pag.* 336. *& seqq.*

(3) *Lib.* IV. *Dissertation. in Epictet. cap.* VII. *pag.* 419. *edit. an.* 1596. ὑπὸ μανίας μὲν δύναταί τις οὕτω διατεθῆναι πρὸς ταῦτα, καὶ ὑπὸ ἔθους οἱ γαλιλαῖοι· *Ergo insania sic aliquis affici potest adversus illa* (nempe *satellites, tormenta, vitam &c.*), *& consuetudine, ut Galilæi*. Ac de Christianis hæc intelligi non negat Gesnerus *l. c. pag.* 732.

(4) Iique hæretici, ut Pearsonius *Vindicat. Ignat. par.* II. *cap.* IX. *pag.* 399. *T.* II. *Apost. PP. edit. Amstel. an.* 1724. Usserius *in notis ad cap.* IX. *epist. Interp. Ignatii ad Philadelph. & pag.* 181. *T.* II. *Apost. PP. ejusd. edit.* Johannes Albertus Fabricius *opere inscript. Salutaris lux Evangelii cap.* VII. *pag.* 137. *Joh. Franc. Buddæus Diss. de Dignit. & usu nom. Christ.* §. XVII. Scio Dodvvellum, Samuelem Basnagium, & alios contra sentire. Sed nolo de hoc genere controversiæ agere. Satis enim est, quod attuli ex Arriano.

(5) Apud Suidam *ad v. Trajanus*. ἀπίκαμον, inquit, τιμωρούμενος, καὶ φονεύων τοὺς γαλιλαίους τοὺς τοῦ δόγματος τῶν λεγομένων Χριστιανῶν. *Defatigatus sum puniendo, & necando Galilæos dogmatis, qui dicuntur, Christiani*. *Vide T.* II. *Apost. PP. pag.* 181.

(6) *Loc. cit.*

Verum quidem est tritam eam usu ab Juliano (1) Imperatore fuisse, quo ludibrio exponeret, quam ipse, per summum scelus, deseruerat religionem. Immo vero traditum a Gregorio Nazianzeno memoriæ est, fuisse a Parabate illo Imperatore legem latam (2), qua caveretur ne quis nostros alio nomine appellaret. Sed hinc tamen consequens esse nullo modo potest, auctorem Philopatridos, quod usus *Galilæorum* nomine fuerit ad designandos Christianos, non esse Juliano antiquiorem. Nam etsi sunt nonnulla fortasse, quæ hoc efficiant, argumenta, hoc tamen, in quo aliquid pro se præsidii locatum esse Gesnerus (3) putat, nullius momenti est. Cum enim demonstratum paullo ante sit, ab Arriano, qui Hadriani, & Antonini ætate vixisset, indicatos fuisse Christianos hoc nomine, non equidem capio, cur ob eosdem *Galilæos* dictos referendus Auctor *Dialogi* Philopatridos in Juliani ætatem omnino sit, nullo autem modo in tempora superiorum Imperatorum. Nec vero me movet, quod Gesnerus (4) animadvertit, ab Epicteto fortasse hanc vocem fuisse mutuatum Arrianum; Epictetum autem vitam ad Sancti Marci tempora produxisse, audireque potuisse, quæ scripta a Tiberiano ad Trajanum fuissent de hominibus professione Christianis, & Galilæis natione, atque ea tradidisse Arriano, qui bona fide omnia exceperit, & litterarum mandaverit monumentis. Utcumque enim res habuerit sese, hoc certum est tamen, quod ne Gesnerus quidem negaverit, ab Arriano sic fuisse adhibitum nomen *Galilæorum*, ut ejus sententia, *Christianos* significaret. Quod cum ita sit, nihil impediebat, quo minus alii Arriani exemplum imitarentur, unusque eorum esset auctor Philopatridos (5). Quamquam est illud ridiculum,

N 2

(1) Julianus *in epist. ad Arsacium apud Sozomenum libro v. cap.xvi.* Αἰσχρὸν εἰ τῶν μὲν Ἰουδαίων οὐδεὶς μεταιτεῖ, τρέφουσι δὲ οἱ δυσσεβεῖς γαλιλαῖοι πρὸς τοῖς ἑαυτῶν, καὶ τοὺς ἡμετέρους. *Turpe fuerit ex Judæis quidem neminem mendicare: impios vero Galilæos, præter suos pauperes, etiam nostros alere.* Et cum alloqueretur Marin Episcopum senem, & cæcum, apud Sozomenum *l. v. c. iv.* οὐ δὲ ὁ γαλιλαῖος σου θεὸς θεραπεύσει σε. *Nequaquam vero tuus Galilæus Deus te sanabit*, inquit. Vide præterea Chrysost. *Homil.* LXIII. *Tom.* I. *edit.* Francoford. *pag.*640. Theodoretum *lib.* III. *H. E. c.* IV. Socratem *lib.* III. *c.* XII. Et *epist.* XL. *Juliani edit. Spanhem. & epist.* XLIII. *ad Ecebolum.*

(2) *Orat.* III. *pag.* 81. *edit. Colon. an.* 1690. γαλιλαίους ἀντὶ Χριστιανῶν ὀνομάσας, καὶ καλεῖσθαι νομοθετήσας. *Galilæos pro Christianis nominans, & lege ut vocaremur, decernens.*

(3) Gesnerus *l. c.* §. XXXIX. *pag.*730.

(4) *Ibid. pag.* 731. *& seq.*

(5) Sic autem is habet agens de Paulo, quem constat fuisse Tarsi natum. *num.* 12. *pag.* 597. *ejusd. edit. T.* III. *Sed postquam in Galilæum incidi recalvastrum, nasonem, qui per aera incedens, in tertium*

lum, quod Gesnerus de Epicteto, quasi Tiberiani litteras viderit, scribit. Quemadmodum enim vidisset eas, quæ fortassis, nusquam fuissent? Nam dubitat (1) Gesnerus *genuinæ ne*, an *spuriæ* sint habendæ. Deinde sic *genuinæ* sint, nihil enim impedio: Quid? verum ne erit Tiberianum de his fuisse loquutum, qui, cum religione *Christiani*, tum natione *Galilæi* essent? At erat Tiberianus ἡγεμονεύων τῆς πρώτης παλαιστινῶν, *Præses primi Palæstinorum*. Quid ad rem? Sed *primi Palæstinorum* iidem atque *Galilæi* erant. Ego vero *Galilæos primos Palæstinorum* fuisse vocatos, persuaderi mihi non opinione Gesneri, sed ratione plane volo. Ac Hierosolymitas, qui primas semper inter Palæstinos obtinuissent, *primos Palæstinorum* dici commode potuisse, censeo propius ad similitudinem veritatis accedere. Sed satis multa de *Galilæorum* vocabulo (2).

§. XXV.

Et Nazaræi.

Venio ad nomen *Nazaræorum*. Est vero illud Christianis impositum ab iis, qui *Judæorum* superstitione tenebantur. Quare nostra quoque religio vocata ab ipsis fuit *Secta* (3) *Nazarenorum*. Ratio autem hujus appellationis, nisi mea me fallit opinio, hæc fuit. Cum Judæi tantum sibi tribuerent, ut contemtui haberent eos, qui in Galilæa, in qua est *Nazarethum*, orti fuissent (4), Christum

tertium usque Cœlum penetraverat, resque pulcherrimas didici &c. Dodwellus *Dissertat. Cyprianica* XII. a Celso etiam Epicureo Christianos fuisse *Galilæos* vocatos scribit. Sed apud Origenem ne vestigium quidem hujusce vocabuli reperire licet.

(1) *Ibid. pag.* 731. *not. d.*

(2) Permittendum vero Gesnero non est, quod censet post ætatem Apostolorum obsolevisse vocabulum *Galilæorum*, neque usurpatum usquam ad tempora Juliani fuisse. Namque in Actis *Mart. Theodoti Ancyrani*, & VII. *Virg.* perscriptis a Nilo, nescio quo, teste oculato circa an. Christi CCCIII. apud *Ruinartium pag.* 368. *edit. cit.* Teotecnus sententiam fert hoc modo „ *Theodotum Protectorem Galilæorum, Deorum vero hostem .... potestas nostra jubet gladii subire pœnam*. Extremum est, ut notem fuisse aliquos, qui nescio quos Galilæos inter hæreticos Judæorum referrent. Id vero plerisque Justino *in Dialogo cum Tryphone Judæo pag.* 307. *edit. an.* 1615. Eusebio *lib.* IV. *Hist. Eccl. cap.* XXII. Hegesippum sequuto. Fortasse Sectatores Judæ Gaulanitæ, vel Galilæi hoc nomine indicarunt, de quo Lucas *Actor.* XIII. 1. 2.

(3) *Act.* XXIV. *v.* 5. Tertullus Felici Præsidi hæc de Paulo dicit „ Invenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditionem omnibus Judæis in universo orbe, & auctorem seditionis τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως: *sectæ* Nazaræorum.

(4) Nam Galilæi male apud Judæos audiebant non solum ob vitiatum, atque corruptum dicendi genus

ſtum vero educatum fuiſſe in hoc oppido certo ſcirent; afficere nos contumelia ſe poſſe cenſuerunt, ſi nobis ipſis *Nazaræorum* (1) vocabulum indidiſſent. Ethnici autem, qui ita Chriſtianos ab Judæis vocari intelligebant (2), rati vocem ejuſmodi eſſe probri, & irriſionis plenam, uſi ipſa nonnumquam fuerunt, ut qui nihil quod nobis noceret, prætermittendum ſibi eſſe arbitrarentur. Etſi vero inimici Chriſtiani nominis hoc vocabulo, quo nos irriderent, delectabantur, a majoribus tamen noſtris rejectum eſt. Neque enim vera eſt Cornelii Dieterici Kochii in Academia Julia olim Profeſſoris (3) ſententia, qui æquo animo eos ſuſcepiſſe *Nazaræorum* nomen defendit, quod ſibi impoſitum erat ab inimicis. Nam verba Petri *Act.* II. quibus Servatorem noſtrum *Jeſum Nazarenum* vocat, præſidio illi eſſe non poſſunt. Eo namque hoc dixit Apoſtolus, quo Judæi, quibuſcum loquebatur, quique ſic appellabant Chriſtum, de quo tandem *Jeſu* ageret, aſſequerentur; non quo primi Chriſtiani ſuſcepiſſent appellationem *Nazaræorum*. Locus autem Tertulliani tantum abeſt, ut Kochio aliquid afferat adjumenti, ut potius cum hujus opinione pugnare videatur. Etenim ab Judæis nos *Nazarenos* dici ſcri-

nus, ſed etiam ob ſtuporem, atque ſtultitiam. Hinc factum eſt ſermone tritum proverbium *Galilæus demens*, quum ſignificare Judæi vellent hominem *inſigni ſtupore*, ut obſervat *Hackſpanus* homo cæteroqui Hæreticus *P. I. not. Theol. Philol. Proleg. pag.* 9. Quare Nicodemo, ut vidimus §. ſuperiore Phariſæi dixerunt per contumeliam: *μὴ καὶ σὺ ἐκ Γαλιλαίας εἶ*. *Numquid & tu ex Galilæa es.* Ergo Chryſoſtomus *Hom.* XX. *in Johan. al.* XIX. *n.* 1. *pag.* 115. *T.* VIII. *opp. edit. Pariſ. Montfauc.* ab Judæis habitos fuiſſe *Galilæos* ſcribit ut genus hominum *ἀγροικότερον, καὶ παχύτερον rudius, atque tardius*. Atque inde etiam intelligi poteſt, cur nos Julianus vocarit nomine *Galilæorum*. Inter Galilææ vero oppida Nazarethum imprimis contemtui Judæis erat: unde profectum illud Proverbium eſt, *ἐκ Ναζαρὲθ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; a Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Joh. Evang. c.* I. *v.* 46. Sed errabant vehementer Judæi. Qua de re adeundus Calmetius eſt *Comm.* in hunc locum. Nam quod ad Galilæam attinet, ex qua nullum Prophetam prodire poſſe cenſebant, falſum omnino eſt. Jonas enim Galilæus fuit, ut præter alios pleroſque, oſtendit Hammondus *in cap.* VII. *v.* 52. *Evang. Johann.*

(1) Conſule Act. Apoſt. *c.* XXIV. *v.* 5. Et *Epiph. Hæreſ.* XXIX. *pag.* 124. *T.* I. *opp. edit. Petav.* & Hieronymum *l.* II. *in Iſaiam*, & *lib.* I. *in Amos*, qui duo poſtremi tradunt *Nazaræos* ter qualibet die fuiſſe ab Judæis diris devotos. *Nazaræorum* autem nomine cenſeo Chriſtianos intelligi oportere. Huc autem ſpectant, quæ diſputat M. Johannes Kindlerus *in ſuo Nathanaele ad Johan.* I. *v.* 46. §. 9. & *ſeqq.*

(2) Prud. *de Coronis carm. ſeu Hymn.* II. *pag.* 59. *edit. an.* 1613. De Judice ſic alloquente Vincentium ſcribit. *v.* 25. & *ſeqq.*

" *Vos Nazareni adſiſtite*
" *Rudemque ritum ſpernite.*

Et Hymno XIV. *v.* 41. & *ſeqq. pag.* 132. Similia repetit. Vide Malalam *l. c.* §. *ſuperiore*, & Suidam ad v. Ναζωραῖοι.

(3) *In Annalibus Acad. Juliæ Semeſtri* IV. *pag.* 196.

(4) *Lib.* IV. *contra Marcion.* VIII. *Nos Judæi Nazaræos appellant: nam & ſumus, de quibus ſcriptum eſt.* [*Thren.* IV. *v.* 7.] Nazaræi exaltati ſunt ſuper nivem.

ci scribit, a nobis autem ipsis nusquam scribit. Nam quod addit: *& sumus*, non eo consilio addit, ut statuat *esse* hoc a nobis tributum nostris nomen, sed ut efficiat inflectendo vocem *Nazareni* in *Nazarai*, tales nos esse revera, quales erant *Nazarai*, quorum fit in sacris litteris mentio, & qui magno apud Judæos in pretio habebantur.

Sed translatum deinceps nomen *Nazaræorum* fuit, ut eos significaret, qui circumcisionem, ritusque ceteros Mosaicæ legis observandos omnino esse defenderent (1). Fuerint ne vero hi discrepantes ab hæreticis *Nazarais*, quorum Epiphanius (2), Hieronymus (3), aliique (4) veteres meminerunt, non facile est dijudicare. Neque vero est instituti mei, ut in hoc genere controversiæ operam esse conterendam putem. Ac sunt eruditi viri plerique, qui de ea ipsa ediderint commentarios (5), ut etiam si vellem, opus tamen non esset de hæreticis *Nazarais* copiose disserere.

§. XXVI.

Quibus nominibus Orthodoxi vocati ab Hæreticis fuerint, imprimisque de nomine Psychicorum, *seu* Animalium, *quod Catholicis Montanistæ imposuerunt.*

Sed quemadmodum Ethnici, & Judæi, sic Hæretici, qui non minore odio in Orthodoxos ferri solerent, variis nominibus nostros contumelia vocaverunt. Est autem de his etiam, quoniam ita ratio postulat, breviter dilucideque dicendum. Ordiar autem a Montanistis, qui cum ab Catholicis sua *oracula*, suumque *Paracletum Montanum* despici, contemnique perspicerent, idque iniquo animo

(1) De his agit Johannes Albertus Fabricius *Salut. luce Evang. c.* III. *num.* 2. *pag.* 48.

(2) *Hæresi* XXIX.

(3) *Epist.* LXXIV. *al.* LXXXIX. *ad August. T.* IV. *opp. edit. Martianai pag.* 623. „ Usque hodie, *inquit*, per totas Orientis Synagogas inter Judæos hæresis est, quæ dicitur Minæorum, & a Pharisæis „ nunc usque damnatur, quos vulgo *Nazaræos* nuncupant, qui credunt in Christum Filium Dei, in „ quem, & nos credimus. Sed dum volunt & Judæi esse, & Christiani, nec Judæi sunt, nec Christiani.

(4) Augustinus, & Philastr. *de Hæresibus*.

(5) Imprimisque ex Hæreticis Joh. Laurentius Moshemius *in Vindiciis adversus Johannis Tolandi Nazarenum*. Kil. *an.* 1720. In 4. *Et in notitia scriptorum*. *Et Dissert. suarum Helmstadii an.* 1731. *pag.* 13. *& seqq.* Johannes Albertus Fabricius *Salutar. luce Evang. c.* III. *pag.* 40. *& seqq.* Matthæus Hillerus *Dissert. de Elogio Crucis Dominicæ*. *Joh. Guillelmus Bajerus Dissert. de Nazarenis Christo, Christianis, & Hæreticis*. *Jenæ an.* 1692. & Thomas Ittigius *de Hæresiarchis Apostolic. ætat. pag.* 69. *& seqq.* E Catholicis vero videndus Honoratus Niquetus *Soc. Jesu in Histor. Tituli S. Crucis lib.* 1. *cap.* XV. *pag.* 103.

mo paterentur, censuerunt nostris esse imponendum ψυχικῶν seu *animalium* (1) nomen, quasi hi *spiritu* carerent, unumque haberent illud, quod est commune omnium *animantium*. Neque vero a *Montanistis* tantum, sed ab aliis etiam Hæreticis, qui *Cataphrygibus* [nam erat hæc altera appellatio Montanistarum] essent antiquiores, vexati Catholici sunt non absimili contumelia. De qua re extat Clementis Alexandrini satis præclarum, atque perspicuum testimonium (2).

§. XXVII.

De Secularium, *&* Carnalium *vocabulis, quæ indita nostris a Valentinianis fuerunt.*

SUnt autem huic affinia, quæ Valentiniani, ut nostros morderent, excogitarunt. Cum enim intelligerent Catholicos pro hujus seculi conditore pugnare, defendereque *carnem* non *malo* cuipiam dæmoni acceptam referri oportere, sed creatam a summo omnium rerum parente, eoque optimo, sapientissimo, infinitæque potestatis Deo esse; hos per summam impudentiam *Mundanos, vel Seculares* (3), atque *Carnales* (4) appellaverunt. Nam erat hoc Valentinianis, ceterisque *Gnosticis* hæreticis persuasum, carnem, ut & hoc seculum a *malo principio* ortum esse, ac proinde improbos, scelestosque esse illos, qui Conditoris hujus seculi defensionem susciperent.

§. XXVIII.

(1) *Tertullianus Adversus Praxeam cap.* 1. *Nos quidem*, inquit, *agnitio Paracleti disjunxit a Psychicis*. Et *de Monogamia cap.* 1. *Haretici nuptias auferunt*, Psychici *ingerunt*. *Vide cap.* xi. *&* xvi. Sexcenta sunt hujusmodi, quæ ne sim longus prætermitto.

(2) Clemens Alex. *lib.* iv. *Stromat. pag.* 604. *edit. Oxon. T. I. opp.* Μὴ τοίνυν ψυχικὰς ἐν ὀνείδει μέρει λεγόντων ὑμᾶς οἱ προειρημένοι, ἀλλὰ καὶ οἱ φρύγες. *Non ergo probri loco nos* animales *dicant, aut prius memorati homines, aut etiam Phryges*. Et S. Irenæus *lib.* 1. *cap.* xi. *contra Hæreses pag.* 29. *edit.* Oxon. Gnosticos sic de nobis loqui consuesse scribit: „ Erudiuntur *Psychica* ... „ *Psychici Homines*, qui per operationem, & fidem nudam firmantur, & non perfectam agnitionem „ habent. Esse autem hos nos, qui sumus ab Ecclesia, dicunt. Quapropter & nobis necessariam esse „ bonam conversationem respondent. Aliter enim fieri non posse „ ut salvemur. Ipsos autem non per „ operationem, sed per naturam spiritales esse. *Edit. Massuet. l.* 1. *c.* vi. *pag.* 29. *edit. Parif.*

(3) Iren. *lib.* 1. *cap.* vi. *n.* 4. *pag.* 31. *edit. Massuet.* „ Quapropter nobis quidem, quos Psychicos „ vocant, & *de seculo* esse dicunt „. Sic enim vertit Interpres vetus Irenæi verba: καὶ ἐκ κόσμου εἶναι λέγουσι: *ac de mundo esse dicunt*.

(4) *Vide l.* 1. *Adv. Hæref. cap.* xv. *edit. Oxon. Grabbe pag.* 83. *num.* 11. Immo vero Gnostici *Idiotas* nos, *& nihil scientes* vocarunt. Irenæus *l.* 1. *c.* vi. *edit. Parif. Massuet. pag.* 31. Quin etiam *& communes Ecclesiasticos*, *Iren. l.* iii. *c.* xv. *pag.* 203. *edit. Massueti Parif.*

§. XXVIII.

Cur Catholici vocati fuerint a Chiliastis Allegoristæ.

CElebris est Millenariorum secta. Millenarii vero dicti sunt, quod Sanctos cum Christo regnaturos in terris *mille annorum intervallo* putarent. Ac χιλιασταὶ quidem græce, latine autem *millenarii* appellari solent. His autem nonnulli primorum Patrum accesserunt, quorum etsi initio tolerata fuit, progressione temporum tamen est ab Ecclesia damnata sententia (1). Jam vero cum eorum aliqui audirent a nostris, allegorico sensu esse usurpanda Johannis in Apocalypsi (2) *de regno mille annorum* verba; eo tandem venerunt, ut Catholicos *Allegoristas* (3) vocare auderent.

§. XXIX.

De Simplicium *vocabulo, quod Manichæi Catholicis indiderunt.*

MAnichæi autem, qui similes propter audaciam, essent Gnosticorum, sesque *electos, puros, beatos* nominarent, contemptu quodam, & contumelia *simplices* Catholicos appellaverunt. Namque ægre ferebant recusari, reprobarique a nostris impiam suam de duobus *principiis bono*, atque *malo* opinionem. Itaque Orthodoxos ipsos, quasi ignari optimarum rerum essent, *simplices*, & Episcopos nostros *Magistros simplicium* (4) vocarunt.

§. XXX.

(1) Consule Tillemontium *Mem. Hist. Eccl. T.* II. *pag.* 329. *& seqq. edit. an.* 1694. Et Ludovicum Antonium Muratorium *lib. de Paradiso adversus Burnetium*.

(2) *Apocalyps. cap. xx. v.* 4.

(3) Eusebius *lib.* VII. *Hist. Eccl. cap.* XXIV. de Nepote Episcopo Ægyptio, qui Millenariorum tuebatur sententiam loquens, ἔλεγχον, inquit, ἀλληγοριστῶν λόγον τινὰ περὶ τούτου συντάξας ἐπιγράφει. *Librum quem de hac quæstione composuerat, confutationem Allegoristarum inscripsit.* Vide Tillemontium loco mox indicato *pag.* 333.

(4) Manes *Epist. ad Marcellum Disp. Archel. cum Manete apud Zacagnium in Collectaneis &c. Monum. Eccl. Græca, ac Latina edit. an.* 1698. *pag.* 7. ὡς οἱ τῶν ἁπλουστέρων καθηγεμόνες διδάσκουσι λέγοντες τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ κακὸν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ φέρεσθαι. *Sicut simpliciorum Magistri docent, dicentes bonum, & malum ab eodem inferri.*

§. XXX.

Cur Novatiani appellaverint Catholicos Cornelianos, Apostatas, Capitolinos, & Synedrianos.

Sequitur ut explicem quamobrem Novatiani Catholicos dixerint *Cornelianos*. Est vero id perfacile ad explicandum. A *Cornelio* (1) enim Pontifice vero, quo cum nostris erat societas communionis, duxerunt nomen *Cornelianorum*.

Nam Orthodoxos præterea *Apostatas* nominarunt, propterea quod homines, qui lapsi in scelus idololatriæ fuissent, deindeque pœnitentia ducti resipuissent, non esse communione prohibendos sanxissent in *Synodo* (2).

Atque ex *Synodo* (3) ipsa, quam Novatiani contumelia Synedrium appellarunt, profectum est nomen *Synedrianorum*.

Quinetiam quoniam eorum, qui lapsi fuerant, plerique *Sacrificarant* in *Capitolio* (4), factum hinc est, ut nostri, qui eos pœnitentes susceperant, a Novati factione *Capitolini* injuria dicerentur.

(1) Eulogius apud Photium in Bibliotheca. *Cod.* ccLXXX. *pag.* 1622. *edit. Rotomag. Puros nominavit eos* (Novatus) *qui secum agmen contra Ecclesiam facerent*; Cornelianos *vero*, *qui ejus ambitionem*, *& dementiam contra pœnitentes detestarentur*.

(2) S. Pacianus *Epist.* II. *ad Sympronianum pag.* 83. *Tom.* II. *Concilior. Hispan. edit. Card. Aguirrei*, sic inducit Sympronianum loquentem, erat autem is de grege Novatianorum „ Numquid Cypriano „ sancto viro hoc obest, quod populus ejus *Apostaticum* nomen habet, vel *Capitolinum*, vel *Synedrum*? „ Tum addit Pacianus. „ Conviciaris, & ecce non moveor. Horum ne aliquid appellati „ sumus? Interroga seculum, Frater, totosque ex ordine annos, an nobis nomen hoc hæserit, an Cy„ priani populus aliud, quam Catholicus nominatus sit. Numquam nomen ullum ex his audivi. Jam „ vide, si vocari aliquis eo nomine potuit, quod sibi nescit impositum. Quid ergo? maledicta sunt ista, „ non nomina .... Cyprianum sanctum vocas, & populum ejus *Apostaticum*.

(3) Vide locum *Paciani* mox relatum.

(4) Vide Pacianum *ibid.*

§. XXXI.

Cur Orthodoxi vocati fuerint ab Arianis Eustathiani, & Pauliniani, & Homousiani, & Athanasiani.

EUstathianos autem Ariani Orthodoxos ab *Eustathio* (1) *Antiocheno*, *Paulinianos* (2) a *Paulino* item *Antiocheno*, *Athanasianos* ab *Athanasio* (3) *Alexandrino Episcopo*, quodque τοῦ ὁμοουσίου dogma defenderent, *Homousianos* (4) appellaverunt. Quamquam fuerunt etiam Catholici, qui Orthodoxos, qui Paulino parebant, *Paulinianos*, vel *Paulinos* (5) vocarent.

§. XXXII.

Orthodoxi praeterea vocati ab Aetianis Chronitae, *Apollinarianis* Anthropolatrae, *Ab Origenistis* Philosarcae, *&* Pelosiotae.

AGe vero cur *Chronitas* Aetiani nostros vocaverint videamus. Erat Aetii Ariana pejor opinio. Is tamen adeo erat impudens, tamque perversa mente, ut Orthodoxam religionem brevi interituram esse jactaret. Ergo Catholicos *temporarios* χρονίτας (6) dicendos esse existimavit.

Neque Aetiani solum, sed Apollinariani etiam, ut injuria Orthodoxos afficerent, hos *Anthropolatras* (7) nominabant. Caussam

(1) Sozomenus *lib.* VI. *cap.* XXI. *de Catholicis Antiochiae* agentibus disserens, πλειόνων μὲν ὄντων τῶν τὰ Ἀρείου φρονούντων, καὶ τὰς ἐκκλησίας ἐχόντων, οὐκ ὀλίγων δὲ ὄντων καὶ τῶν ἀπὸ τῆς καθόλου ἐκκλησίας, οὓς Εὐσταθιανοὺς, καὶ Παυλινιανοὺς ὠνόμαζον. „ Quum Ariani numero quidem plures essent, & Ecclesias obtinerent: Catholici tamen haudquaquam pauci essent, quos *Eustathianos*, & *Paulinos vocabant &c.* (2) Sozomenus *ibid.*

(3) Vide quae affert Tillemontius *Tom.* VI. *Monumentor. Hist. Eccl. art.* LXXXI. *pag.* 456. *edit. Paris. an.* 1699.

(4) Auctor Operis imperfecti *apud Chrysost. Homilia* XLVIII. *in Matthaeum*: *Haeresim Homousianorum* nominat. Vide *Tillem. l. c.*

(5) Anonymus *Chronici Acephali consarcinator editus a Scipione Maffejo T.* III. *Osserv. Letter. di Verona. pag.* 84. *seqq. ad Coss. Taur. & Florent.*

(6) Vide Auctorem *Dialogor. de Trinitate inter Opera S. Athanasii Dialogo* II. *pag.* 193. *edit. Paris. T.* II. *opp. Quosnam vocas Chronitas? Eos qui jam inde a Sanctis Apostolis usque ad hodiernum diem collaudant Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum?* —

(7) Gregorius Nazianz. *Orat.* LI. *Tom.* I. *edit. Paris. pag.* 742. *Tu quidem vir optime, ut Sarcolatra, (siquidem ego* Anthropolatra sum) *, idcirco meam mentem contemnis &c.*

ſam hujus appellationis cum inquirerem, ſic reperiebam. Catholici, qui ſcripturas intelligerent, majorumque traditiones conſectarentur, Chriſtum ſervatorem & *Deum* eſſe verum, & *verum hominem* inſtructum anima *ratione prædita*, & *corpore* ejuſdem atque noſtra ſunt, naturæ pugnabant. Itaque Apollinariani, qui mentem ademerant Chriſto, & *mentis* loco divinum verbum poſuerant, eidemque Servatori corpus tribuerant, quod noſtris corporibus eſſe diſſimile arbitrabantur, cum pati noſtram ſentiendi rationem nequirent, Orthodoxos *adoratores hominis*, (huc enim recidit *Anthropolatrarum vocabulum*), appellarunt.

Nunc de conviciis *Origenianorum* dicendum eſt, a quibus me paucis, ne ſim Lectoribus moleſtus, expediam. Ergo illi cum non corpore hujuſmodi, quale nunc habemus, ſed diverſo & figura, & ſubſtantia, nos eſſe reſurrecturos contenderent, noſtri vero contra certarent, affirmarentque corpora noſtra, cujuſmodi nunc ſunt, eadem ſcilicet natura, iiſdem carnibus, oſſibus, partibus, ſic eſſe in *reſurrectione* futura, (ſolas namque *qualitates* mutatum iri cognoſcent) tanta ſunt Origeniani in Orthodoxos malevolentia incitati, ut eos contumelia dicerent φιλοσάρκας (1) *carnis amicos*, πηλουσιώτας *ſubſtantia luteos*, (2) *carneos*, *animales*, *jumenta*.

§. XXXIII.

Denique Orthodoxi dicti ſunt a Neſtorianis Cyrilliani, *a Monophyſitis vero* Neſtoriani.

EXtremum eſt ut doceam, quamobrem Noſtris hæſerit nomen *Cyrillianorum* (3). Eſt vero illud perſpicuum, Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum contra Neſtorii hæreſim acriter, ſtrenueque certaſſe. Catholici, quod noſſent *Cyrillum* veterum Patrum Doctrinam tueri, ei ut par erat, conſenſerant. Quare ab inimicis vocati

(1) Hieronymus *epiſt.* xI. *ad Pammachium tom.* xI. *opp. edit. Romana pag.* 171. *Nos ſimplices, & Philoſarcas dicere, quod eadem oſſa, & ſanguis, & caro, id eſt vultus & membra, totiuſque compago corporis reſurgat in noviſſima die.*

(2) *Hieronym. comment. in Jeremiam pag.* 407. *quæ cum audiunt diſcipuli ejus* [Origenis] *& Grunniana familia ſtercora, putant ſe divina audire Myſteria, noſque, quod iſta contemnimus, quaſi pro brutis habent animantibus, & vocant* πηλουσιώτας, *eo quod in luto hujus corporis conſtituti non poſſimus ſentire cæleſtia.*

(3) *Epiſtola Legator. Schiſmaticor. ad ſuos in Epheſo Act. Conc. Ephes. Tom.* III. *Concilior. pag.* 746. *edit. Labbei.*

cati *Cyrilliani* probro fuerunt, quaſi vero Cyrillum, non *Patres*, *non Apoſtolos*, *non Chriſtum Præceptores* conſectarentur.

Sed ita ut fit, ubi quis mediam inſiſtit viam, neque in alterutram declinat partem, ut ab iis, qui in extrema inciderint, redarguatur; Eutichiani, qui ut unam perſonam, ſic naturam unam in Chriſto eſſe ob errorem, atque inſcientiam defendebant, cum Catholicos cernerent tueri quidem contra Neſtorium unam in Chriſto ipſo perſonam; duas vero naturas adverſus Monophyſitas, eos *Neſtorianiſmi* accuſaverunt, nominaruntque *Neſtorianos*, ac ſi *duarum naturarum* dogma non ab *Apoſtolis*, ſed a *Neſtorio* accepiſſent.

§. XXXIV.

Eccleſia a Luciferianis vocata Antichriſti, *&* Satanæ Synagoga.

Verumtamen ut ignominioſis nominibus Hæretici Noſtros, ita Schiſmatici Luciferiani Eccleſiam Orthodoxam, (quoniam Epiſcopos, qui in Ariminenſi Concilio lapſi fuerant, pœnitentes receperat, permiſeratque, ut in ſuis gradibus illis conſiſtere liceret), *Lupanar & Synagogam Antichriſti*, *& Satanæ* (1), vocaverunt. Atque hæc quidem de contumelioſis nominibus ab Ethnicis, Judæis, atque Hæreticis, ut famam Orthodoxorum læderent, excogitatis, dicta ſunto. Scio fuiſſe a me pleraque prætermiſſa. Sed hoc lectores æquo animo laturos judico, quum ſatis hæc præcipua ſint, ut cognoſcatur, quam eſſent hoſtes male in noſtros homines animati, quamque acriter immerentes vexarent. Cumque videamus majores noſtros tot conviciis fuiſſe ab improbis exagitatos; conſolari poſſumus ipſi nos, quos hujus temporis Hæretici *Papiſtas*, quos *Idololatras*, quos *incolas Babylonis* contumelia nominare audent.

§. XXXV.

(1) *Hieronymus in Dialogo Adverſus Luciferianos Tom. IV. opp. pag. 298. edit. Martiansi.*

§. XXXV.

Christiani nomina omnia sectaria, humanasque appellationes vehementer sunt aversati.

ETsi vero adversarij Christianæ, Orthodoxæque religionis id magnopere enitebantur, ut nos contumeliosis nominibus vocitantes lacesserent; Majores tamen nostri, qui unde accepissent disciplinam norant, his tantum appellationibus contenti fuerunt, quæ ad Deum, & Christum referrentur, ad puros autem simplicesque homines nullo modo, quantacumque hi tandem virtute, auctoritateque excelluissent. Nam posteaquam Apostolus redarguit eos, quorum alii Apollo se, alii Cephæ, alii Pauli esse dicerent, omnesque Christi esse, qui Christi baptismo fuissent initiati, denominarique proinde ab ipso oportere affirmavit; qui Catholicam religionem professi sunt, ita a nominibus, quæ indicia sectarum essent, abhorruerunt, ut ne Petræos quidem a Petro, aut Paulinos a Paulo vocari se paterentur, quamquam insignis esset eorum Apostolorum sanctitas, maximæque illorum opera importatæ in Ecclesiam fuissent partes commodorum. Hoc igitur inter nostros & hæreticos intererat, quod hi aut Arianos ab Ario se, aut a Montano Montanistas, aut a Sabellio Sabellianos; illi vero ab uno Christo Christianos, vel Orthodoxos a recta sententia, vel Catholicos a late, longeque propagata religione appellari voluerunt.

CAPUT

(1) Hieronym. *Dialogo contra Luciferianos Tom.* IV. *opp. pag.* 306. *edit. Martinai* „ Ubi audieris, „ *inquit*, eos qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari: ut pu„ ta Marcionistas, Valentinianos, Montenses, sive Campetas: Scito non Ecclesiam Christi, sed An„ tichristi esse Synagogam. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos „ futuros Apostolus prænunciavit. Epiphanius Hæresi LXX., *quæ est Audianorum num.* 15. *pag.* 827. „ *edit. Coloniensis*. Est hoc vero horrendum Christianorum commutare nomen, qui in sancta Ecclesia „ censentur, quæ sola *Christi*, & *Christianorum* appellatione contenta, adscititium omne nomen re„ spuit, pro *illo*, inquam, *nomine Audianos appellari*, coitiones inter se facere, ac tesseram veri „ hominis nomine inscriptam erigere. Et Hæresi, *quæ est Marcionitarum* XLII. *pag.* 366. *edit. Colo„ nien.* Nec secta est ulla, nec Ecclesia Apostolorum insignita nomine, nec umquam Petræos ullos, „ aut Paulianos, aut Bartholomæos, aut Thaddæos audivimus; sed una jam tum initio fuit Apostolo„ rum omnium prædicatio, quæ non ipsosmet illos, sed Dominum Jesum Christum tantummodo celebra„ ret. Ob id Ecclesiæ nomen unum omnes imposuerunt: non suum utique, sed Christi Jesu, ac Antio„ chiæ primum appellari Christiani cœperunt. Vide Joh. Chrysost. *homil.* XXIII. in Acta, Gregorium Nazianz. *orat.* XXXI. & Nissenum *contra Apollinar Tom.* III. *pag.* 261. *edit. Paris. an.* 1638. S. Basilium *comm. in Ps.* XLVIII.

CAPUT III.

De calumniis, quibus Ethnici sunt nostros homines insectati.

§. I.

I. *De* Atheismi *accusatione*. II. *Unde orta sit*. III. *Quam late manaverit.* IV. *Quemadmodum a Christianis depulsa fuerit*.

I. Etsi summa erat Christianorum erga Deum rerum omnium conditorem, atque parentem religio, fuerunt illi tamen a suis hostibus accusati, quasi impij essent, quodque numina Gentium negligerent, nullum Deum habendum esse arbitrarentur. De quo criminationis genere, cum grave sit, maximeque contumeliosum, tum est hoc loco, ut capite superiore promiseram, copiose, atque dilucide disserendum. Interest enim plurimi ad Christianæ reipublicæ gloriam, si plane constiterit probitate, ac religione, qua nostri præstabant, invidiam fuisse sublatam, in qua inflammanda summa omnium Gentium videretur esse consensio. Nam si pietate in Deum, si beneficentia erga ceteros homines, si moribus, si tota denique vitæ ratione tales non fuissent, quales revera fuisse accepimus; quemadmodum & novi, & plebeii, & pauci superare odium, injuriam, impetus tantæ multitudinis potuissent? Quare venio ad rem. Judæi qui progressus Apostolorum cernerent, ægreque ferrent augeri admirabilem in modum in Palæstina, & reliqua Syria numerum Christianorum, ad omnes, ut Justinus scribit, ad quas poterant, Gentes legatos miserunt, qui nunciarent, ab Jesu quodam seductore introductam factionem esse, quæ Atheismo studeret (1). Gentiles quorum id erat proprium, ut facile omnia, quæ rumor ferebat, probarent; assensi con-

(1) Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone *num.* XVII. *pag.* 117. *edit. Paris. an.* 1742. „ Selectos viros tunc Hierosolymis in universum orbem misistis, Atheam Christianorum sectam prodiisse dicentes, eaque spargentes, quæ in nos ab iis omnibus, quibus noti non sumus, dicuntur „. Hunc Justini locum transtulit Eusebius in *librum* IV. *Hist. Eccl. cap.* XVIII. *pag.* 180. *Editionis Cantabrigiensis*. Judæos autem, cum primum invecta Christiana religio est, calumnias in nostros excogitatas ausos fuisse, quibus in locis poterant, spargere, testis etiam est Origenes *in* VI. *contra Celsum lib.* §. XXVII. *pag.* 631. *Tom.* I. *opp. Editionis Novæ Paris.*

continuo ſunt, quin vera ne inimici Chriſtiani nominis prædicaſſent, inquirendum eſſe arbitrarentur (1). Ergo cum nominari noſtros audirent, non mediocriter commovebantur. Timebant enim, ne ſi conceſſum illis fuiſſet impune in civitate verſari, brevi magnam hominum multitudinem in ſuam opinionem traducerent.

II. Cauſſæ autem, quæ Judæos impulerant, ut tam perverſe de ſanctiſſima ſocietate dicerent, hæ fuerunt. Cum *unum* illi ponerent, non natura modo, ſed etiam *perſona* Deum, [aſſequuti namque animo non erant, quæ (2) Prophetæ tradiderant], cognoſcerentque Chriſtianos ſic eſſe inſtitutos, ut naturam Dei *in perſonis tribus* conſiſtere pugnarent; cenſuerunt hos omnes impietatis damnari oportere (3). Nam erat hoc multorum populorum commune, ut ſi quemquam ſuorum de rebus divinis, ſecus atque ipſi ſentiebant, agere audirent; eum continuo *Atheon* dicerent. Erant autem Chriſtiani ex Judæis profecti. Accedebat Doctrina de Chriſto *Deo*, atque *homine* (4), quam Hebræorum magiſtri contenderent tolerari nullo modo poſſe. Habebant enim ſummi ſceleris loco adhibere ei divinos (5) honores, quem ipſorum Sacerdotes, ac Principes in Crucem agi curaſſent. Averſabantur præterea, quod noſtri prædicabant de ſublato veteris, introductoque novi Fœderis Teſtamento (6). Hoc enim Decreto conſtituto, cadere in Deum ajebant

(1) In Actis Martyrii S. Polycarpi apud Euſebium, *lib.* IV. *Hiſt. Eccleſiaſtica cap.* XV. *pag.* 167. *edit. Cantabrigienſis*, Proconſul hortatur Polycarpum, ut dicat: αἶρε τοὺς ἀθέους: *Tolle Atheos*. Atheorum autem nomine Chriſtianos indicat. Multa ſunt apud veteres generis ejuſdem, quæ paullo poſt aſſerentur.

(2) Vide *Orig. l.* 1. *contra Celſum num.* 56. *pag.* 371. *T.* 1. *opp. edit. Mon. S.Mauri*, & præter ceteros Theologos, qui veteris teſtamenti auctoritate Trinitatis Myſterium contra Judæos, & Hæreticos probaverunt, *Dionyſium Petavium Tom.* II. *Theologicorum Dogmatum lib.* II. *cap.* VII. & P. Maranum Monachum Benedictinum Congregationis S. Mauri virum erudiſſimum *l.* 1. *operis de Divinitate Chriſti*.

(3) Judæi jam uſque ab eo tempore, quo Chriſtus vivebat, in religionem Chriſtianam debacchari cœperant, propterea quod Chriſtus ipſe Servator ſe & Patrem *unum eſſe* dixiſſet. Itaque Johannis *cap.* X. *Evang. v.* 33. *De bono*, inquiunt, *opere non lapidamus te*, *ſed de blaſphemia*, *& quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum*. Ex qua re conſtat Judæos impietatis, & blaſphemiæ condemnaſſe Chriſtum, quod filium ſe Dei appellaret; unumque ſe, atque Patrem natura eſſe affirmaret. Hujuſmodi fortaſſe erant, quæ vitio Hebræi Stephano dederant, quaſi blaſphemiæ quædam in Deum fuiſſent: *Actor. Apoſtolic. c.* VI. *v.* 11. „ Tunc ſummiſerunt viros, qui dicerent ſe audiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, „ & in Deum „. Præterea Juſtinus Martyr antequam ſe conferat ad probandum Chriſtum Deum eſſe, & ſola perſona a Patre diſtingui, ſic Tryphonem alloquitur *num.* L. *pag.* 144. *edit. nova*. *Scio hunc ſermonem abſurdum videri eſſe*, *& maxime veſtri generis hominibus*, *qui quæ Dei ſunt nec intelligere*, *nec facere umquam voluiſtis*, *ſed quæ magiſtrorum veſtrorum*, *quemadmodum ipſe Deus clamat*. Similia habet aliis in locis: ex quibus patet Judæos blaſphemos eſſe eos putaſſe, qui perſonam aliam in divinis ponerent, quæ eſſet æqualis Patri, adeoque eos etiam qui colerent Trinitatem.

(4) Vide Juſtinum Martyrem *ibid pag.* 143.

(5) Conſule Juſtinum *ibid. pag.* 186. *ſeqq.*

(6) Hinc ortum opinor, ut rurſum Judæi Stephanum in Moſen blaſphemaſſe dicerent, propterea quod legem,

bant inconſtantiæ vitium, atque immutationem poſſe. Mutari namque eum, qui auferat legem, quam aliquando dixerit ſempiternam futuram. Quæ res, etſi falſa erat, propterea quod Deus promiſiſſet fore, ut fœdus antiquum in novum, ac longe præſtantius Meſſiæ tempore commutaretur (1); impetrare ſe tamen calumnia poſſe ſperabant (2), ut ne multi in noſtrorum ſocietatem venirent. Augebatur quoque in dies impietatis ſuſpicio, quod, hoſtium opera, fama quædam percrebuiſſet, quæ ferret, committi in conventu nocturno a Chriſtianis flagitia (3), quæ ne nominare quidem fas eſſet. Atque Ethnici etiam veterum Græcorum exemplum imitati, cum intelligerent, etſi aliquem (4), non ejuſmodi tamen poni a Chriſtianis Deum, quales ſuos eſſe arbitrarentur, omnes qui ſe Chriſtum ſequi affirmarent, duci debere putarunt in numero Atheorum. Nam Græci olim, imprimiſque Athenienſes, quum a quibuſdam, qui tamen omnem non ſuſtuliſſent divinitatem, derideri ſua numina cognoviſſent, eos impietatis crimine condemnarunt, ita

gem, quæ data per ipſum fuiſſet, abrogatum iri affirmaſſet. *Actor. Apoſtolic. cap.* vi. *v.* 21. De deleta a Chriſto Moſaica lege, quod dogma ægre Judæi ferre ſolerent, agit Juſtinus Martyr *ibid pag.* 138. Judæi ne nunc quidem concoquere hoc poſſunt, quod eſt de legis Moſaicæ abrogatione. Itaque *Nonum Articulum fidei ſuæ hunc eſſe* voluerunt. „ Fide perfecta credo, legem hanc numquam mutatum iri, „ nec ullam aliam legem tradendam eſſe a Creatore, cujus nomen ſit benedictum.

(1) Conſule præter Raymundum Martinium, Voiſinum, alioſque, qui contra Judæos ſcripſerunt, Petrum Danielem Huetium *Propoſitione* ix. *Demonſtrationis Evangelicæ cap.* cvii.

(2) Origenes *lib.* vi. *contra Celſum* §. xxvii. *pag.* 651. *Tom* 1. *opp. edit. nova*, hoc conſilio Judæos accuſare ſceleris Chriſtianos conſueſſe ſcribit, ut eos exterminari undique viderent, ſi potuiſſent: Vide ejus teſtimonium *infra* §. 2. *Hujuſce capitis*.

(3) Origenes loco mox laudato. „ Videturque [Celſus] ſimillimum quidpiam eorum facere, quæ „ Judæi faciebant initio Chriſtianæ doctrinæ. Spargebant adverſum illam calumnias: mactari [a Chriſtianis] puerum, ejus carnibus veſci illos, & opera tenebrarum peragere volentes, extinctis luminibus, cum obvia quaque ſingulos commiſceri.

(4) Nam Chriſtianos unum Deum colere a *Patribus*, qui Apologias ſcripſerant, ut a Melitone Sardenſi, a Juſtino Martyre, ab Athenagora, a Tertulliano, & a Martyribus, cum cruciarentur, intellexerant. Itaque neque Plinius in celeberrima ad Trajanum de Chriſtianis Epiſtola, neque alius quiſquam Chriſtianis crimini vertit, quod nullum Deum haberent. Immo vero aliquem a nobis coli norant, ut plane conſtabit eorum teſtimoniis *infra* §. 5. *ſeqq.* Interea vide Celſi locum apud Origenem *lib.* v. *num.* 59. *pag.* 623. ubi eumdem eſſe Judæorum atque Chriſtianorum Deum fatetur. Tota igitur in Chriſtianos de Atheiſmo inde ſolum manavit calumnia, quod Deos Gentium averſarentur. *Athenagoras Legat. num.* xiii. *pag.* 289. Ante *Appendicem opp. S. Juſtini Mart. edit. nova Pariſ.* „ Sed quia „ plerique eorum, qui nos Atheos eſſe criminantur, cum Dei cognitione ne per ſomnium quidem informari, ſed rudes & ignari naturalium, & divinarum rerum, pietatem victimarum norma metiantur, „ vitio etiam nobis vertunt, quod non eoſdem ac civitates Deos cognoſcamus &c. Tertullianus *lib.* Apolog. *cap.* x. *edit. Havercampiana* ſic inducit Ethnicos loquentes „ *Deos non colitis, & pro Imperatoribus ſacrificia non impenditis*. Tum reſpondet „. *Sequitur ut eadem ratione pro aliis non ſacrificemus, puta nec pro nobis ipſis, ſemel Deos non colendo. Itaque ſacrilegi, & majeſtatis rei convenimur*. Similia habent Arnobius, Minucius Felix in Octavio, aliique veteres, quorum etiam erunt paullo poſt teſtimonia recitanda.

ita ut ne Socrati quidem pepercerint, qui & summus Philosophus, & optime de republica meritus civis esset (1).

III. Tantum vero præjudicata opinio potuit, ut nullus fere in Romano Imperio locus esset, in quo Christianorum nomen, non laceraretur. Itaque in Syria (2), in Asia minore (3), in Græcia (4), in Italia (5), rursumque in Ægypto (6), & reliqua Africa (7) nostri omnes ea (8) invidia laborabant.

IV. Sed Christiani, qui conscii sibi erant, quam magnifice, quam pie, quamque vere de divinitate sentirent (9), enitendum

(1) S. Justinus Martyr *Apolog.* 1I. *al.* 1. *edit. Monachorum S. Mauri pag.* 95. „ Et qui Christo se„ cundum naturam humanam antiquiores, unamquamque rem ratione investigare, aut refellere conati „ sunt, ii ut impii & curiosi in judicium adducti fuere. Omnium autem eorum firmissimus in his rebus Socrates, in eadem, atque nos crimina vocatus fuit „. Clemens Alexandrinus *in Protreptico, pag.* 20. *Tom.* 1. *opp. edit. Oxoniensis.* „ Mira autem subit mihi, quod Euemerum Agrigentinum, & Nicano„ rem Cyprium, & Diagoram, & Hipponem Melium, & his paullo juniorem Theodorum Cyrenæum, „ multosque alios, qui sobrie sapienterque vitam instituerunt, & ad pravas de diis opiniones perspica„ ciores reliquis hominibus fuere, Atheos cognominarint „. Consule Nourrium *Tom.* 1. *Apparatus ad Biblioth. sanctorum Patrum pag.* 785. *edit. an.* 1703. Rursum ad rem nostram Justinus *Apolog.* 1. *pag.* 71. *ejusd. edit.* „ Et qui cum ratione vixerunt, Christiani sunt, etiamsi Athei existimari sint, quales apud „ Græcos fuerunt Socrates, & Heraclitus. Hinc Socrates ab Aristophane *in Nubibus v.* 828. Σωκράτης ὁ Μήλιος dicitur, non quod Melius esset, nam erat Atheniensis, sed quod Deos Atheniensium non magni æstimaret, ita ut Diagoras Melius, qui *Atheus* judicatus est. Adeundi vetus Aristophanis Scholiastes *in v. eumdem*, & Potterus *in not. ad locum modo laudatum Clementis Alexandrini*. Eodem modo Christiani Atheos dixerunt Ethnicos, quod verum Deum non colerent, ut ex Epistola Smyrnensium de Martyrio Polycarpi, exque Alexandrino Clemente *in Protreptico pag.* 19. *seq. edit. Oxon.* colligitur. Consule Tertullianum *lib.* 1. *ad Nation. cap.* III. *pag.* 42. *edit. an.* 1673.

(2) Consule Justini testimonium quod supra descripsi ex Dialogo cum *Tryph. num.* XVII. *pag.* 117.

(3) Consule Epistolam Smyrnensium de S. Polycarpi Martyrio *num.* IX. *Tom.* II. *Apostolic. PP. pag.* 198. *edit. an.* 1724.

(4) Nam Athenagoras, qui Atheniensis Philosophus dicitur, Atheos ab Ethnicis Christianos fuisse vocatos scribit, ut supra constitit.

(5) Dio *lib.* LXVII. *pag.* 766. *edit. an.* 1606. scribit, Glabrionem Atheismi fuisse Romæ accusatum, quod ad Judæorum sacra transisset. Quinetiam S. Justinus Martyr, qui Romæ scribebat, hoc nobis crimen exprobratum fuisse dicit: Quem etiam vide *Apolog.* 1. quæ revera 2. est *pag.* 47. *edit. an.* 1615.

(6) Consule Clementem Alexandrinum initio *lib.* VII. *Stromateon num.* 1. *pag.* 828. *Tom.* II *opp. edit. Oxon.*

(7) Adeundus Arnobius Afer *lib.* 1. *pag.* 16. *Adversus Gentes edit. an.* 1651. „ *Ergone impiæ religionis sumus apud vos rei, & quod caput rerum, & columen venerabilibus adimus obsequiis, ut convitio utamur vestro, infausti, & Athei nuncupamur?* Consule *Adnotatorem Elmenhorstium in Adnotationibus in Arnobium pag.* 20. *ejusd. edit.*

(8) Clemens Alexandrinus initio *lib.* VII. *Stromateon* ita de hac criminatione loquitur, ut satis indicet, usurpari eam ab omnibus fere Ethnicis consuesse. „ Jamvero tempus est, ut nos Gentibus ostendamus, „ solum vere esse pium, ac religiosum eum, qui est Gnosticus, ut cum didicerint Philosophi qualis sit „ is, qui vere est Christianus, suam damnent inscitiam, ut qui temere, & nulla ratione nomen per„ sequantur; nulla autem caussa eos Atheos, & a Deo alienos vocant, qui norunt eum qui vere est „ Deus „. Itaque Nerva Imperator, ut Auctor est Dio in Nerva *lib.* LXVIII. *pag.* 769. *Editionis a.* 1606. „ Eos qui rei acti erant impietatis, [*hoc est Christianos sub Domitiano Atheismi accusatos*] absolvit, „ exulesque restituit. Servos autem ac libertos, qui insidias Dominis parassent, omnes interfici jussit, „ cavitque ne eis liceret crimen ullius facinoris Dominis inferre. Neminem quoque impietatis, ri„ tusve Judaici accusari permisit.

(9) Consule Athenagoræ Legationem, Justinum, Clementem, Arnobium locis supra indicatis. Tertullia-

ſibi duxerunt eſſe, ut ab ſe omnem ejus criminis infamiam propulſarent. Nam erat periculum, ne ſi ea latius (1) manaſſet, gentes in ſumma rerum, quæ ad ſempiternam ſalutem conſequendam ſpectarent, ignoratione verſari, quam inſtitutum, quod impium eſſe putarent, profiteri mallent. Ergo ſcripſerunt Apologias, quibus principio demonſtrarunt: „ injuria eos in ſublatæ *divinitatis* ſuſpi-
„ cionem vocari, qui unum Deum ſempiternum, eumque infinitæ
„ poteſtatis, rerumque omnium conditorem confiterentur, & co-
„ lerent (2). Scirent Ethnici damnari a noſtris impietatis Diago-
„ ram Melium (3), aliosque, ſi qui hujus ſimiles uſquam fuiſſent,
„ quod cum tot argumenta a natura dari viderent, quæ plane effi-
„ cerent infinitum, æternum, ſumma mente, ac ratione prædi-
„ tum aliquod numen eſſe; non modo gentium, ſed nullum omni-
„ no extare mentirentur Deum. Nos quibus perſuaſum eſſet,
„ plecti (4) ſempiternis ſuppliciis malos; bonos autem augeri
„ per-

tullianus *Apologetici cap.* x. *pag.* 109. *edit. Havercampiana*, Gentiles cum nobis impietatem opponerent, ſic loqui conſueſſe, ſcribit, ut provocarent *ad conſcientiam noſtram*; tum addit „ Illa nos judicet, illa nos condemnet, ſi poterit negare omnes iſtos Deos veſtros homines fuiſſe. „ Oſtendit deinde cujuſmodi eſſent Dii Ethnicorum, & quem veri Dei loco habere oporteat.

(1) Nam ſi obtinuiſſet magis hæc calumnia, inque mentibus hominum diu hæſiſſet una cum ceteris, quæ ſpargi cœperant, timendam id quidem erat periculum. Atque ad eam rem confirmandam argumento eſſe poſſunt, quæ *in Actis Martyrum Lugdunenſium* apud Euſebium, & Ruinartium *Acta ſinc. SS.MM. pag.* 50. *edit. an.* 1689. leguntur. Nam cum Auctor eorum mentionem quarumdam calumniarum ejuſmodi feciſſet, tum „ His, *inquit*, In vulgus ſparſis, omnes continuo in nos adeo efferati ſunt, ut ſi „ qui forte cognationis cauſſa, moderati erga nos hactenus extitiſſent, tunc acerbiſſima indignatione „ commoti, adverſus noſtros infremerent. Complebatur itaque, quod a Domino prædictum fuerat his „ verbis: *Veniet tempus, cum quicumque vos occiderit, cultum offerre videbitur Deo*.

(2) Athenagoras *in Legatione num.* 4. *pag.* 282. *edit. opp. S. Juſtini Mart. an.* 1742. „ Nobis autem, „ qui Deum a materia disjungimus, & aliud quidem materiam, aliud vero Deum eſſe, ac plurimo „ intervallo diſtare demonſtramus [Deum enim increatum, & æternum eſſe, ac ſola mente, ne ratio- „ ne cognoſci poſſe, materiam autem creatam, & corruptioni obnoxiam] nonne immerito Atheorum „ nomen imponitur?

(3) Nam etſi erant plerique, qui, ut ſupra conſtitit, omnem divinitatem a Diagora fuiſſe ſublatam negarent, non deerant tamen, qui contra ſentirent, in quibus Athenagoras numerari poteſt. Habet autem loco mox indicato hoc modo. „ Nam ſi idem ac Diagoras ſentiremus, cum tot ac tanta habea„ mus Dei colendi pignora, rerum ordinem, perpetuum concentum, magnitudinem, colorem, figu„ ram, deſcriptionem mundi, merito nobis tribueretur impietatis opinio, vocaremurque in capitis „ judicium. Sed quia doctrina noſtra unum Deum agnoſcit, qui ingenitus ipſe [quod enim eſt, non fit; „ ſed quod non eſt] omnia per verbum ſuum fecit; utrumque præter rationem patimur, ut & male ap„ pellemur, & vexemur.

(4) Idem *ibid. pag.* 283. *n.* 5. „ Ac Poetæ quidem, ac Philoſophi nequaquam Athei viſi ſunt, cum „ de Deo quærerent. Euripides de iis, qui inſcienter ex præjudicata vulgi opinione appellantur dii „ dubius, & incertus &c. Cum igitur unum eſſe Deum, ut plurimum vel inviti, fateantur omnes, „ ubi ad univerſorum principia venerunt; cumque nos eum, a quo hæc univerſitas ornata eſt, Deum „ eſſe confirmemus; quid cauſſæ eſt, cur iſtis impune de Deo dicere, quod libuerit, & ſcribere li„ ceat, nobis autem poſita ſit lex, qui quod intelligimus, & recte credimus unum eſſe Deum, id ve„ ritatis ſignis, & rationibus demonſtrare poſſumus? &c. Num igitur, niſi Deum humano generi præ„ eſſe crederemus, ita puri, & inſontes viveremus? Id profecto dici non poteſt. Sed quia perſuaſum „ habe-

„ perpetua felicitate, & gloria oportere, ab eo crimine longius, „ quam Philosophi, atque Poetæ solerent, abesse. His si laude „ summa licebat, cur nobis sine infamia consistere in republica „ non liceret? Considerarent præterea etiam atque etiam mores „ nostrorum, ac si quidquam in eis aut turpe, aut vanum, aut „ cum recta & ratione, & religione pugnans reperissent, damna- „ rent quidem nos; sin minus, facerent lædendi modum, tam- „ que gravi contumelia innocentes afficere cessarent. Ne miraren- „ tur, si quos ipsi nominarent Deos, habere deorum loco recusa- „ remus. Nefas esse eos colere, quos sui adoratores omni genere „ scelerum, vitiorumque implicitos fuisse prædicarent (1). Hæc illi ad Imperatores, ad Senatum, Populumque Romanum, ad universas denique gentes scripserunt. Interea cum ratione ostendissent unam Christianam religionem veram esse, idque jam & sanctitate, integritateque morum, & vita pro Christo aut perdita, aut in extremum discrimen adducti comprobassent; non solum ut objecti facinoris opinio e mentibus hominum pelleretur, sed ut etiam progressione temporum omnes fere gentes ad sacra nostra accederent, obtinuerunt.

„ habemus reddituros nos totius hujus vitæ rationem ei, qui & nos, & mundum condidit, Deo; mode- „ ratam, & humanitatis plenam, & aspernabilem vitam sectamur; nihil hic mali, etiamsi quis vi- „ tam eripiat, passuros arbitrati, quod quidem cum iis conferendum sit, quæ illic a magno judice „ ob vitam mansuete, & benigne, & moderate actam consequemur.„ Lege quæ mox addit de pœnis malorum, & præmiis, quibus affici boni debent. Vide Justinum M. *Apolog.* 1I. *al.* 1. *per totum*.

(1) Confer Athenagoram *ibid. n.* xxI. *seqq. pag.* 296. *seqq.* Justinum *Orat. ad Græcos num.* 2. *pag.* 2. *edit. Monach. S. Mauri*. Et *Apolog.* 1. *alias* 1I. *n.* vI. *pag.* 47. ubi „ ὁμολογοῦμεν, inquit, τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι. ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου. „ *Atque Atheos quidem nos esse confitemur, si de ejusmodi Diis agatur, secus vero si de illo verissimo.* Addit *n.* 7. *Rogamus, ut omnium, qui apud vos accusantur, dijudicentur actiones, ut qui convictus fuerit puniatur ut improbus, nequaquam autem ut Christianus*. *n.* 8. agit de pœnis, & præmiis. *num.* 13. ostendit Christianos Atheos non esse, qui optimis moribus sunt, Deumque puro cultu venerantur. Consule etiam Clementem Alexandrinum *lib.* vII. Stromateon *cap.* 1. *seqq. pag.* 828. *seqq. T.* 1I. *opp. edit. Oxoniensis*. Tertullianum *Apolog. cap.* x. *seqq.* & *lib.* 1. *ad* Nationes *cap.* Ix. *seqq.* & *lib.* 1I. *cap.* 1. *seqq.* Origenem *l.* 1. *contra Celsum num.* 5. *pag.* 323. *edit. Monach. S. Mauri T.* 1. & *n.* 17. *pag.* 336. ceterosque qui pro Christianis adversus Ethnicos scripserunt.



§. II.

I. *Calumnia de numerato in malis a Christianis conditore mundi Deo.* II. *De ejus origine.* III. *Deque ratione, quam Majores nostri ad eam repellendam adhibuerunt.*

I. SED Celsus Epicureus vir mendax imprimis, nostræque disciplinæ ignarus, quamquam Ethnicus erat, crimini tamen Christianis dedit, quasi *malum* esse mundi creatorem Deum existimarent, reprobarentque omnia, quæ de hoc essent a Mose litteris commendata (1).

II. Nam cum hæreses quædam sceleratorum essent, qui se Christianos vocarent, iique jam esse dicerent mundi, legisque Mosaicæ auctorem malum; Celsus qui hæc narrari audisset, omnes Christi sectatores impietatis illius accusavit, quæ propria paucorum erat. Qua in re quanto odio in nostros incitatus esset, ostendit. Persuaserat enim sibi hoc genere calumniæ fore, ut qui legissent, hi omnes ira inflammati, ex civitatibus, omnique hominum, si possent, communitate Christianos exterminarent.

III. Origenes, qui sciret, quorum hæc essent portenta opinionum, respondit: injuria Celsum Nobis ea tribuere conari, quæ cum ab *Ophitis*, qui indigni nomine Christianorum essent, defenderentur, tum summo nostrorum consensu reprobata erant. Ei nos Deo cultus, honores, preces adhibere, quem Moses hujus universitatis creatorem esse scripsisset. Nam rationem, quæ ab aliquibus afferretur, ut ostenderent malum esse eum, qui serpentem indicem *scientiæ boni*, *malique* diris devoverit, *Ophitarum* esse, non nostram. Esse exploratum Nobis juste fuisse serpenti inflictam poenam, qui primos Parentes in scelus, in ærumnas, in mortem fraude,

(1) Origenes *lib.* VI. *contra Celsum pag.* 651. *n.* XXVIII. *edit. Parif. Monach. S. Mauri Tom.* I. *opp.* Tale quid videtur mihi cogitasse Celsus, cum creatorem affirmat a Christianis maledictum vocari Deum: nempe ut Lector ejus adversus nos calumniis credulus ad Christianos funditus exterminandos compellatur, ut homines extremæ impietatis reos. Deinde confundens omnia, ut caussam reddat cur Deus creationis, quam descripsit Moyses, maledictus appelletur, ait, *ex eorum sententia, qui talem illum existimant, eum esse dignum, qui execrationi habeatur; quandoquidem serpentem, qui primis hominibus boni, & mali notitiam dedit, diris devoverit*. At scire debuit, qui stant a serpentis partibus, quasi boni consilii auctor hominibus fuerit, atque hac in re Titanum, Gigantumque fabulas longe superant, & idcirco *Ophiani* dicti sunt, eos tantum abesse, ut Christiani sint &c. Vide rursum Origenem *l.* VIII. *num.* XVI. *pag.* 754. & Appendic. *ad lib. Tertull. de Præscript. cap.* XLVII. *pag.* 220. *edit. an.* 1675.

de, ac maleficio induxiſſet. Satis autem viſa hæc Origeni ſunt ad repellendam calumniam. Neque enim opus erat longiore oratione, quod ea de re ageretur, quæ & perſpicue falſa per ſe eſſet, & diu ante ſublata, quam ſe Origenes ad ſcribendum conferre ſtatuiſſet. Namque poſt Celſum, nemo uſquam hoſtium noſtrorum fuit, qui nos læſi creatoris reos agere auderet (1).

§. III.

Calumnia de ſimulata a noſtris cum Judæis in rebus religionis erga Deum conſenſione.

DIfficile videbatur Celſo ad ſuadendum, quod de contemto a Chriſtianis creatore ſcripſiſſet. Nam erat ei compertum omnes, qui acceperant ab Apoſtolis diſciplinam, uno ore fateri, non alium ab ſe coli Deum, quam illum ipſum, quem Patriarchæ, Prophetæ, quique ab his eſſent inſtituti, Judæi colerent. Itaque uſus nova eſt, ut aliquo modo tegeret ſuperiorem calumniam (2). Cum enim Judæi urgerent, tum nos fuiſſe coactos, dixit, concedere eumdem haberi oportere Deum, quem illi venerarentur. Contra cum ad ea animum adverteremus, quæ nobis Chriſtus de rebus Divinis tradidiſſet, tum mutata ſententia, alium, neſcio quem a Nobis introduci Deum, qui ab Judaico diſcreparet. Verum quoniam imprudenter mentitus Celſus eſt, nihil negotii erat, quæ de hoc genere ſcripta ab ipſo fuiſſent refellere. Qua enim facilitate ab eo dicta, eadem ſi negata fuiſſent, funditus ſine dubio concidiſſent. Quare negavit Origenes, atque hoc modo conſequutus eſt, ut ne Celſo quiſquam, poſt ea tempora, crederet.

§. IV.

(1) Vide quæ contra Celſum adſcribentem Chriſtianis omnibus, quæ propria erant Marcionitarum, diſputat Origenes *lib.* VI. *n.* 52. *pag.* 673.

(2) Origenes *ibid. pag.* 653. *num.* XXIX. „ Et hic ille nobilis Philoſophus Celſus aperte Chriſtia„ nos calumniatur, cum ait, illos cum Judæi urgent, profiteri ſe eumdem Deum, ac illos venerari: „ cum autem Jeſus contraria Moyſi jubet, ad alium ab illo Deum confugere. Sive enim cum Judæis „ colloquium nobis fit, ſive inter nos ipſi colloquamur, nonniſi unum, & eumdem Deum cognoſcimus, „ illum ſcilicet, quem & olim colebant Judæi, & quem etiamnum colere profitentur: nec de illo im„ pie ſentimus.

§. IV.

I. *Calumnia de adorato a Christianis Sole*. II. *De hujus caussis*. III. *Deque ratione, quam Patres ad eam depellendam adhibuerunt*.

I. INterea Ethnici, qui Celso sceleris societate conjuncti erant, ut qui noster esset Deus indicarent, non unam sequuti sunt rationem. Ac fuerunt, qui *Solem* nobis esse Dei loco dicerent (1).

II. Sed ejus erroris origo hæc fuit (2). Erat Nostrorum Patrum consuetudo, ut cum orarent, ad Orientem solem se verterent. Cur autem sic agerent, non erat Ethnicis exploratum. Quamobrem rati honorari a nobis cultu divino solem, conjectura se esse consequutos putabant, eum planetam habendum esse Deum Christianorum. Confirmabantur magis magisque in ea, quam animo conceperant, opinione, quod diem, qui (3) solis ab ipsis dicebatur (propterea quod consecratus resurrectione (4) Christi fuisset) sanctum, festumque nobis esse intelligerent.

III. Patres, quibus maxime curæ erat omnem ab se idololatriæ suspicionem avertere, non eo (5) nostros spectasse ad Orientem dixerunt, quo solem adorarent; non enim licere Christiano rei creatæ divinos honores impendere; sed quo sol sublatæ ignorantiæ imago sit, revocetque nobis in memoriam utilitates, quæ a Christo in vitam hominum manaverunt. Non coli igitur a nobis in linteo

(1) Tertullianus *Apologetici cap.* XVI. *pag.* 165. *edit. Havercampiana*: *Alii plane humanius, & verisimilius, Solem credunt Deum nostrum. Ad Persas si forte deputabimur, licet solem non in linteo depictum adoremus, habentes ipsum ubique in suo Clypeo*.

(2) Tertullianus *ibid.* „ Denique inde suspicio, quod innotuerit nos ad orientis regionem precari.

(3) Æque si die solis lætitiæ indulgemus, alia longe ratione, quam de religione solis. Tertullianus *ibid. pag.* 267.

(4) Justinus Martyr *Apolog.* I. *alias* II. *num.* LXVIII. *pag.* 84. *edit. Paris. Monachor. Sancti Mauri*. „ Die autem solis omnes simul convenimus, tum quia prima hæc dies est, qua Deus cum tenebras, & „ materiam vertisset, mundum creavit, tum quia Jesus Christus Salvator noster eadem die ex mortuis „ resurrexit. Pridie enim saturni eum crucifixerunt, & postridie ejusdem diei, id est solis die Apostolis suis, & discipulis visus, ea docuit, quæ vobis quoque consideranda tradidimus.

(5) Clemens Alexandrinus *lib.* VII. *Stromateon pag.* 724. *edit. Paris. an.* 1641. „ Quoniam autem „ diei natalis imago est Oriens, atque illinc quoque lux augetur, quæ primum illuxit ex tenebris, iisque, qui volutantur in ignoratione exortus est dies cognitionis veritatis, quemadmodum sol oritur, „ ita ad ortum matutinum habentur preces „. Auctor quæstionum ad Antiochum inter opera S. Athanasii q. XVI. respondendum esse Gentibus docet hoc modo: *Non ideo adoramus ad Orientem, quod in ea parte mundi Deus aliquo modo circumscriptus habitet, sed quia Deus lux est vera, diciturque: eam ob caussam ad creatum hoc lumen conversi, non illud, quod creatum est lumen, sed ejus luminis Creatorem adoramus, ex primo elemento Deum, qui ante omnia elementa, & secula fuit, venerantes*.

linteo depictum (1), ut a Persis, solem, etsi eum habemus ubique in suo Clypeo. Id si Ethnici non probarent, reminiscerentur eorum, quæ ipsi hoc sidus oriens spectantes, facere solerent. Nam hi cum sua numina adorabant, ut cælestia esse innuerent, nescio quid, ad Orientem Solem conversi susurro, & murmure quodam labia vibrantes proferre consuerant (2).

§. V.

I. *De adorati a Christianis capitis asinini calumnia*. II. *De ejus caussis*. III. *Deque modo, quo est a Patribus convicta falsitatis*.

I. Talem dum nonnulli Ethnici fingebant Christianorum Deum, alii monstra comminiscebantur. Quidam aniles fabulas consectati, *Asininum caput* nostrum numen esse (3) jactabant. Judæus, nescio quis homo perditus, qui ad Ethnicorum sacra transierat (4), utque vitam sustentare posset, mercede pacta, suam operam lanistæ locarat; Romæ, paullo ante quam a Tertulliano *liber Apologeticus* scriptus esset, picturam proposuit, quæ monstrum exhiberet. Erat id auribus asininis, altero pede ungulatum, togatum, & gestans librum. Addidit scurra inscriptionem, quæ sic habebat: *Deus Christianorum* ΟΝΟΚΟΙΤΗΣ. His verbis Deum nostrum irridere audebat, quasi turpi moecha prognatus esset.

II. In

(1) Adeundus Tertullianus *l. c. pag.* 165. quem locum paullo ante retuli.

(2) Tertullianus *ibid. pag.* 167. „ Sed & plerique vestrum [*hoc est Gentilium*] affectatione ali-„ quando, & cælestia adorandi ad solis ortum labia vibratis. „ Sed de ritu veterum Christianorum vertendi sese ad Orientem cum orarent, consulendi omnino Cardinalis Bona: Nourrius *Tom.* II. *Apparatus in Bibliothecam Sanctorum Patrum pag. edit. an.* Johannes Baptista Cotelerius *in notis ad cap.* LVII. *lib.* II. *Constitutionum Apostolicarum*. Extat etiam de hoc argumento dissertatio Jacobi Thomasii viri de secta Lutheranorum, quæ anno 1670. edita Lipsiæ fuit. Sed de hac re alias.

(3) Cap. XVI. Apologetici Tertullianus cultores Idolorum, atque etiam bestiarum alloquens, sic *ironicôs* scribit. „ Hoc forsitan improbamur, quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque, „ *Asinarii* tantum sumus „. Minucius Felix in *Dialogo inscripto Octavius*, introducit Ethnicum Cæcilium loquentem de Christianis hoc modo: (*pag.* 83. *seq. edit. an.* 1672.) „ Audio eos turpissimæ pecudis „ caput *asini* consecratum inepta, nescio qua, persuasione venerari. Digna, & nata religio talibus „ moribus.

(4) Tertullianus *lib.* 1. *ad Nationes cap.* XIV. *pag.* 50. *edit. an.* 1675. „ Quidam perditissimus, *in*-„ *quit*, in ista civitate, etiam suæ religionis desertor, solo detrimento cutis Judæus (uti harum ma-„ gis potest bestiarum morsus, & ad quas se locando quotidie toto jam corpore decutit) eccum incedit „ pictura in nos prolata sub ista proscriptione ONOKOITES „. Similia habet in *Apologetico cap.* XVI. *pag.* 168. *edit. Haverc.* „ Sed nova jam Dei nostri in ista proxime civitate editio publicata est. Ex quo „ quidam frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione: *Deus* „ *Christianorum* ΟΝΟΚΟΙΤΗΣ. Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, & „ togatus. Risimus & nomen, & formam.

II. In ejus opinionis originem cum inquirerem, hæc inveniebam. Historicos aliquos (1) Ethnicorum, qui antiquitates Hebraicas in suis, non in Monumentis Judæorum investigassent, multaque fabulosa aut invenissent, aut ipsi excogitassent, hæc etiam memoriæ tradidisse: Israelitas ex Ægypto exterminatos, in vastis Arabiæ locis constitisse. Ibi cum aquari non possent, neque enim ubi aqua esset sciebant, pene siti fuisse confectos. Accidisse autem, ut nonnulli in onagros incidissent, qui a pastu redirent. Hebræos existimantes ad aquam bestias ire, has sequendi consilium suscepisse. Usos autem onagris indicibus, reperisse tandem quod expetiverant. Itaque ob eam rem caput similis bestiæ consecravisse. Sed unde hæc orta fabula de onagris aquæ indicibus fuerit, etsi sunt, qui disputent, tamen nihil est quod aut demonstratione, aut opinione saltem ostendat. Quamobrem omnium sunt conjecturæ solide refutatæ ab Anonymo Scriptore, cujus opusculum insertum est Actis Reipublicæ litterariæ a Bernardo (2). Christianos ergo, qui proximi Judaicæ Religioni essent, eumdem Deum colere solere (3). Secundum hæc alia etiam quædam Ethnicos inducere poterant, quare sibi in ea opinione manendum putarent. Imprimis quod in Sarcophagis a Christianis *asini* figuram plerumque insculpi fortasse viderent, picturasque ab illis, in quibus esset imago ejus generis animantis, teneri (4). Deinde quod intelligebant, nostrorum sententia, in Christi insidentis *asinæ* Hierosolymam ingressu, mysterii quidpiam latere (5). Ratio autem hæc esse potuit, quæ scurram

(1) Cornelius Tacitus paullo post initium *lib.* v. Historiarum *pag.* 203. *edit. Antuerpiensis an.* 1574. „ Sic conquisitum, collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus, Mosen unum exulum monuisse, ne quam Deorum hominumve opem expectarent, ab utrisque deserti, sed sibimet cælesti crederent, primo cujus auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent. Assensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æque, quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit ... Effigiem animalis, quo monstrante errorem, sitimque depulerant, penetrali sacravere, cæso ariete velut in contumeliam Hammonis „. Hanc fabulam Tacitus aut ab Apione grammatico, de quo Josephus *lib.* 2. *cap.* 7. *contra Apionem pag.* 475. *Tom.* II. *opp. edit. Havercamp.* aut ab iis, a quibus Diodorus Siculus *lib.* xxxiv. *Excerp. ex ejus Bibl.*, & Democritus Historicus, cujus meminit Suidas ad V. Ἰο´ὐας, fabulam de cultu capitis Asinini sumserunt.

(2) *Nouvell. de la Republique des Lettres an.* 1685. *Mens. Aug. pag.* 847. *edit. an.* 1686.

(3) Vide Tertullianum *Apolog. cap.* xvi. *pag.* 157. *edit. Haverc.*

(4) Consule Bonarrotium *Osservazioni sopra alcuni Frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure. Tavola* ix. *fig.* 4. *pag.* 72. *seqq. edit. an.* 1716. Aringhium *Roma Subterranea T.* 2. *pag.* 295. 331. 621. & Boldettum *lib.* 1. *Osserv. sopra i Cimiterj pag.* 205. *Tom.* 1. *edit. Rom. an.* 1720.

(5) *Asina* enim, ita ut est a veteribus Christianis animadversum, populum Hebræum, pullus vero *Asinæ* Gentes significat. Consule Justinum Martyrem *Dialogo cum Tryph. n.* 2111. *pag.* 148. *edit. Monachorum S. Mauri*: & Bonarrotium, Aringhum, atque Boldettum locis indicatis.

ram Judaicæ Religionis desertorem (1), de quo supra memoratum est, impulit, ut ejusmodi Deum Christianorum diceret esse, cujusmodi in *pictura*, quam dederat, exhibebatur. Nam ea communis illi esse cum Ethnicis minime poterat, ut qui sciret Hebræos a cultu asini abhorrere. Erat consuetum inimicis nominis Christiani, ut ea nobis exprobrarent, quæ ab aliquibus defendi audissent, qui se Christum sequi gloriarentur. Serpere vero jam usque a primis fere Ecclesiæ temporibus coeperant sectæ Gnosticorum, qui se Christianos vocare audebant. Hi nescio quas *Potestates*, & quem *Sabaoth* venerabantur (2). In ejus autem figura describenda non una omnium hujus hæreseos hominum erat sententia. Fuerunt nonnulli, qui formam cujusdam Potestatis, & Sabaoth *asininam* esse pugnarent. Monstra præterea quædam, ut visum est multis, fingebant, in quibus aliquid asini, aut alterius cujusdam beluæ esset (3), eaque in amuletis suis exprimi curabant. Atque aliqui eorum Potestatibus, quas erant commenti, asini caput accommodabant (4). Qua fortasse re cognita, Ethnicus Apella *asinino* capite imaginem pingi fecit, quam præseferre Christianorum Deum nugaretur, quaque adversus nos omnes sui similium animos commoveret.

III. Non ignorabant Patres, perfacile esse criminationem repellere. Nam si negassent veram esse, cognorant nihil Ethnicis superesse, quod in hoc genere nobis opponere liceret. Sed ne monumentis, quibus nostros hostes convincerent falsitatis, carere viderentur, censuerunt & sui, & Judæorum ab se caussam defendi oportere.

(1) Nam is, qui norat quid Judæi colerent, ut qui Judæus ante religione fuisset, communi Ethnicorum sententia duci non poterat, ut Christianos idcirco asini caput venerari arbitraretur, quod id genus superstitionis ab Judæis mutuati sint. Itaque aliæ hominem caussæ moverunt, quæ cujusmodi fuerint, non quidem demonstratione, sed conjectura percipi possunt.

(2) Epiphanius *Hæresi* XXVI. *quæ est Gnosticorum num.* X. *pag.* 91. *edit. Paris. an.* 1622. *Tom.* I. Φασὶ δὲ τὸν Σαβαὼθ οἱ μὲν ὄνου μορφὴν ἔχειν, οἱ δὲ χοίρου. *Dicunt autem Sabaoth alii quidem asini formam habere, alii vero suis.*

(3) Vide Montfauconum *Tom.* II. P. II. *Antiqu. Explic. lib.* III. *cap.* I. *pag.* 353. *seqq.* I. Chifletii, & I. Macarii *de hoc argumento Dissertationes*, Martini Friderici Blumeri *Historiam Amuletorum editam Halæ an.* 1710. *Et observationes Pauli Mariæ Paciaudi Clerici Regularis Theatini de singularibus quibusdam numismatibus*, *edit. Neap. an.* 1748. *pag.* 27. *seqq.* Eo autem dixi, *ut visum est multis*, quo sciam esse aliquos, qui negent, inter quos est Beausobrius *lib.* IV. *Hist. Manich. cap.* IV. *pag.* 50. *seqq.* Ego vero censeo eorum, qui affirmant, sententiam esse propensiorem ad veritatem. Consulendus Origenes *lib.* V. *contra Celsum p.* 660. *num.* 38. ubi *diagrammatis* genus quoddam describit, quod nonnisi ab hæreticis confingi potuit.

(4) Vide Origenem *lib.* VI. *contra Celsum num.* XXXVII. *pag.* 660. *T.* I. *opp. edit. Paris. Monachor. S. Mauri*, & infra *in not. in* §. XII. *hujus cap.* Horum similes erant imagines, quarum meminit Irenæus quasque in usu apud Basilidianos fuisse scribit *lib.* I. *cap.* XXIV. *n.* V. *pag.* 102. *edit. Mon. S. Mauri.*

tere. Itaque (1) esse explorata sibi dixerunt, quæ mendacissimi Historici de Onagris aquæ indicibus scripsissent. Cornelium Tacitum, qui persequutus hanc fabulam in Quinto suarum Historiarum libro fuisset, cum pugnantia loquutus sit, indignum esse, cui fides adhibeatur. Traditum ab eo scriptore in eodem libro esse, Pompejum cum Hierosolymam expugnasset, ingressusque in templum fuisset, ut quid in eo esset arcani cognosceret, nullum illic simulacrum vidisse. Reperturum autem fuisse imaginem, si quam Hebræi coluissent. Cur enim idolum, quod adorarent, in sacrario habere recusassent? Itaque cum nullum invenerit, falsa esse omnia, quæ litteris de *asini* capite a Tacito ejusque similibus mandata fuerant. Nam quod attinet ad Christianos, rideri quidem a nobis, quæ vel dicere de cultu *asinini capitis*, vel pingere Gentiles auderent. Nescire nos stultiores ne essent, qui similia monstra venerarentur, an qui esse quemquam tam amentem censerent, qui colenda putaret. Ac si irridere pergerent; respicerent ipsi se Ethnici, qui totos asinos in stabulis cum sua Epona consecrare, qui eisdem asinis atque Isidi sese devotos ostendere, qui & boum, & vervecum capita, deosque mixtos e capro, & homine dedicare con-

(1) Tertullianus *Apolog. cap. xvi. seq. pag. 156. edit. Havercc.* „ Nam ut quidam somniastis, caput asininum esse Deum nostrum, hanc Cornelius Tacitus suspicionem ejusmodi inseruit. Is enim in V. Historiarum suarum bellum Judaicum exorsus ab origine gentis, etiam de Ipsa tam origine, quam de nomine, & religione gentis, quæ voluit argumentatus, Judæos refert ex Ægypto expeditos, sive, ut putavit, exterminatos, vastis Arabiæ in locis, & aquarum egentissimos, cum siti macerarentur, onagris, qui forte de pastu potum petituri æstimabantur, indicibus fontis usos, ob eam gratiam consimilis bestiæ effigiem consecrasse. Atque ita inde præsumtum opinor, nos quoque, ut Judaicæ Religionis propinquos, eidem simulacro initiari. Atenim idem Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacissimus, in eadem Historia refert Cn. Pompejum, cum Hierusalem coepisset, propterea que templum adisset, speculandis Judaicæ religionis arcanis, nullum illic repetisse simulacrum. Et utique si id colebatur, quod aliqua effigie repræsentabatur, nusquam magis, quam in Sacrario suo exhiberetur, eo magis, quia nec verebatur extraneos arbitros, quamquam vana cultura: solis enim Sacerdotibus adire licitum, etiam conspectus ceterorum velo oppanso interdicebatur. Vos tamen non negabitis, & jumenta omnia, & totos Cantherios cum sua Epona coli a vobis. Hoc forsitan improbamur, quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque asinarii tantum sumus „. *Et lib. I. ad Nationes cap. xi.* „ Sane vos, *inquit*, *totos asinos* colitis, & cum sua Epona, & omnia jumenta, & pecora, & bestias, quæ proinde cum suis præsepibus consecratis „. *Et Minucius Felix in Octavio pag. 31. edit. an. 1652.* „ Ab ipsis, *inquit*, rumor falsus & seritur, & fovetur. Inde est, quod audire te dicis caput asini rem nobis esse divinam. Quis tam stultus, ut hoc colat? Quis stultior, ut hoc coli credat? Nisi quod vos & totos asinos in stabulis cum vestra Epona consecratis, & eosdem asinos cum Iside religiose devoratis, item boum capita, & capita vervecum, & immolatis, & colitis: De capro etiam, & homine mixtos Deos, & leonum, & canum vultus Deos dedicatis „. Hinc colligere licet magnam partem amuletorum, quæ referuntur a Montfaucono, Chifletio, Macario, Ethnicorum potius fuisse, quam Gnosticorum, cum similes figuras præferant. Sed de Asini cultu ab Ethnicis objecto Christianis adeundus Nourrius *Tom. II. Apparatus in Bibl. SS. PP. pag. 220. seq. edit. an. 1715.* De hac re agunt etiam Protestantes, ut Seldenus de *J. N. & G. juxta disciplinam Hebræorum pag. 135. prim. edit.* Vossius *de Idololatr. lib. III. cap. xxv.* Cunæus *de Republ. Hebræor. lib. III. cap. iv.* Jacobus Lydius *Syntagmat. de re Militari lib. II. cap. 2. aliique.*

consuescerent. Quamquam autem multa præterea afferre Patres ad delendam invidiam poterant; satis tamen hæc esse judicarunt, quod aliis locis, qui noster sit Deus perspicue imprimis, vereque demonstrassent.

§. VI.

Calumnia de habitis Antistitibus *loco* Deorum *a Christianis*.

SED cum alii Solem, alii caput asini Deum nostrum esse mentirentur, erant etiam aliqui, qui a nobis ipsis Antistites nostros in diis poni contenderent. Itaque Lucianus Sophistes præter cetera, hoc etiam nobis vitio dedit (1). Orta vero inde est hæc calumnia, quod magno in honore haberi apud nos cernerent homines, qui Ecclesiis præsiderent. Qua de re non est necesse, ut plura esse disputanda putem. Nam aut unus Lucianus, aut si qui etiam alii, perpauci quidem certe fuerunt, qui nos ejus criminis accusaverint.

§. VII.

I. *Accusatio de adorato a Nobis Homine cruci affixo*.
II. *Quomodo Patres ei responderint*.

I. INterea grave Judæis (2), Ethnicisque (3) erat Christianos videre ita comparatos, ut Divinum cultum Christo esse adhibendum contenderent. Nam intelligere illi non poterant, quare

Q 2 homo

(1) In Dialogo de Morte Peregrini *pag. 994. edit. an. 1615.* Posteaquam enim narravit *Prophetam, & Sacrificiorum Principem Peregrinum* fuisse a Christianis habitum: tum καὶ ὡς θεὸν, inquit, αὐτὸν ἐκεῖνοι ἐδυσωποῦντο, καὶ νομοθέτῃ ἐχρῶντο, καὶ προστάτην ἐπεγράφον. *Ac veluti Deum hunc ipsum perhibebant: Nam eo ut legum auctore utebantur, & præfectum illum declarabant.* Hinc Gesnerus *in notis ad hunc Dialogum T. III. opp. Luciani p. 333. Novæ editionis* intulit accusatos nostros ab eo Sycophanta fuisse, quasi Antistites Deos esse arbitrarentur. Etenim Lucianus, ut id confirmet quod dixerat, eo a nobis coli Christum dixit, ὅτι καινὴν ταύτην τελετὴν εἰσήγαγεν ἐς τὸν βίον. *Quoniam primus novum illud mysterium in hominum vitam invexerat*.

(2) Vide Justinum Martyrem in Dialogo cum Tryphone *num. 93. pag. 191. edit. Paris. Monac hor. S. Mauri* ubi Judæos accusat, quod posteaquam sævierant in Christum, illum Dei inimicum, & maledictum, proptereaque in crucem actum fuisse jactarent. Similia habet *ibid. num. 17. pag. 117. & num. 108. pag. 202. & n. 117. pag. 210.* Adisis & Origenem *lib. II. contra Celsum n. 9. pag. 393.* Mitto ceteros, qui paria tradiderunt, ne longus sim.

(3) Tacitus *libro* XV. *Annalium cap.* XLIII. *pag. 279. edit. an. 1668.* „ ergo, *inquit*, abolendo „ rumori

homo, quem ipsi extremo supplicio affecissent, tanto honore dignus existimaretur. Quamobrem nostros exagitarunt, quasi malo viro, obque gravissima scelera damnato devoti, consecratique essent. Fuerunt etiam Proconsules, Præsidesque Provinciarum, qui nostris in jus vocatis, non esse hominem infelicem adorandum persuadere conarentur (1), cumque nihil proficerent, cruciatus & minarentur, & extremos denique inferrent.

II. Non negabant Christiani coli ab sese Christum. At quem Ethnici hominem dicebant, hunc nossent esse etiam habendum Deum (2). Neque vero hanc inanem esse opinionem. Habere gravissima

„ rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos „ appellabat. Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium „ Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat. &c. Vide Suetonium in Nerone c. XXVI. Lucianus in Peregrino loco mox indicato ait: ἐπειδὰν ἅπαξ παραβάντες, θεοὺς μὲν τοὺς ἑλληνικοὺς ἀπαρνήσωνται, τὸν δὲ ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν αὐτὸν προσκυνῶσι. „ Posteaquam semel a nobis desciverunt, Græcorum Deos constanter abnegant, sophisten autem illum suum crucifixum adorant „. Tertullianus Apolog. *cap.* XXI. *pag.* 194. *edit. Haverc.* „ Sed & vulgus (*Gentilium*) *inquit*, jam scit Christum hominem utique aliquem, qualem Judæi judicaverunt, quo facilius quis nos hominis cultores existimaverit &c. Vide Minuc. Felic. *in Oct. pag.* 9. *edit. an.* 1662. Missos facio alios, qui hominis cultum nobis exprobratum ab Ethnicis fuisse tradiderunt.

(1) Vide Acta SS. *Luciani & Marciani apud Ruinartium pag.* 153. *edit. an.* 1689. in quibus hæc habentur „ Proconsul Sabinus dixit ad Marcianum, quis vobis persuasit, ut relinquentes venerandos „ & veros Deos, a quibus multa estis consequuti, atque amorem in populo habebatis, ad mortuum, „ & crucifixum vos transferretis, qui nec se ipsum salvum facere potuit? „ Passi autem hi fuerunt imperante Decio. In Actis S. Nicephori, qui circa an. 260. martyrium explevit, *apud Ruinartium pag.* 248. „ Dicunt (Sapricio) lictores quoniam noluisti diis sacrificare, sed contempsisti edictum Im„ peratoris propter hominem, qui dicitur Christus „. Similia extant *ibid. pag.* 251. Non discrepant, quæ *pag.* 365. *In Actis S. Theodoti* leguntur „ Sic adstantem (Theodotum) aspiciens Theotec„ nus .... tantum (inquit) ejura Jesum, quem qui ante nos fuit Pilatus in Judæa crucifixit „. In Actis Sanctorum Tarachi, & Sociorum *pag.* 484. habetur hoc modo „ Maximus (Judex) dixit (An„ dronico): iniquissime, non scis quem invocas Christum, hominem quemdam factum sub custodia „ Pontii Pilati punitum, cujus & acta reposita sunt? &c. „

(2) Justinus Martyr *Apolog.* II. *pag.* 92. *n.* 6. *edit. Paris. Monach. S. Mauri.* „ Ejus autem (Pa„ tris) filius, qui solus proprie filius dicitur, Verbum antequam mundus crearetur, quod & una cum „ eo aderat, & genitum est, cumque per illud initio omnia condidit, & ornavit, hic, inquam, filius, „ eo quod unctus sit, & per eum Dominus omnia ornaverit, Christus vocatur, quo quidem & ipso „ nomine res significatur incomprehensa, quemadmodum Dei appellatio non nomen est, sed rei non „ enarrabilis insita naturæ hominum opinio. Jesus autem & hominis, & Salvatoris nomen, & signifi„ cationem habet. Nam & homo factus est, ut antea diximus, de Dei, & Patris voluntate partu edi„ tus pro credentibus hominibus, & ad dæmonum eversionem. Id profecto ex his, quæ in omnium „ oculis geruntur perspicere potestis. Plurimos enim dæmoniis agitatos in toto Orbe, & in Urbe ve„ stra, multi ex nostris Christianis, cum per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adjura„ rent, ab aliis adjuratoribus, incantatoribus, & veneficis non sanatos sanaverunt, atque etiam„ num sanant, fractis, & ejectis dæmonibus homines detinentibus „. Vide etiam *Apologiam* I. *n.* 30. „ *pag.* 61. Ubi „ Ne quis nobis opponat, *inquit*, nihil obstare, quo minus & is, qui apud nos dici„ tur Christus homo ex hominibus arte magica, quæ dicimus miracula ediderit, ac propterea Filius „ Dei esse visus sit; jam demonstrationem instituemus, non dicentibus credentes, sed futura ante„ quam fiant prædicentibus necessario fidem habentes, eo quod ipsis oculis, ita ut prædicta fuerant, „ evenisse, & evenire videamus &c. „ Consule etiam Origenem *lib.* I. *contra Celsum num.* 79. *p.* 496. *seq.*

vissima argumenta se, quæ plane efficerent Verbum divinum, ut Prophetarum oraculis prædictum fuerat, conjunxisse humanam naturam sibi, atque hac ratione hominem factum esse, qui idem atque Christus servator sit. Admiranda prodigia, quæ ipse, cum nobiscum viveret, patrabat, veritatis eorum, quæ prædicabat, ac suæ proinde divinitatis esse manifesta indicia. Ne auderent Ethnici ei maledicere, cujus decreta nihil continebant, quod non consentaneum rationi, integritatique morum esset. Quodsi Christo tribuimus divinitatem, non idcirco plures esse nostra sententia Deos. Verbum divinum *persona* esse, non *natura* distinctum a Patre. Una autem Dei natura cum sit; *personas* tres nihil impedire, quo minus Deum unum tenere, & adorare oporteat. Multa præterea addere nostri solebant, quibus fidem suam in Christum Deum, atque hominem confirmarent. Quamobrem miror esse hoc etiam tempore homines tanta obstinatione, & impudentia posse, ut (quum videant Majores nostros disertis verbis de Christi divinitate loquutos esse, extareque de ea re Gentilium (1), qui, dum eos cru-

seq. & *l.* IV. *pag.* 510. *seq.* Athenagoram *Legat. num.* 10. ubi de Christo, *& num.* 32. Ubi de moribus Christianorum agit, quos Atheismi proinde accusari posse negat *pag.* 286. *seq.* Tertullianum *Apologetici cap.* XXI. *pag.* 193. *seqq. edit. Havercamp.* ceterosque Apologiarum contra Ethnicos scri- „ ptarum Auctores. Nam omnes hoc loco memorare longum est: In Actis S. Theodoti Martyris apud Ruinartium *pag.* 365. Martyr hoc modo Judici respondet „ Primum hanc gratiam peto a Domino meo „ Jesu Christo, quem modo contemtim appellasti ut hominem vulgarem, ut errorem circa Deos con- „ futare possim, & Domini mei Jesu Christi miracula, Incarnationisque mysteria paucis complecti „ possim. De virtute Domini nostri Jesu Christi, ejusque miraculis, deque Mysterio Incarnationis „ ejus multa quidem tam Prophetæ, quam viri spirituales prædixerunt „. In Actis *SS. MM. Tarachi, Andronici &c.* apud Ruinartium *pag.* 485. cum hominem quemdam a Maximo Judice Christum fuisse dictum Andronicus intellexisset, sic respondisse legitur: Φιμώθητι ἐπικατάρατε, οὐκ ἔξεστιν σοι λέγειν· οὐ γὰρ ἄξιος εἶ λαλῆσαι περὶ τούτου ἀσεβέστατε &c. *Obmutesce maledicte, Non licet tibi dicere. Non enim es dignus loqui de hoc. & ibid. pag.* 460. „ Tarachus dixit: nunc „ vere prudentem me fecisti plagis confortans me. Magis ac magis confidere opto in nomine Dei, & „ Christi ejus. Maximus dixit: injuste, & maledicte, quomodo duobus diis servis, quos voce con- „ fiteris, & nunc Deos negas? Tarachus dixit: Ego confiteor manifeste qui est Deus verax. Maxi- „ mus dixit: Nunc confessus es Christum, & Deum. Tarachus dixit: & bene. Hic est enim Filius „ Dei, spes Christianorum, propter quem patimur, & salvamur &c. Extremum est, ut locum Athenagoræ afferam *ex Legatione num.* 19. *pag.* 287. qui sic habet. „ Τίς οὖν οὐκ ἂν ἀπορήσαι, λέγοντας θεὸν πατέρα, καὶ υἱὸν θεὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους; „ Quis igitur non mi- „ retur, cum Atheos nominari audiat eos, qui Deum Patrem, ac Filium Deum, & Spiritum San- „ ctum asserunt, ac eorum & in unione potentiam, & in ordine distinctionem &c. Multa in hanc rem afferunt Maranus Congregationis S. Mauri Monachus Benedictinus in egregio opere Inscripto: *De Divinitate Christi*; & Georgius Bullus homo ceteroqui Anglus de secta Episcopalium *lib. Defens. Fidei Nicænæ*.

(1) Plinius *lib.* X. *epist.* 97. ex Apostatarum confessione hæc refert „ Affirmabant autem hanc fuisse „ summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque „ Christo quasi Deo dicere secum invicem &c. „ Consule Maranum l.c. &, si liceat, Bullum etiam loco indicato.

cruciarent, quid de Christo sentiremus acceperant, luculentissima testimonia) pugnent ignotum illis fuisse de una in personis tribus natura divina, Christoque vero Deo, atque æquali Patri sententiam.

§. VIII.

I. *Accusatio de cultu divino* crucibus, *iisque omnibus a Christianis adhibito, qui eo supplicio affecti fuissent.* II. *Unde orta hæc accusatio fuerit.* III. *Quibusque rationum momentis rejecta a Patribus sit.*

I. NEque hominem maleficum (1) modo, sed cruces etiam, quoniam signa illius, in qua Christus mortem obierat, censebantur, adorari a nobis (2) Ethnici pugnabant, quasi in illis divinitas quædam lateret. Erant præterea hostium nonnulli, qui affirmarent, optari a nostris eo supplicii genere perire (3). Nam ita esse mente alienatos Christianos existimabant, ut omnes, qui in eum cruciatum venissent, & numero Deorum duci, & coli oportere (4) defenderent.

II. Cum ejus accusationis, quæ caussæ essent, quæsissem, hæ mihi veræ inter ceteras visæ sunt. Inimicos nominis Christiani, qui coli a nobis cruces intellexissent, assequuti autem non fuissent, quo id consilio fieret; quoniam ipsi nulli rei cultum adhibebant, in qua aliquid divini, eorum opinione, non esset, suis nos moribus metitos fuisse, existimasseque includi, nostra quidem sententia,

(1) Sic enim Celsus calumniatur apud Origenem *lib.* II. *num.* 10. *pag.* 394. Consule etiam, quæ protulimus §. superiore.

(2) Cæcilius Ethnicus apud Minucium Felicem *in Octavio pag.* 86. *edit. an.*1672. „ Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia eorum ceremonias fabulantur, „ congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant, quod merentur. Et *pag.*107. *seq.* „ ecce vobis minæ, supplicia, tormenta, etiam non adorandæ, sed subeundæ cruces. Idipsum objicit Christianis Julianus Parabates apud *Cyrillum Alex. lib.*VI. *cont. Jul. pag.*136. *Crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte, & ante domus pingentes.* Consule Tertullianum *lib. Apolog. cap.*XVI.

(3) Consule Minucii locum modo descriptum.

(4) Origenes *lib.* II. *contra Celsum num.* 47. *pag.* 423. ὅμοιον δ' ἐν τούτῳ ποιεῖ ὁ Κέλσος τοῖς ἀνδραποδωδεστάτοις τῶν ἐχθρῶν τοῦ λόγου, καὶ οἰομένοις, ὅτι ἀκολουθεῖ τῇ περὶ τὸν Ἰησοῦν ἱστορίᾳ ςαυρωθέντος τὸ σέβειν ἡμᾶς τοὺς ἐςαυρωμένους. „ In quo Celsus imitatur vilissimos eorum, quos nostra doctrina habet adversarios, qui putant, quod Christus Cruci affixus fuisse „ perhibeatur, consequens esse, ut omnes crucifixos veneremur. Ad quem Origenis locum hæc Monachi Benedictini S. Mauri adnotarunt: *Nonnulli Pagani putabant omnes crucifixos a Christianis coli.* Consule Nourrium *in Minuc. Octav. pag.* 151. *Tom.* II. *Apparat. in Bibliothecam Patrum.*

tia, crucibus genus aliquod (1) divinitatis. Quinetiam cum cernerent omni, crucisque imprimis supplicio, ut similiores magistro essent, affici Christianos malle, quam ab ea religione deficere (2), quam unam veram esse cognossent; inde Ethnici statuerunt, cruce nostros interire cupere. Postremo quia inimici nostri acceperant, magno apud nos in honore ac veneratione Martyras esse, quorum quidem multi crucibus affixi (3) pro Christo sanguinem, vitamque profudissent; hoc denique, aut ignoratione Christianarum rerum, aut malevolentia, quod sane magis credo, prodiderunt, deditos nos esse superstitioni, eosque etiam colere, qui propter maleficia, damnati, actique in crucem fuerant.

III. Octavius Christianus, cui a Minucio Felice respondendi Cæcilio partes sunt datæ, graviter, acerbeque tulit accusari ab Ethnico nostros, quasi sic cruces colerent, ut idolorum cultores (4) statuas Deorum solerent. Itaque negavit, coli a nobis (ea videlicet

(1) Hoc enim modo intellexisse Octavium apud Minucium Felicem p.284. accusationem Cæcilii constat. Respondet enim „ Cruces nec colimus, nec optamus. Vos plane, qui ligneos Deos consecratis, cru„ ces ligneas, ut Deorum vestrorum partes &c.„ Itaque hoc unum negat: coli ea ratione a nobis Cruces, qua coli ab Ethnicis idola solerent; alia non negat. Quod quidem alio loco etiam facit cum de templis Octavius disserit. Nulla enim ait Christianis templa fuisse. Nempe qualia erant Ethnicorum. Nam & suo, & superiore etiam seculo Ecclesias habuisse Christianos, testata res est, idque alibi demonstrabo. At in iis nullæ statuæ idolorum, aræ, ut in Ethnicorum templis, nullæ erant. Quare cum etiam inficietur cruces coli a Christianis, inficiatur eas ita coli, ut censeant ipsas aut Deum, aut partes Dei haberi oportere. Ceterum perspicuum ex Patribus est cultum adhibitum cruci fuisse, qui non in lignum desineret, sed in Christum referretur, qui in cruce pro universo hominum genere mortem obierat. Sed de hac re erit alibi opportunior disserendi locus. Interea consule Nourrium *in Minuc. Octav. cap.* x. *art.* IV. *pag.* 150. *Tom.* II. *Apparat. Biblioth. Patrum*, *edit. an.* 1715.

(2) Tertullianus *cap.* 1. *Apologetici pag.* 426. *edit. Havere.* „ Plane volumus pati, verum eo more, „ quo & bellum nemo quidem libens patitur, cum & trepidare, & periclitari sit necesse; tamen, & „ præliatur omnibus viribus, & vincens in prælio gaudet, qui de prælio querebatur, quia & gloriam „ consequitur, & prædam. Prælium est nobis, quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub discri„ mine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem, pro quo certaveris obtinere. Ea victoria „ habet gloriam placendi Deo, & prædam vivendi in æternum „. Vide Justinum Martyrem *Apol.* II, *pag.* 91. *edit. Mon. S. Mauri.*

(3) *In Act. SS. Claudii, & Asterii* apud Ruinartium *pag.* 281. *edit.* 1689. *Act. sincer. SS. MM.* hæc habentur „ Neon dixit: Quod mihi utile esse scio, & animæ meæ lucrum, id faciam. Non possum „ propositum meum mutare. Lysias dixit: sub cura Euthalii commentariensis, & Archelai specula„ toris, foras civitatem, tres hi fratres, ut digni sunt, crucifigantur &c.„ Adeundi Tertullianus *Apolog. c.* XXI. *pag.* 125. *c.* XXX. *pag.* 279. *& c.* XLIX. *pag.* 424. *edit. Havere.* Et Cajus Presbyter apud *Euseb. lib.* II. *H. E. cap.* XXV. Mitto alios, quos constat, ob Christi religionem cruci fuisse affixos, ne longus sim.

(4) Nam ita respondet, ut plane indicet eo se sensu fuisse loquutum. *Pag.* 286. „ Cruces, *in„ quit*, nec colimus, nec optamus. Vos plane, qui ligneos Deos consecratis, Cruces ligneas, ut „ Deorum vestrorum partes forsitan adoratis „. Itaque negat hoc pacto coli a nobis Cruces, ut Dei partem eas esse, aut divini quidpiam in iis latere putemus. Eodemque modo Tertullianus loco mox indicato non negat coli a nobis Cruces, ita ut cultus omnis referatur in Christum; sed inficiatur coli Cruces ea ratione, ut a nobis deorum loco habeantur. Nam scribit: „ Sed qui Crucis nos religiosos „ putat

licet ratione) cruces. Quo autem modo colerentur dicere non æquum duxit (1). Interea hortatus obtrectatorem eſt, ſuos ut reſpiceret, qui ligneos Deos, ligneaſque cruces, ut Deorum partes conſecrarent, ac venerarentur (2). Atque hæc quidem de cultu crucis Octavius reſpondit. Nam quod Ethnici optari a nobis cruces dicebant, hoc ab aliis diligenter, graviterque explicatum eſt. Non duci ea inſania nos, ut privari (3) vita, quam quiſque tueri debeat, cupiamus. Quod ſi eſt aliquis, qui niſi Chriſtum negemus, flagella, ſecures, cruces, omnia denique ſupplicia minetur, tum nos perferre hæc potius, quam veram religionem, ſine qua inanis eſt vita, negare velle. Nihil nos eos adverſarios morari, qui omnes

„ putat, conſecraneus erit noſter. Cum lignum aliquod propitiatur, viderit habitus, dum materiæ
„ qualitas eadem ſit, viderit forma, dum id ipſum Dei corpus ſit. Et tamen quanto diſtinguitur a
„ Crucis ſtipite Pallas Attica, & Ceres Pharia, quæ ſine effigie rudi palo, & informi ligno proſtas.
„ Pars Crucis eſt omne robur, quod erecta ſtatione defigitur. Nos ſi forte, integrum, & totum Deum
„ colimus. Diximus originem Deorum veſtrorum a plaſtis de Cruce induci. Sed & victorias adoratis, cum in tropæis Cruces inteſtina ſint tropæorum. Religio tota caſtrenſis ſigna veneratur,
„ ſigna jurat, ſigna omnibus diis præponit. Omnes illi imaginum ſuggeſtus in ſignis monilia Crucum
„ ſunt. Siphara illa vexillorum, & cantabrorum ſtolæ Crucum ſunt. Laudo diligentiam, noluiſtis
„ nudas, & incultas Cruces conſecrare. Alii plane humanius, & veriſimilius ſolem credunt Deum
„ noſtrum &c. Ex quibus verbis plane liquet, ab Tertulliano irrideri Gentiles, qui rudem palum informeque lignum deum, ut Palladem. Atticam, aut Phariam Cererem dicerent eſſe; deique proinde loco haberent. Nos enim ſi Crucem, ut Deum coleremus, quod falſum eſt, non palum rudem, ut Pallas Attica erat, qui pars Crucis ſit, ſed integram Crucem, atque adeo integrum Deum fuiſſe adoraturos. Quod ſi milites Ethnici ſigna omnibus Diis præponebant, non eſſe ab Ethnicis reprehendendos noſtros, ſi ea religione tenerentur. Longe tamen nos ab ea opinione abeſſe, ut Cruces putemus Deorum numero haberi oportere. Ac veriſimilius quidem aliquos exiſtimare ſolem eſſe Deum noſtrum. Falſum id quidem, ſed tamen ſpeciem majorem veri, quam priorem de Crucibus præſeferre. Quæ cum ita ſint, miror Havercampium concluſiſſe ex hoc Tertulliani loco, majorum noſtrorum ſententia, non eſſe omnino cultum Crucibus adhibendum. Aliud namque eſt Crucem ſic colere, ut cultus referatur in Chriſtum, qui Cruci affixus fuit, aliud Crucem arbitrari Deum. Primum non negavit Tertullianus, alterum, ut par erat, negavit.

(1) Sapienter ille quidem. Non enim fas eſſe putabat Ethnicis reconditiora quædam Chriſtianæ religionis myſteria, rituſque explicare, ne ea irriſioni, ſi forte intellecta non fuiſſent, exponerentur. Itaque, ut paullo ante animadverſum eſt, negavit templa ulla Chriſtianis eſſe. At erant profecto. Sed quia non erant ſimilia Ethnicorum, idcirco negavit, ut Ethnico reſponderet exprobranti, carere iis templis, atque aris noſtros, quæ Gentibus in uſu eſſent.

(2) Vide teſtimonia Minucii, & Tertulliani, quæ paullo ante retuli.

(3) Juſtinus Martyr *Apolog.* II. *al.* I. *num.* 4. *pag.* 91. *edit. an.* 1742. *Mon. S. Mauri*. „ Sed ne
„ quis ita dicat, omnes igitur morte vobis ipſis illata, jam nunc abite ad Deum, nec nobis negotium
„ exhibite. Dicam quid cauſſæ ſit cur id non faciamus, & cur interrogati, impavide confiteamur.
„ Non fruſtra mundum a Deo conditum eſſe didicimus, ſed propter humanum genus. Placere autem
„ illi jam diximus eos, qui illum imitantur; contra diſplicere, qui deteriora, vel dicto, vel facto
„ amplectantur. Igitur ſi omnes nobis ipſi manus inferamus, quominus quiſquam gignatur, aut divina doctrina imbuatur, aut etiam quo minus exſtet humanum genus, in cauſſa, quantum in nobis eſt,
„ erimus ipſi quoque contra Dei conſilium venientes, ſi ita faciamus. Interrogati autem non negamus, tum quod nullius mali nobis conſcii ſimus, tum quod impium exiſtimemus veritatem in omnibus non dicere, cum id Deo gratum eſſe ſciamus. Conſule locum Tertulliani, quem paullo ante laudavi ex *cap.* L. *Apologetici*, & Clementem Alexandrinum *lib.* IV. *ſtrom. num.* IV. *pag.* 570. *tom.* I. *edit. Oxon.*

omnes cruci affixos coli a Christianis arbitrarentur (1). Quæ namque calumnia, atque malevolentia inventa, & vulgata sunt commovere virum sapientem non possunt. Ex his tamen Ethnicorum accusationibus plane cognoscitur, jam usque ab ipso fere initio Ecclesiæ coli a Christianis cruces consuesse, quæ res cum venisset in Ethnicorum cognitionem effecit, ut ii cruces deorum numero a Christianis haberi contenderent.

§. IX.

Accusatio de Deo Christianorum inquieto, molesto, & impudenter curioso, *qua ratione depulsa fuerit*.

HOc ipso tempore, quo accusatio de adorato homine a Christianis invalescebat, erant ex eo genere Ethnicorum nonnulli, qui Epicureorum disciplinam, moresque imitati, cum intellexissent, talem haberi a nostris Deum, qui rebus omnibus, imprimisque humanis prospiceret, insectabantur nos contumelia, quasi eum coleremus, qui *inquietus*, *molestus*, *& impudenter curiosus* esset (2). Nihil hæc nostros movebant, qui conscii sibi essent, nullam rem tribui a Christianis Deo, quæ ejus majestate indigna esse videretur. Neque enim *inquietum* esse, aut *molestum*, aut *impudenter curiosum* illum cognorant, qui omnia sciat, quique rebus universis provideat, cum infinita cognitio ac providentia non passio quæpiam, sed summa perfectio sit (3). Itaque Philosophos magni nominis, dicebant, quod non vulgi opinione, sed ratione ducerentur, intellexisse eum, quem aliquid fugeret, & qui prospicere rebus ab se factis aut nequiret, aut nollet, haberi Dei loco

(1) Adeundus Origenes *l. c.*

(2) Cæcilius apud Minucium Felicem *in Octavio pag.10. edit. an.1652.* „ At etiam, *inquit*, Christiani quædam monstra confingunt? Deum illum suum, quem nec ostendere possunt, nec videre, in „ omnium mores, actus omnium, verba denique, & occultas cogitationes diligenter inquirere? Di„ scurrentem scilicet, atque ubique præsentem, molestum illum volunt, inquietum, impudenter „ curiosum. Siquidem adstat factis omnibus, locis omnibus intererrat &c.„ Atque eo dixi hos ueeu atores exemplum Epicureorum imitari consuevisse, quo Vellejus Epicureus apud Ciceronem *in 2. De natura Deorum libro* similia Stoicis opponere non dubitarit. Vide Nourrium *Tom. II. Apparat. in Biblioth. SS.PP. pag.70. cap.v. In Octav. Minuc. Art. II.*

(3) Vide Lactantium *l. I. Instit. c. VIII. p. 136. edit. an. 1698. & l. VI. c. XXV.* & Minucium Felicem *ibid. p. 36.* ubi hæc habet. „ Ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. „ In operibus enim ejus, & in mundi omnibus motibus virtutem ejus semper præsentem aspicimus ... Sed „ enim Deus actum hominis ignorat, & in Cælo constitutus non potest aut omnes obire, aut singulos nosse. „ Erras,

non posse (1). Quodsi homines curiosi essent, atque molesti, qui nosse studebant, quæ minime ad se pertinerent; hi suis moribus Deum ne metirentur. Namque nullam rem usquam in natura esse, quæ cum condita a Deo sit, ad Deum conditorem non spectet. (2) Multa præterea in hanc rem disputabant, quibus Ethnicos erroris convincere consueverant.

§. X.

I. *Calumnia de pudendorum cultu*. II. *Quæ fuerint ejus caussa*. III. *Quemadmodum sublata fuerit*.

I. Atque erant eadem ætate nonnulli, qui nos reprehenderent, quasi *Antistitis*, *& Sacerdotum genitalia coleremus* (3). Horum opinio, cum latius manavisset, effecit, ut statuarum quoque artifices horribiles figuras conflaverint, quibus ludibrio Christianam religionem exponerent, quasi pudendis cultum adhiberi oportere præscriberet, putaretque ab ipsis inlatam fuisse in mundum salutem. Nam, ut ceteras, quæ referri a scriptoribus solent, mittam, insignis est, quæ servatur in Musæo Vaticano (4), exhibetque gallum, qui rostri loco virilia, ita ut sculpta in Priapi statuis visuntur, gerat. Addita est figuræ inscriptio, quæ sic habet: Σωτὴρ Κόσμου: *Salvator Mundi*.

II. Viri eruditi, inque antiquitatibus Christianis explicandis versati,

„ Errat, o homo, & fallcris. Unde enim Deus longe est, cum omnia cælestia, terrenaque, & quæ extra „ istam Orbis provinciam sunt, Deo cognita, plena sint? Ubique non tantum nobis proximus, sed „ infusus est. Sol pariter præsens ubique interest, & miscetur omnibus. Quanto magis Deus Auctor „ omnium, ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest co„ gitationibus nostris, quasi alteris tenebris? Non tantum sub illo agimus, sed cum illo, ut prope „ dixerim, vivimus ..... Deo una domus est mundus hic totus &c. *Vide Nourrium l. c.*

(1) Vide Tertullianum *cap.* XLVI. *Apolog pag.* 385. *seq. edit. Havere.* Et Clementem Alex. *lib.* V. *Stromateon pag.* 730. *edit. Oxon. & lib.* VII. cujus loca refert Thobias Pfannerus *Syst. Theol. Gentilis cap.* II. §. XXIX. *pag.* 149. Et Lactantium *lib.* VI. *cap.* XXIV. *pag.* 475.

(2) Ambros. *Officior. lib.* I. *cap.* XIV. „ Potest opus suum ignorare artifex? Homo est, & in opere „ suo latentia deprehendit, & Deus opus suum nescit? Altius ergo profundum in opere, quam in Au„ ctore ..... Quid autem tam stolidum, quam putare, quod Deum quidquam prætereat? .... Sed ea quæ „ fecit ipse non videt, & fecit, ut meliora sint, quæ facta sunt, & potentior, quam ipse est, qui ea „ fecit, ut meliora sint, quæ facta sunt, & potentiora, quam ipse est, qui ea fecit, ut possint, quan„ do volunt, cognitionem sui operatoris latere? &c. Vide Pfannerum *loc. cit.*

(3) Cæcilius Ethnicus apud Minucium Felicem in *Octavio pag.* 9. *edit. an.* 1652. „ Alii eos fe„ runt, *inquit*, ipsius *Antistitis*, *ac Sacerdotis colere genitalia*, & quasi parentis sui adorare na„ turam. Nescio an falsa, certe occultis, ac nocturnis sacris apposita suspicio „. Consule Nourtium *in apparatu ad Bibliothecam Patrum in Minuc. Octav. cap.* XI. *Art.* IV. *Tom.* II. *pag.* 135.

(4) Non enim arbitror Gnosticorum hoc esse, quod etsi illi turpissimis moribus erant, tamen Salvatoris mundi loco habuisse eos rem adeo obscoenam, nusquam est a majoribus memoriæ commendatum.

verſati, cum in originem hujus calumniæ inquirerent, ſic repererunt. In Exhomologeſi (1) proſtraviſſe Chriſtianos ſe coram Antiſtite, aut Sacerdote, cui pœnitentes excipiendi impoſitum onus eſſet. Ethnicos, qui hæc audiſſent, neque aſſequi potuiſſent, cur ſeſe pœnitentes ad pedes Sacerdotum proſternere ſolerent, ſtupore quodam, rerumque noſtrarum ignoratione exiſtimaſſe Chriſtianos virilia colere.

III. Quæ ſane calumnia ſublata perfacile fuit. Patres enim, qui plane cognorant, quam longe noſtri ab omni genere ſuperſtitionis abeſſent; principio ut cetera crimina, quæ hoſtes nominis Chriſtiani nobis opponerent, ita id quoque dixerunt duci oportere in numero fabularum (2). Deinde videri ſibi id agere Ethnicos omni ſcelerum, vitiorumque turpitudine inquinatos, ut quæ ſua eſſent, ea noſtris tribuere auderent. Hac reſpondendi, repellendæque invidiæ ratione impetratum tandem eſt, ut ne inimici noſtri hoc nobis crimen exprobrare pergerent.

R 2 §. XI.

(1) Nourrius *loc. cit. pag.* 136. „ Quæ igitur illa fuerit occaſio, *inquit*, quiſquis ſcire avebit, „ huic reſpondebimus, Chriſtianos, qui prioribus Eccleſiæ ſeculis publicam delictorum ſuorum, criminumque graviorum pœnitentiam agebant, extra fores limenque Eccleſiæ, ad omnium, præſertim „ Sacerdotum ſeſe proſtraviſſe pedes, ut illorum veniam impetrare poſſent. Gentiles vero, cum id „ vaga, incertaque fama excepiſſent, inde fabulam confecerunt, ab eis Sacerdotis virilia adorari. De „ hujuſcemodi enim pœnitentibus, de quibus nos alibi fuſius, hæc præ ceteris ſcribit Tertullianus: „ *Exhomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt* ..... *Plerumque jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrimari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum; Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari &c.*

(2) Minucius Felix *in Octav. pag.* 279. *edit. an.* 1672. „ Etiam ille, qui de adoratis Sacerdotis „ virilibus, tentat in nos conferre, quæ ſua ſunt. Iſta enim impudicitiæ eorum forſitan ſacra ſint, „ apud quos ſexus omnis membris omnibus proſtat, apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas: qui „ ſcortorum licentiæ invident, qui medios viros lambunt &c.



poscebantque, ut sibi quæ nostra doctrina esset, explicaretur, decreta, atque instituta, quæ a Christo, atque Apostolis acceperant, accurate diligenterque in suis operibus indicarent. Gentiles, etsi hac ratione convicti, opponere deinceps, quæ jactarant de occultato a Christianis eo, quod colebant, non poterant; tamen aut recusabant Apologias Patrum legere, aut si legebant, vel taceri quædam ab ipsis, quæ turpia viderentur, & essent (1), vel falso jactari, quæ de rebus divinis sese credere nostri dicebant; vel reos nihilominus læsæ divinitatis illos esse arbitrabantur, qui deos adorare nollent, quamvis ponerent unum hujus universitatis parentem Deum. E tanta autem multitudine hostium, etsi erant, qui ad consideranda nostræ religionis decreta advertere animum nolebant, pergebantque latebras, recessusque nostris exprobrare; non deerant tamen homines, qui cum rejici eam doctrinam nequire cognoscent, quam expendere recusassent; tum illam & considerarunt diligenter, & quoniam veram esse perspexerant, sic coluerunt, ut neque minis, neque suppliciis induci ad ipsam deserendam potuerint. Itaque ut augebatur in dies numerus Christianorum, ita calumnia minuebatur, quoad sublata funditus est, cum incredibilis hominum multitudo, Christianorum Imperatorum exemplum imitata, nostris se sacris, institutisque addixit.

§. XII.

Celsum, Cyprianus, Arnobius, aliique. Itaque norant Ethnici, qui ea scripta legerant, quem nos Deum colere diceremus.

(1) Ita videtur fecisse Cæcilius, qui, apud Minucium *in Octavio*, ut ex eo loco, quem mox retuli, plane constat „ Quod colunt, *inquit*, & interprimunt, aut puniendum est, aut pudendum. *Addit*: „ unde autem, vel quis ille, aut ubi Deus unicus, solitarius, destitutus, quem non gens libera, „ non regna, non saltem Romana superstitio noverunt? Judæorum sola, & misera gentilitas unum & „ ipsi Deum, sed palam, templis, aris, victimis, ceremoniisque coluerunt. Cujus adeo nulla vis, „ vel nec potestas est, ut sit Romanis numinibus cum sua sibi natione captivus „. Origenes *lib.* VIII. *contra Celsum num.* 17. *pag.* 754. *seq. Tom.* 1. *opp. edit. Paris. Monachorum S. Mauri*, animadvertit objectum ab eo Philosopho nostris fuisse, *quod occulta, & arcana societatis tessera* conjuncti essent ac proinde *ab altaribus, statuis, templisque erigendis abhorrerent*; Responditque accurate huic accusationi. Rursum *lib.* 1. *num.* 7. *pag.* 325. „ Quoniam vero, *inquit*, in sequentibus clancularium „ sæpe vocat nostram doctrinam, etiam in hoc confutandus est, cum illa sit toti orbi magis cognita, „ quam ipsamet placita Philosophorum. Quem enim fugit, Jesum natum esse ex Virgine, & suffixum „ Cruci, & quod jam tot homines credunt, illum e mortuis resurrexisse, venturum esse judicium, „ quo injusti meritis suppliciis, justi meritis præmiis affici debent? Et mysterium resurrectionis nonne „ in ore est etiam infidelibus?.... Post hæc ineptus sane fuerit, qui nostram doctrinam occultam esse dicere. Ceterum esse quædam reconditiora, nec omnibus retecta, id Christianæ doctrinæ commune „ est cum Philosophia, ubi quædam exteriora, quædam etiam interiora sunt .... quæ profanis nec purgatis auribus tutum non erat committere &c. Similia scribit, *l.* III. *num.* 15. *pag.* 450.

§. XII.

I. *Accusatio de* diagrammate *superstitioso a Celso instituta.* II. *Unde orta ea calumnia fuerit.* III. *Quoque modo a Patribus rejecta sit.*

I. IDem ille Celsus Epicoureus, de quo supra dictum est, omnes Christianos superstitioni studere, ceremoniasque colere affirmavit, quæ propriæ essent magorum. Namque uti eos diagrammate quodam scripsit, quo portenta, nescio quæ, nugarum, litteræque superstitionis plenæ continerentur. Hanc *diagrammatis* figuram esse. Videri in ea circulos disjunctos decem (1). Priori circulo, qui anima mundi sit, inditum esse *Leviathanis* nomen. Cerni in infimo circulo eum, quem *Beemothum* vocarent. Esse *diagramma* linea nigra divisum. *Lineam Tartarum*, sive *Geennam* dici solere. Secundum hæc (2) Celsus nostros redarguit, quasi septem dæmonibus, quorum nomina non recitat, se, resque suas omnes commendarent.

II. Quum ejus accusationis originem investigarem, hanc ego conjectura sum assequutus. Ophiani, quorum est paullo ante facta mentio, hoc signorum genere delectabantur (3). Hi, quamquam erant inimici Christo (nam execrari illum (4) antequam essent Sectæ suæ mysteriis initiati solebant); factum tamen est, ut Christiani a nonnullis appellarentur (5). Patrum aliqui, cum hoc audissent, duci eos in numero hæreticorum oportere judicaverunt, qui se (6) Christi sectatores vocare auderent. Celsus qui occasiones calumniandi nostros quærebat, ubi esse aliquos intellexit,

(1) Orig. *lib.* VI. *contra Celsum num.* 25. *pag.* 649. *edit. Mon. S. Mauri*, hoc se diagramma, quod describit, vidisse affirmat.

(2) Apud *Orig. ibid. num.* XXX. *pag.* 654.

(3) *Idem*, *ibid.* XXIV. *seqq. pag.* 648. *seqq.*

(4) *Ibid. num.* XXVIII. *pag.* 652.

(5) Ut a Celso apud *Orig. loc. cit.*

(6) Fortasse quod Patrem, & Filium nominarent, ut constat ex *Orig. loco modo indicato*; quodque audissent non negari a multis eorum omnino Christum. Itaque vetus Auctor *Append. ad lib. Præscript. Tertull. cap.* XLVII. *pag.* 220. *edit. an.* 1675. „ Serpentem, *inquit*, tantum magnificant, ut illum „ etiam ipsi Christo præferant ...... Ipse, ajunt præterea, Christus in Evangelio suo imitatur serpentis „ ipsius sacram potestatem &c. Quinetiam S. Irenæus *lib.* 1. *contra Hæreses cap.* XXX. *num.* 12. *edit. Massueti* existimasse Ophianos, ait „ Jesum ex Virgine per operationem Dei generatum, sapientio„ rem, & mundiorem, & justiorem hominibus omnibus fuisse &c. Consule Theodoritum *lib.* 1. *Hæret. fabul.*

xit, qui cum Christiani dicerentur, tum eam superstitionem probarent, omnibus qui ex Christo nomen cœpissent, placere *diagramma*, & dæmonum appellationes scripsit.

III. Sed Origenes, qui sibi ejus Sophistæ refellendi onus susceperat, mirari se dixit quid caussæ esset, quod cum aliis in locis sectarum nomina Celsus indicarit; hoc loco, ubi certe opus fuisset, tacitus eam prætermiserit, quæ *diagrammate* (1) uteretur. Esse in ea opinione se, ut existimet, hominem malum, qui de Ophianorum decretis, & institutis obscuri, nescio quid, audisset (2), partem eorum hinc accepisse, quæ de *diagrammate* scripserit. Curasse præterea se, ut ejusmodi figura aliqua (3) potiretur. Eam, ut invenit, multa observasse, quæ probari nemini sano posse (4) videantur. Quare calumniari Celsum, qui Christianis ea figmenta tribuere conaretur, quæ abhorrerent a communi sensu, & iis accepta essent referenda, quorum aut nulli, aut si qui usquam, perpauci (5) scilicet superessent. Quod Principes dæmoniorum *Michaelem*, qui leonis (6), *Surielem*, qui tauri, *Raphae-*

fabul. cap. xiv. & *Epiph. Hæres* xxxvii. Ex qua re facile colligitur, Ophianos quorum meminit Origenes non eosdem atque hos fuisse, quos Irenæus describit, quamquam in nominibus dæmonum, inque multis decretis summa horum cum illis esset consensio, ut ex Origenis, & Irenæi, ceterorumque, quos indicavi, locis plane colligitur. Quare non dubito, quin ut illi, ita hi quoque diagrammate uti solerent. Nam Origenes hæreticos vocat eorum aliquos, qui diagramma tenerent *pag.* 660. Neque vero Beausobrium hæreticum de secta Calvinianorum moror, qui *lib.* iv. *hist. Manich. cap.* iv. *p.* 64. *Tom.* i. Patres objurgat, quod Ophianos, quos Origenes Christum diris devovisse dicit, in hæreticis numeraverint. Ego enim vel de aliis Ophianis loquutum Origenem, vel etiam lapsum fuisse existimo. Nam Irenæo, & veteri Scriptori Appendicis *in Tertull.* fidem adimere velle, eamque uni Origeni tribuere, hominis est non veritatis sed contentionis amore scribentis. Etsi est illud, ut statueram, verisimilius, Ophitas Irenæi sua fuisse partim a Christianis, partim ab Ophitis Origenis mutuatos. Nam Ophitæ Origenis illi sunt, quos Philastrius *lib.* i. *cap.* 1 ortos ante Christi adventum fuisse narrat.

(1) *Orig. lib.* vi. *contra Celsum num.* xxiv. *pag.* 648. *Tom.* 1. *opp.*

(2) *Ibidem*.

(3) *Ibidem*.

(4) *Ibidem*.

(5) *Lib. eod. num.* xxvi. *pag.* 650. ,, Nec Celsus scripto contra Christianos edito suisque adversus ,, Christianos calumniis admiscuisset ea, quæ nusquam dicta sunt a Christianis, sed a quibusdam, quo- ,, rum fortasse nulli supersunt, aut perpauci.

(6) *Orig. ibid. num.* xxx. ,, Et primum quidem leonis habere formam ait Celsus, tacito nomine, ,, quod a vere impiis illis hominibus impositum illi est. At ego comperi ex impio illo diagrammate, ,, dæmonem illum Leonina forma vocari Michael, quod nomen in sacris scripturis Sancto conditoris An- ,, gelo tribuitur. Quem secundum Celsus dicit esse Taurum, eum diagramma nominat Suriel Taurifor- ,, mem. Tertius est, Celso teste, vitæ ancipitis, & horrendum sibilat, & in diagrammate tertius ille ,, Raphael Serpentiformis appellatur. Quartum Celsus refert speciem Aquilæ praeferre, illum dia- ,, gramma Gabriel Aquiliformem nuncupat. Quinto facies est Ursi, si Celso credimus, & in diagram- ,, mate nomen illi est Thauthabaoth Ursiformis. Sexto, id quod Celsus testatur, tribuunt illi canis fa- ,, ciem, diagramma vero vocat illum Erathaoth. Septimum denique Celsus affirmat asini formam re- ,, ferre, & appellari Thaphabaoth, aut Onoel; ego autem in diagrammate vidi illum asinina forma ,, dæmonem vocari Onoel, vel Thartharaoth.

Raphaelem, qui serpentis, *Gabrielem*, qui aquilæ, *Thauthabaothum*, qui ursi, *Erathaothum*, qui canis, *Onoelem*, seu *Thaphabaothum*, qui asini forma esset, a Christianis laudari Celsus, qui tamen ea nomina tacuit (1), solasque figuras descripsit, dixisset; nossent Ethnici ignotum id omne nostris esse; placere autem iis præstigiatoribus, qui Jesum nec Servatorem, nec Deum, nec Dei filium (2) esse arbitrarentur. Pleraque alia de *diagrammate* (3), de dæmoniorum nominibus, deque iis, qui sese in eos dæmonas transmutare (4) vellent, eorumque appellationes sibi adsciscere auderent, Origenes disputat; quæ cum plane efficiant, non fuisse ea commenta propria nostrorum, tum prætermittenda sunt, ne longior esse videar, quam oportet.

§. XIII.

I. *Calumnia de* circulis, qui *inclusi* circulis *essent*; *de* rivis Terrestris Ecclesiæ; *de virtute ex* Prunico *virgine manante*; *de* cælo, *de* terra, *de* multis *denique*, *ut* vivant, interfectis; *de* ligno vitæ, *quasi excogitatum fuerit, propterea quod Servator Christus Cruci affixus fuisset*. II. *Quæ ejus caussæ fuerint*. III. *Quemadmodum a majoribus fuerit impugnata*.

I. PRæterea graviter Celsus nostros accusavit, quod, quum facere insaniendi modum nollent, opinionibus vanis, quarum modo meminimus, alias adderent, quæ non minus absurdæ esse viderentur. Fuisse illos ita excæcatos, & imbutos superstitione, ut *circulos*, nescio quos, *circulis* esse inclusos pugnarent (5), virtutemque quamdam comminiscerentur, quæ ex virgine, cui esset *Prunicus* nomen manasset. Non morari se, quod cælum, quod terram

(1) *Ibidem & seqq.*
(2) *Ibidem & seqq.*
(3) *Ibid. num.* XXXIII. *pag.* 657.
(4) *Ibid. num.* XXXVIII. *pag.* 660.
(5) Celsus apud Origenem *lib.* VI. *num.* XXXIV. *pag.* 657. „ Circulos circulis inclusos, rivos Ecclesiæ terrestris, & circumcisionis, virtutem ex quadam Prunico Virgine manantem, viventem animam, cælum ut vivat, occisum, occisam & ense terram, mactatos ut vivant, tollendam mundo mortem, ubi peccatum mundi mortuum fuerit. Illic utique videas lignum vitæ, & carnis resurrectionem per lignum, opinor, quia magister eorum Cruci clavis affixus est, & faber lignarius erat. Quod si ex prærupta dejectus rupe fuisset, aut in barathrum præcipitatus, aut laqueo præfocatus, si artem excoluisset aut coriariam, aut cæmentariam, aut ferrariam, esset super cælos rupes vitæ &c.

ram, quod multos denique occisos, ut vivant fuisse dicerent. Esse hoc genus figmenti illius simile, quod nugabantur de *ligno vitæ*, propterea quod eorum magister (indicabat autem his verbis Servatorem Jesum) cruci affixus, & faber lignarius fuisset. Nam si dejectus is ipse e rupe fuisset, rupem quidem certe se arbitrari in cælo Christianorum opinione futuram.

II. Non erat necesse, ut plurimum studii in inquirendis hujusce calumniæ caussis ponerem. Didiceram enim ita fuisse institutum Celsum, ut quæ *Gnosticorum* (1) erant, ea omnibus Christianis adscriberet, quo improba oratione plebem a nostris sacris institutisque deterreret.

III. Itaque Origenes Epicureum vehementer redarguit (2), quod ea nos vesania duci jactaret, qua ferretur genus illud hæreticorum, qui septem, quos excogitarant, potestatum circulos uno circulo includerent, quem esse *Leviathanum*, rerumque omnium animam censerent. Namque ex eodem fonte manasse, quæ ille ipse turbarat de terrestri Ecclesia, & circumcisione ex Ecclesia cælesti, Æoneque meliore profecta. Ad *Prunicum* Virginem quod attinet, esse hoc Valentinianorum erratum, qui Æonem supremum hoc nomine vocabant, & *Ialdabaothi* matrem & sapientiam esse mentiebantur, cujus figura ea fæmina fuerit, quæ annos duodecim fluxu sanguinis laborarat. Nescire se quid *cælum*, quid *terra*, quid sint multi denique *interfecti*, ut *vivant*. Atque

(1) Origenes *l. c. pag.* 658. „ Equidem illum [Celsum] suspicor paucula de quapiam hæresi accepisse,
„ quæ cum quid vellent non cognosceret, dicta quædam temere protulisse, ut & nostræ, & hæreticæ
„ doctrinæ ignara in Christianorum doctrina versatissimus videretur.

(2) Orig. ibid. *n.* xxxv. *pag.* 658. „ Circulos circulis inclusos fortasse deprompsit ex ea hæresi, quæ
„ septem potestatum circulos uno includit, quem rerum omnium animam, & Leviathan vocat... Quod
„ ait de rivis Ecclesiæ terrestris, & circumcisionis, ductum id suspicor ex eo, quod nonnulli dicunt Ec-
„ clesiam hanc terrestrem ex Ecclesia cælesti, melioreque æone esse derivatam, & circumcisionem,
„ de qua in lege, esse signum cujusdam circumcisionis, qua homines in quodam illic loco purgantur.
„ Prunicus vero ea est, quam Valentiniani male sana sapientia sapientiam appellant, ejusque vo-
„ lunt figuram fuisse fæminam illam, quæ duodecim annis fluxu sanguinis laboravit. Quod Celsus pra-
„ ve usurpans, omniaque Græcorum, Barbarorum, Hæreticorumque confundens, loquitur de potesta-
„ te, quæ ex Prunico quadam Virgine dimanat. Quod ad animam viventem attinet, arcanum fortasse
„ est Valentinianorum dictum de conditore, quem animalem vocant... Quid sit occisum cælum, quid in-
„ terfecta terra, quid multi mactati ut vivant, prorsus nescio. Hæc illum e se ipso finxisse, facile
„ crediderim„. Et *num.* xxxvii. *pag.* 660. quo loco disserit de ligno. „ Quis non videt, *inquit*,
„ quanti fieri debeant ejusmodi calumniæ hominis injuriis lacessentis, quos ut deceptos convertere
„ promiserat„. Ex quibus verbis illud etiam intelligitur Valentinianos quædam Ophianorum probasse, nec longe abfuisse a retinendo diagrammate. Itaque versari in errore Beausobrium, qui nullum hæreticum, qui Christum coleret, diagramma tenuisse existimat. Neque vero Valentiniani solum, sed etiam Ophiani multa de Prunico virgine nugabantur. De qua re consuli poterit Irenæus *loc. cit.*

in eam opinionem propendere ſe, ut conficta hæc eſſe Celſi arbitrata putet. Nihil ſibi in promtu eſſe, quod dicat de *ligno vitæ*, quod in cælo, noſtra ſententia, eſſe Celſus nugaretur. Nam ineptias ejuſmodi, quæ ab improbis ſpargerentur, nihili pendi oportere.

§. XIV.

I. *Calumnia de* Filio antelato a Chriſtianis Patri. II. *De* duobus principiis, *quorum unum alteri adverſaretur*. III. *Deque* Deo, qui manibus *hanc univerſitatem rerum condiderit*.

I. ERat Celſo, ita ut ſupra demonſtratum eſt, curæ nihil prætermittere, quod nocere Chriſtianis poſſet. Itaque quæcumque vanæ, abſurdæque ſententiæ eſſent, eas nobis putavit eſſe tribuendas, ut ſi quis forte fuiſſet, qui aut acceſſiſſet, aut accedere noſtræ doctrinæ vellet, a ſuſcepto (1) conſilio revocaretur. Obſcura erat ea ætate neſcio quæ factio Hæreticorum. Hi ut ab ceteris diſtinguerentur (nulla enim tam inepta ſententia eſt, quam unus aliquis non defenderit) *Filium Patri* anteferebant (2). Ergo Celſus, qui audierat, eſſe quoſdam, qui Chriſtiani dicerentur, idque opinionis portentum probarent, quin primum inveſtigarit, ut Philoſophum decuiſſet, eſſet ne hoc omnium commune, qui Chriſtum conſectarentur, an contra omnino paucorum, noſtros omnes accuſavit, quaſi defenſionem ejus ſententiæ ſuſcepiſſent (3).

II. Addidit calumniam de *Satana* (4), qui ita adverſetur Deo, ut hunc non ſinat quidquam ex arbitrio facere. Immo vero ab illo (5) ſuperatum Dei Filium, affectumque fuiſſe moleſtia ſcripſit. Quæ omnia partim falſa eſſe conſtabat (6), partim ex ſacris

(1) Origenes *lib.* VI. *contra Celſum num.* XXXVII. *pag.* 660. Atque erat hæc ceterorum Ethnicorum voluntas, qui totis voluminibus noſtros conciderant. Quare Juſtinus Martyr *in Priore libri de reſurrectione Parte apud Johannem Damaſcenum in* Parallelis. *Spicileg. Grabiani T.* II. *pag.* 178. *edit. an.* 1714. „Quia, *inquit*, adverſarius oppugnare mortales non deſinit, ſed multis artibus ad „ inſidias utitur, contra fideles quidem, ut eos a fide abducat, contra infideles autem, ut non cre- „ dant, neceſſarium mihi videtur, ut etiam nos invictis fidei ſermonibus obarmati, infirmorum cauſſa „ contra ipſos (nempe Ethnicos, qui nos oppugnarent) certemus.

(2) Celſus *apud Originem lib.* VIII. *n.* XV. *pag.* 753. *Tom.* I. *opp. edit. Mon. S. Mauri*.

(3) Origenes *ibid.* „ Et hic iterum in Chriſtianos omnes confert, quæ ex neſcio qua obſcuriſſima „ hæreſi depromſit. *Obſcuriſſimam* dico. Nam quamvis ſæpe cum hæreticis conflictati fuerimus, nobis „ tamen non liquet ex qua ſententia Celſus hæc deſumſerit; ſi tamen deſumſit, & non potius confinxit, „ aut quaſi conſequentia addidit.

(4) Celſus apud Origenem *lib.* VI. *num.* XLII. *pag.* 663. *Tom.* I. *opp.*

(5) Ibidem.

(6) Orig. ibid. *n.* XLIII. *pag.* 665. *& ſeqq.*

ſacris litteris expreſſa , quæ tamen Celſus non intellexerat . Nemo enim noſtrum erat, qui impediri ab Satana Deum , ne libere agat , contenderet . Nam quod eſt de Filio Dei a malo dæmone ſuperato , hoc etiam in iiſdem erratis numerandum erat , quæ veri Chriſti diſcipuli reprobabant . Hoc unum ab Orthodoxis tenebatur : Satanam bonum initio fuiſſe . Auſum eſſe abuti libertate arbitrii (1) , qua gaudebat . Incidiſſe namque in ſuperbiæ vitium, eamque dignitatem expetiviſſe , quæ rei creatæ competere nequiret . Ergo præcipitem actum e cælo fuiſſe , inque deſtinatum malis locum impulſum , ubi ſempiterno igne cruciaretur . Id deinde eum egiſſe , & porro agere , ut tentet mortales ea gloria (2) privare , ex qua ipſe ceciderit . Itaque conatum fuiſſe Chriſto (3) , quem Deum eſſe nondum cognorat , inſidias ponere . Non ſuperaſſe tamen , ſed ſuperatum a Chriſto ipſo fuiſſe . Hæc Celſus, quæ vera ſunt , rapuit in pejorem partem , adſcitiſque decretis quibuſdam Gnoſticorum (4) , ita confudit , ut prodigia quædam doctrinæ inde conflaverit , quæ tributa ſi eſſent nobis , afferre Orthodoxæ religioni aliquid detrimenti poſſent .

III. Cumque in ſacris Bibliis *manus Dei* nominari audiſſet, quin primum quæſierit , quo id tandem ſenſu dictum a Prophetis fuiſſet, hoc item noſtris vitio dedit , ac ſi manibus a Deo conditum fuiſſe mundum (5) putarent . Quæ quidem calumnia , quoniam ſatis manifeſta eſt (omnes enim intelligunt , transferri vocem manus, quæ illis in locis memoratur , in aliam ſignificationem , quæ Dei poteſtatem indicet , oportere) (6) non egebat longa oratione qua refelleretur .

(1) Athenag. *legat.* n. xxiv. *pag.* 302. *edit. opp. S. Juſtini Pariſ. Mon. S. Mauri an.* 1742. „ Quemadmodum autem in hominibus , qui liberam habent eligendæ virtutis aut vitii optionem .... , ſic „ etiam in Angelis res ſe habet . Alii enim , liberi ſcilicet , quales a Deo facti fuerant , in his permanſerunt , quorum cauſſa creati a Deo fuerant .... Alii vero & naturæ ſubſtantia , & munere ſibi „ commiſſo abuſi ſunt &c. „ Tatianus quoque *Orat. contra Græcos* n. xii. *pag.* 254. *edit. opp. S. Juſtini an.* 1742. „ Iſtos , *inquit* , adoratis, o Græci ... ſua enim ſtultitia ad inanem gloriam converſi ... λῃσταὶ θεότητος γενέσθαι προεθυμήθησαν *Latrones divinitatis fieri concupiverunt* . Conſule quæ in hanc rem ex Patrum operibus collegit teſtimonia Dionyſius Petavius *lib.* iii. *de Angelis cap.* iii. *ſeqq. Tom.* iii. *Theologic. Dogm. edit. an.* 1644.

(2) Vide Athenagoram *l. c.* n. 27. *pag.* 305.

(3) *Evang. Matthæi cap.* iv. *v.* 1. *ſeqq.* Conſule Irenæum *lib.* v. *contra hæreſes cap.* xxiv. *num.* 4. *edit. Maſſueti* .

(4) Hi namque ineptias ejuſmodi de Satana , quas Celſus refert , excogitarunt . Nam Saturninus apud Irenæum *lib.* i. *cap.* xxiv. *num.* 2. *edit. Maſſueti Pariſ. pag.* 101. „ Prophetias quaſdam a Satana „ (dictas affirmavit) quem & ipſum Angelum adverſarium Mundi fabricatoribus oſtendit , maxime autem Judæorum Deo &c.

(5) Apud Orig. *lib.* iv. n. xxxvii. *pag.* 530.

(6) Origenes *ibid.*

§. XV.

Calumnia de cultu Serapidi a Christianis adhibito.

NOn multo ante tempore, quam Celsus nostros insectaretur (1), Hadrianus Imperator ad Servianum Cos. (2) litteras dedit, quibus significabat, Christianos in Ægypto teneri *Serapidis* religione. Ejus calumniæ origo hæc fuit. Erant Ægyptii summa animi levitate (3). Quidam eorum, qui se e Christo dicarant, cum intelligerent, esse Præfectos iniquos nostris, ut supplicia vitarent, aut dissimulare, aut abjicere Christiana sacra, & Serapin colere audebant (4). Erat Serapis præcipuum inferioris Ægypti & Alexandrinorum numen. Quum eo Hadrianus venisset, ostendissetque, ita ut consuerat (5), non probari sibi instituta, religionemque nostrorum, credibile est, fuisse nonnullos, qui ejurare Christum, & sacrificare Serapidi, quam in cruciatum venire mallent. Qui enim Præfectorum minis cedebant, hi multo magis Imperatori supplicia, extremumque interitum minanti cessissent? Itaque cum hi tantum in Urbibus versarentur (6), ceteri namque quorum magna

(1) Vixit enim Celsus, ut scribit Origenes *lib. 1. num.* VIII. *pag.* 327. κατ' ἀδριανὸν καὶ κατωτέρω: *sub Hadriano*, *&* *post* Hadriani tempora. Multa de ætate Celsi disputant Spencerus *in Præf. ad libri Orig. contra Celsum*, & Henricus Dodwellus *ad Irenæum pag.* 32. *seq.* & 500. *seq.*

(2) Flavius Vopiscus *in Saturnino pag.* 719. *Tom* II. *Hist. Augusta Scriptorum*. *Edit. Lugd. Batav. ann.* 1671. „ Hadriani epistolam, *inquit*, ex libris Phlegontis liberti ejus proditam; ex qua „ penitus Ægyptiorum vita detegitur, indidi. „ *Hadrianus Aug. Serviano Cos. Salut. Ægyptum*, „ *quam mihi laudabas Serviane carissime, totam didici levem, pendulam, & ad omnia famæ* „ *momenta volitantem. Illi, qui Serapin colunt Christiani sunt, & devoti sunt Serapi, qui* „ *se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic Archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non Aruspex, non Aliptes. Ipse ille Patriarcha,* „ *cum Ægyptum venerit, ab aliis Serapin adorare, ab aliis cogitur Christum* „.

(3) Hadrianus apud Vopisc. *ibid.*

(4) Ita etiam sub Decio sese plerique Ægyptii, qui Christiani erant, gesserunt, velut est ab Dionysio Alexandrino in Epistola ad Fabium Antiochenum memoriæ traditum. Vide *Euseb. l.* VI. *H. E. cap.* XLI. *pag.* 305. *seq edit. Cantabr.* Isaacus Casaubonus in *not.* ad *loc.* modo laudatum Vopisci testatur legisse hæc in Veteri Martyrologio se, quo loco de Epimacho Martyre agebatur. „ Venit Alexandriam Judex insanissimus, ferocissimus. Quare & Christianorum omnium alii quidem timore minarum in deserta fugerunt, alii vero Christianismum occultantes impietatem simulabant. Multa sunt ejusmodi de Ægyptiis in Historia Ecclesiastica.

(5) Nam Hadrianum Christianis fuisse infestum constat non modo ex sinceris Actis Sanctæ Symphorosæ, aliisque Ecclesiasticis monumentis, sed etiam ex Eusebio *lib.* IV. *H. E. cap.* III. & *chron. ad an.* X. Hadr. & ex Hieronymo *Catal. Scriptor. Eccl.* & *Epist. ad Magnum*, quorum testimonia alio loco recitabuntur.

(6) Velut ante ostendimus evenisse Decii tempore veteris Martyrologii auctoritate. Id vero non Alexandriæ, & in reliqua Ægypto modo, sed multis aliis in regionibus evenire persequutionum tempore solabat.

magna erat in tuenda religione constantia , latebras , sibi quæsierant, quibus mortem declinarent , sua agendi ratione in eam sententiam inducere Hadrianum poterant, ut Christianos putaret alienos a Serapidis cultu non esse . Ethnici præterea , qui iniquo animo ferebant coli a nobis Christum , neglecto Deo , quem illi imprimis venerarentur, cum nunciatum esset Episcopum Christianorum Alexandriam rediisse , eum quæritabant , & si aliquando invenirent , comprehensum numen suum , ut adoraret (1) , cogebant . Nostri contra (quod sæpe facere solebant , cum Martyres ad supplicium irent) eum , quem *Pastorem* suum vocarent , forte, ut est verisimile , hortabantur , ut quam dederat Servatori fidem , eam caveret (2) , ne falleret . Quod ergo ab Ethnicis , eorumque aliquibus fortasse, qui sustinere cruciatus nequiverant , lapsique fuerant , fiebat ; hoc illi Hadriano a Christianis ipsis fieri consuesse persuaserunt . Igitur non solum cultum Serapin ab omnibus , sed curatum etiam a plerisque nostrum fuisse scripsit , ut Episcopus (3) Serapin adoraret .

§. XVI.

(1) Id ego conjectura dico . Nam hoc imprimis inimici nostri curabant , ut Episcopos comprehenderent , & sacrificare cogerent . Ducibus enim captis , facile capi ceteros posse putabant . Quamobrem in Actis SS. MM. Ignatii , Polycarpi , aliorum Episcoporum , quæ numerare non vacat, legimus, datam fuisse ab hostibus operam , ut illi in manus Tyrannorum venirent . Sed etsi capi illi se siverint , mori maluerunt , quam sacrificare . Est autem verisimile comprehensos eo consilio aliquando fuisse , cum persecutio sæviret, Episcopos in Ægypto . Episcopum autem Alexandrinorum ullum , qui ante Hadrianum , temporeque Hadriani floruerit , Serapidi sacrificasse , falsum est ; non Anianum , non Cerdonem , non Primum , non Justum denique, qui , Hadriano Imperatore , Ecclesiam Alexandrinam moderabatur . Si quis autem meliorem interpretationem se reperire confidat posse , is si repererit , rem mihi gratissimam faciet .

(2) Vide Acta S. Felicitatis apud Ruinartium *pag.* 21. *edit. an.* 1689. & Acta SS. MM. Lugdunensium apud eumdem *pag.* 55.

(3) Hadrianus *Patriarcham* vocat : de qua appellatione dicam alio loco opportune , daboque operam, ut locum hunc Epistolæ illustrem.

§. XVI.

Accuſati ab Ethnicis Chriſtiani. I. *Quod* feſtis publicis non intereſſent, II. *Quod* templis, ariſque *carerent*. III. *Et quaſi* barbaris vocibus *orantes uterentur*.

I. RUrſum Celſus Chriſtianos graviter objurgavit, quod cum Deus invidia nulla duci poſſit, *feſtis publicis* (1) intereſſe recuſarent. Patres nihil impedire ſe reſponderunt, quin Sui feſtis publicis intereſſent, ſiquidem res nulla iis exhiberetur, quæ aut ſuperſtitioſa, aut inanis (2) eſſet. Sed cum iis pleraque contraria pietati, ac religioni contineri perſpicerent, videri ſibi dixerunt, vacare eos culpa non poſſe, qui ludis, feſtiſque adeſſe auderent.

II. Eodemque modo repreſſerunt eorum audaciam, qui nos impietatis damnabant, propterea quod templis, ſimulacris ariſque careremus. Eſſe enim majores noſtri ajebant, Chriſtianos omnes longe diſtantes a ſuperſtitione deorum (3). Nam qui Deum unius aut templi, aut ſimulacri anguſtiis contineri poſſe arbitrabantur, noſſent magno in errore ſe, atque in ſumma rerum divinarum ignoratione verſari. His autem moribus, eaque opinione Ethni-

(1) Apud Orig. *lib.* VIII. *num.* XXI. *pag.* 758. „ Deus omnium communis eſt, *inquit*, bonus, nullius rei indigens, nulla invidia. Quid igitur vetat, quin illi, qui ei maxime conſecrantur, feſtis „ publicis interſint?

(2) Origenes *ibid.* Fateor equidem, *inquit*, ex eo quod Deus bonus, nullius rei indiget, nulliuſ„ que invidiæ ſit capax, conſequens eſſet, feſtis publicis intereſſe nos oportere, ſi probaretur nihil illa „ habere erroneum, & a cognoſcentibus Deum fuiſſe inſtituta tamquam cultus in eum, & pietatis ſeque„ lam. Sin vero feſta illa publica, quæ nonniſi nomine feſta ſunt, nulla ratione probari poſſunt divino „ cultui eſſe conſentanea, ſed arguantur figmenta eſſe hominum ..... perſpicuum eſt eos, qui accurate „ colere volunt divinitatem, conſentaneum quid rationi facturos, ſi feſtis publicis non interfuerint „. Eodem fere ſpectant quæ habet Tertullianus *lib. ad Martyres cap.* II. *& lib. de Idololatria cap.* XIII. *& Apolog. cap.* XLII.

(3) Celſus apud *Orig. lib.* VIII. *num.* XVII. *pag.* 754. *ſeq.* „ Poſt hæc, *inquit*, ait Celſus nos ab „ altaribus, ſtatuis, templis erigendis abhorrere ..... Scilicet non vidit apud nos animum cujuſque Ju„ ſti ipſi eſſe altare, ex quo vere, & ſpiritualiter boni odoris ſuffitus emittuntur, preces dico a pura „ conſcientia oblatæ &c. Cæcilius Ethnicus apud Minucium *Dial. inſcript. Octavius pag.* 10 *edit. an.* 1652. „ Cur, *inquit*, nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra? Reſpondet autem Octavius eodem fere, quo Origenes modo, *pag.* 36. „ Putatis, *inquit*, nos occultare quod colimus, ſi „ delubra, & aras non habemus. Quod enim ſimulacrum Deo fingam, cum, ſi recte exiſtimes, ſit Dei „ homo ipſe ſimulacrum? Templum Dei ei extruam, cum totus hic mundus ejus opera fabricatus, „ eum capere non poſſit? Et cum homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majeſtatis in„ cludam? Nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente? In noſtro imo conſecrandus eſt pectore? &c. Arnobius *lib.* VI. *pag.* 189. *edit. an.* 1651. „ In hac, *inquit*, conſueſtis parte crimen nobis maximum „ impietatis affingere, quod neque ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus, non Deorum alicu„ jus ſimulacrum conſtituamus, aut formam, non altaria fabricemus &c. Eodemque ſpectant, quæ diſ„ putat Lactantius *lib.* II. *cap.* II. *Divin. Inſtit.* & in *extremo libro de Ira Dei*.

Ethnicos vivere, qui deos ſuos in templis, & ſimulacris, velut in anguſtiis tenerent. Eſſe in ea ſententia nos, ut homines templa Dei eſſe credamus, hoſque orantes Deo vero ſacrificare, quocumque tandem in loco orent. Eſſe namque ubique locorum Deum. Verum cum ſic illi diſputarent, occultabant, quæ ad Eccleſias, Altaria (1), ſacraque noſtra pertinerent, quod non eſſe in Ethnicorum vulgus efferenda cenſerent, quæ ſi intellecta non eſſent, a temerariis, rerumque imperitis hominibus irriderentur.

III. Etſi autem multis jam rebus majores noſtri Celſi perfidiam perſpectam habebant, tamen mirabantur quid eſſet, quod cum ille unum Deum a Chriſtianis coli audiſſet, dæmones quoſdam magno in honore tradiderit apud nos eſſe, quibus (niſi barbaris nominibus invocatis) curandi poteſtatem (2) adimeremus. Nam ſi a Marcoſiis, aliiſque Gnoſticis tantum hæc magni fieri tradidiſſet, id noſtri æquo animo tuliſſent (3). Ergo ut omnem ab ſe ejus criminis ſuſpicionem amolirentur, auctores Epicureo (nam erat Celſus ex ea factione Philoſophorum) fuerunt, ut ecqui eſſent illi, quos orantes barbaro vocabulo appellaremus, ſi potis erat, oſtenderet. Nam ſic haberet: Chriſtianos Græcos græce, Latinos latine, Syros ſyriace, alias denique gentes ſua lingua, dum orarent, uti conſueſſe. Omnium namque linguarum Dominum exaudire nos, quacumque tandem lingua precemur. Barbara autem nomina, voceſque ab Hæreticis uſurpatas nobis Ethnici ne tribuerent, niſi calumniatorum numero haberi vellent.

§. XVII.

(1) Vide Origenem *lib.* I. *contra Celſum num.* VII. *pag.* 325. & *lib.* III. *num.* 52. *pag.* 482. Sed de hac re erit oppo tunior dicendi locus, ubi de Ædibus ſacris agemus.

(2) Origenes *lib.* VIII. *contra Celſum num.* XXXVII. *pag.* 769. „ Oblitus, *inquit*, (Celſus) loqui
„ ſe de Chriſtianis, qui ſoli Deo per Jeſum ſupplicant, aliorum placita miſcet, & abſurde Chriſtia-
„ nis adſcribit: *Si quis illos*, inquit, *barbaris nominibus appellaverit, poteſtatem habebunt: nul-*
„ *lam vero, ſi Græce, aut Latine*. Oſtendat enim ecquem, ut auxilio nobis ſit, invocantes barbaro
„ nomine appellemus: & fruſtra hæc a Celſo nobis objectari perſuaſum ei ſit, qui conſideraverit,
„ reliquos Chriſtianos in orationibus ne iis quidem vocibus uti, quæ divinis in Scripturis poſitæ Deum
„ proprie deſignant: ſed Græcos græce, Romanos latine, & ſic ſingulas gentes Deum propria lingua
„ vocare; omnium vero linguarum Dominum exaudire quacumque lingua precemur. *Vide & lib.* 6. *num.* XI. *pag.* 662.

(3) Vide quæ de Marcoſiorum conſuetudine diſputat *Maſſuetius Diſſert. I.* in *Irenæum pag.* LIII. *edit. opp. Iren. Pariſ. an.* 1710.

§. XVII.

Calumniæ. I. *De* ficto a Christianis partu Virginis. II. *De* Matre Christi adultera. III. *De* Christianis falsa de Christo scribentibus. IV. *Et* libros sacros vitiantibus. V. Nolentibusque, ut omnes Christianæ religioni nomen darent.

I. MUlta addidit Celsus, quibus imperitis persuaderet, decreta Christianæ religionis plena esse ineptiarum. Nam præter ea, quæ supra numerata sunt, Judæum etiam nescio quem introduxit, qui Christum Servatorem reprehenderet, propterea quod ex Virgine (1) se esse natum docuisset. Eum enim, qui ex adultera ortus sit, dicatque se matre Virgine prognatum esse, non Messiam haberi, sed numerari in impostoribus oportere.

II. Nam Christi matrem, adjunxit, in eo crimine fuisse deprehensam, domoque a marito, qui faber lignarius fuisset, expulsam, coactamque clanculario partu Jesum edere. Hunc, qui in patria sustentare vitam non posset, in Ægyptum se contulisse, ibique suam operam mercede locasse, didicisseque arcanas artes (2), quas Ægyptii magni æstimarent. Sed Patres tantum abesse responderunt, ut Christo auctoritatis quidquam, & gloriæ detrahatur, quod pauper, quod ignobili loco, quod matre fabri lignarii uxore ortus sit, ut inde consequens esse intelligatur, magnum illum virum, maximaque virtute (3) fuisse. Nam etsi pauperem illum omnes esse cognoscerent, universum tamen orbem permovit, ut sibi assentiretur. Impostorum autem fraudes facile detegi solere. Quare cum non modo Christiana religio rejecta non fuerit, sed tot Gentibus, tanta animorum consensione probata sit, magno id scilicet argu-

(1) Vide Origenem *lib.* I. *num.* XXVIII. *pag.* 346. Ubi „ Apud illum, *inquit*, Judæus cum Jesu „ colloquitur, Ipsumque multis de rebus, ut putat, reprehendit. Ac primum quod *finxerit se na-* „ *tum ex virgine*. Deinde vitio dat, quod *ex vico Judaico sit ortus*, *atque ex matre indigna*, „ *& paupercula*, *nendoque victum quæritante*; tum quod *ejus mater a conjuge*, *qui faber erat*, „ *expulsa fuerit*, *adulterii convicta*. Præterea quod *hæc a conjuge extrusa*, *& vagata turpiter*, „ *clanculario partu Iesum ediderit*; quodque *is propter paupertatem in Ægypto mercede operam* „ *suam locans*, *ibi arcanas quasdam artes*, *quas Ægyptii magni æstimant*, *didicerit*, *& postea* „ *in patriam reversus*, *tantum se propter illas artes extulerit*, *ut se etiam Deum appellaret* „. Hæc Celsi Judæus.

(2) Vide mox relatum, ex Origene Celsi locum.

(3) Orig. ibid. *num.* XXIX. *pag.* 348. *& seqq.*

argumento esse, Christum ejus auctorem non iis moribus fuisse, quibus eum Celsus vixisse mentiretur. Nam quod Judæus diceret, ream adulterii Sanctissimam Christi matrem fuisse, quasi cum milite congredi non dubitasset, cui esset Panthera nomen, sciret id esse inane, impudensque (1) mendacium. Persuaderi namque nulli posse, tanta fuisse patientia Josephum, ut quam in gravissimo scelere deprehendisset (2) uxorem, quod lex incredibili severitate puniret, non impune modo, sed etiam secum una vivere pateretur. Etenim quod domo ejectam a marito fuisse Judæus contenderet, ne oratione quidem egere. Esse rem testatam, atque manifestam, Josephum, qui de uxoris fide nescio quid mali suspicatus esset, ejus continuo integritatem, pietatem, vitæque innocentiam cognovisse (3), cumque ea mansisse, quam divinitus intellexerat concepisse Spiritus Sancti virtute Jesum. Deinde non (4) est verisimile, mulierem, quæ fidem marito fefellisset, potuisse tuto in civitate cum suis, cum juris peritis, cum Pharisæis, cum Sacerdotibus inimicis Christi versari. Præterea nemini in cogitationem venire poterat, introduci in ecclesiam Domini Jesum potuisse, ut introductum fuisse constat, a qua ex adulterio, qui geniti essent, arceri consuerant.

(1) Orig. ibid. *n.* xxxii. *pag.* 349. *& seq.* „ Hæ fabulas, *inquit*, commenti sunt, ut insolitum e „ Spiritu Sancto conceptum e medio tollerent. Nam ita præter consuetudinem est hæc Historia, ut „ alio modo eam refellere potuissent, nec velut inviti assentiri, Jesum non esse vulgari more natum „ ex conjugio. Sane consequens erat confingi mendacium, ut insolito ortui Jesu fidem abrogarent. „ Sed invenire mendacium nullo modo verisimile, & quo admisso, nihilominus verum est, Jesum non „ fuisse a Virgine e Josepho conceptum, fraus erat iis, qui figmenta audire, & coarguere sciunt, „ conspicua „. Judæi præterea Christum *Pandeca* filium, & Pantherinam appellant in utroque Talmude, in Midrasch Coheleth, ac in scelesto opere, quod inscribitur: *Generationes Jesu lib. Talmudico Sanhedrin cap.* vii. Sunt hæc manifesta mendacia. Ad *Pantheram* quod attinet, S. Epiphanius Hæresi lxxviii. tradit, hoc fuisse Jacobi Josephi Patris cognomen. Contra Johannes Damascenus *lib.* iv. *de Fide Orthod. cap.* xv. Patrem Mariæ Virginis Johachimum filium Barpantheris fuisse scribit. Horum autem cognominum nulla fit ab Julio Africano mentio, qui tamen diligenter de Jesu Servatoris genere quæsivit. Vide Eusebium *lib.* i. *Hist. Eccl. capp.* vi. *&* viii.

(2) Vide Justinum Martyrem *Dialogo cum Tryphon.* *n.* lxxviii. *pag.* 175. *edit. Mon. S. Mauri.*

(3) Justinus Martyr l. c. „ Ac Josephus quidem, *inquit*, Mariæ Sponsus, cum prius vellet Sponsam „ suam ejicere, arbitratus ex viri consuetudine, id est ex stupro gravidam esse, viso ipsi oblato, „ jussus est uxorem suam non ejicere, asserente Angelo, qui ei apparebat, ex Spiritu Sancto esse, „ quod illa in utero habebat. Metu igitur perculsus, eam non ejecit. *Vide Evang. Matth. c.*1. *v* 18. *& seqq.*

(4) Adjungi præterea aliæ rationes possent, quibus plane demonstretur, Judæos calumnia agere. Nam si partu illegitimo natus Christus fuisset, cur illi ab inimicis exprobatum hoc numquam fuit, quos plerosque experiebatur? Cur Cives, qui Mariam, & Josephum cognorant, eum Mariæ, Josephique filium appellarunt? *Joh.* vi. *v.* 42. & *v.* 45. Quomodo Populus Jerosolymitanus eum appellasset filium Davidis, quem nosset ex adulterio ortum esse? Rursum qua fronte Apostoli, ceterique Christi discipuli ausi fuissent in re, quæ publice esset nota, impudenter mentiri, eumque natum ex Virgine affirmare? Cur Judæi Apostolos non arguissent mendacii? Vide cetera, quæ Origenes de Jesu ex Virgine nato disputat. *L.* a *num.* xxxii. *& seq. pag.* 350. *& seqq.*

III. His accesserat accusatio de rebus plerisque falsis, quæ a discipulis de Christo fuissent litteris commendatæ (1). At Patres mentiri homines dixerunt. Non enim credibile esse Apostolos, si falsa scripsissent, aut apte (2) omnia, interque se cohærentia scribere potuisse, aut voluisse (3) pro mendaciis tot cruciatus perferre, ac denique vita privari, qua, secundum Deum, homines nullam rem sibi in hoc mundo esse existimant cariorem.

IV. Sed cum sui similis Celsus semper esset, facere calumniandi finem non poterat. Quare (4) esse etiam nos vitiatorum sacrorum codicum reos scripsit. Itaque quod hæreticorum quorumdam peccatum erat, hoc in omnes transferre conatus est (5). At enim nulla erat caussa, cur majores nostri in hac propulsanda injuria, tempus esse conterendum putarent. Esse namque apud nos constabat summo in honore & Novi, & Veteris Testamenti libros. Si qui autem erant, qui alterutrum aut contemnerent, aut vitiarent, ii omnes disjuncti ob hæresim, improbosque mores ab nostra societate erant, indignique censebantur non communione Ecclesiæ modo, sed etiam conversatione civili (6).

V. Etsi vero tot erant a Celso excogitatæ calumniæ, ea tamen ceteris manifestior visa est, quæ erat de cura nostrum, ne omnes Christianam religionem amplecterentur (7). Erat enim omnibus exploratum, Christianos præcipuam in id diligentiam contulisse, ut quemadmodum præceptum ab Jesu Servatore fuerat, veram religionem latissime propagarent (8). Itaque non regio, non urbs, non

(1) Vide Lactantiam *lib.* v. *Div. Inst. cap.* II. *pag.* 463. *edit. an.* 1660. qui *a Pseudo-Philosopho quodam*, quem graves imprimis Scriptores Hieroclem fuisse censent (Nourr. *Appar. in Bibl. SS. PP. Tom.* II. *pag.* 520.) *præcipue Petrum & Paulum, ceterosque discipulos fuisse laceratos*, ait, *tamquam fallaciæ Seminatores &c.* Similia refert Eusebius *contra Hierocl. pag.* 512. *Post. Demonstr. Evang. edit. ann.* 1628. Eodem spectant, quæ Celsus opponit apud Origenem *lib.* II. *num.* XXVI. *pag.* 410.

(2) Lactant. ibid. *cap.* III.

(3) Eusebius ibid. *pag.* 513. *& S. August. lib.* XVIII. *de civ. Dei cap.* XLIII. *n.* 2. *pag.* 536. *T.* VII. *opp. edit. Paris. Monac. S. Mauri*.

(4) Apud Origenem *lib.* II. *n.* XXVII. *pag.* 411. „ Primam Evangelii contextum, *inquit Celsus*, „ ter, quater, pluries mutant, pervertuntque, ut habeant, quo res sibi objectas negent.

(5) Origenes ibid. „ Equidem non alios novi, *inquit*, qui Evangelii contextam immutaverint, „ quam Marcionis, Valentini, fortasse & Lucani sectatores. Id vero crimen nostræ doctrinæ imputan- „ dum non est. In culpa sint, qui Evangelia depravare audent.

(6) De hoc argumento disseram, quo loco agam de Hæreticis quemadmodum excipi a majoribus nostris solerent.

(7) Scribit enim hoc modo apud Origenem *lib.* III. *n.* IX. *pag.* 452. „ Si vellent omnes homines „ fieri Christiani, hoc isti jam recusarent.

(8) Origenes ibid. *pag.* 453. „ Hoc verum non esse, *inquit*, inde liquet, quod Christiani, quan- „ tum

non vicus denique erat, in quem, modo potuissent, penetrare non conarentur, ne quis locus esset, qui luce veritatis carere videretur.

§. XVIII.

Calumniæ. I. *De* Christianis, qui antequam de doctrina cognoscent, Christo adhæserant. II. *De* neglecta ab ipsis Vetere Lege. III. *Deque* Apostolis, quasi non crediderint Christo, ab eoque tandem defecerint.

I. ET quia nonnisi mendaciis proficere se posse Celsus arbitrabatur, pleraque alia superioribus adjecit, quæ sin minus sapientes, imperitos saltem, ignarosque nostrarum rerum ad nos exagitandos moverent. Ergo nostros tam fuisse ineptos scripsit, ut ejus, quem primum audierant, oratione capti de rebus incognitis judicarent, ad eamque disciplinam adhærescerent, ad quam non consilio, sed quasi tempestate delati essent (1). Sed est ea a Patribus facile rejecta calumnia (2). Nullum enim Philosophum, nullum virum ingenii, doctrinæque facultate præstantem esse dixerunt, qui ante se nostris sacris adstrictum teneri pateretur, quam de religionis veritate quæsisset. Quodsi plerique e plebe essent, qui Christiani esse voluerint, quin primum potuerint de nostræ religionis decretis cognoscere, ne hos quidem, quasi more cæcorum nobis assensi fuerint, damnari oportere. Esse indicia quædam, quæ ut prudens de religione judicium feratur, inducere etiam possint

„ tum in se est, curent, ut ubique terrarum sua doctrina dispergatur. Quo fit, ut quidam id sibi negotium desumserint, ut non solum urbes, sed etiam vicos, & villas obambularent, quo alios ad pium Dei cultum adducerent .... Evideos igitur est mendacium, si homines omnes vellent esse Christiani, hoc istos recusaturos esse.

(1) *Apud Orig. lib.* 1. *num.* IX. *pag.* 327.

(2) Orig. *ibid. & seqq.* „ Si fieri posset, ut homines, relictis hujus vitæ negotiis in solam Philosophiam incumberent, nulla sane via esset potior. Invenietur enim in Christianismo non minor ...... tum eorum quæ creduntur dispositio, tum propheticorum ænigmatum, evangelicarumque parabolarum .... explanatio. Si autem id ab hominibus impetrari nequit, sive propter hujus vitæ necessitates, sive propter eorum infirmitatem, quæ in caussa sunt, cur perpauci huic studio se dedant, ecquæ ratio majori hominum parti subveniendi excogitari potest ea commodior, quam Jesus gentibus tradidit? Nam sciscitemur ab eorum, qui credunt, multitudine, quique peccatorum sordes, in quibus antea volutabantur, eluerunt, utrum sit illis conducibilius sine examine credidisse, & credendo correxisse mores; an, spreta fide simplici, non ante illam morum emendationem aggredi, quam doctrinæ principia penitus investigaverit? ... Quocirca inter argumenta, quibus constat tam salubrem hominibus doctrinam, Deo auctore, ad eos pervenisse, hoc, si quod aliud, locum habere debet ..... Nam quis ad Philosophiæ studium incitatus, & in aliquam Philosophorum Sectam ..... se conjiciens, aliter ad eam se applicat, quam quia illam credit aliquis præstantiorem? *Lege* & cetera.

vulgus imperitorum. Sanctitatem morum, quæ ab Ethnicis hominibus procul abesset, essetque propria Christianorum, magnum argumentum esse, non impostoris cujusquam opera doctrinam, sed divinitus in hominum vitam manasse. Hortari Celsum se, ut id potius Philosophis e Gentibus vitio daret, qui cæco impetu ad sectam aliquam profitendam ferebantur, quin ante quæ essent ejus præcepta, atque instituta perspicerent.

II. Nam quod ajebat, eos, qui ad Christum accesserant, cum ante fuissent Judæi, Leges patrias (1) neglexisse, nullius momenti esse. Initio Ecclesiæ Apostolos nonnisi divinitatis instinctu inductos fuisse, ut Legis ceremonias non esse colendas putarent. Quæ enim figuræ Messiæ erant, cujusmodi ritus, cerimoniasque Legis fuisse constat, eas coli, observarique postquam impletæ a Christo fuissent, non decere. Ne vero arbitraretur moralia præcepta, quæ Lege continerentur, tantam apud nos vim non habere, quantam vivis Prophetis habuissent. Hæc quæ perpetua sint, longè perfectius a Christianis coli, quam ab Judæis observarentur. Deinde cur nos reos neglecti Veteris Testamenti ageret, quorum doctrina de Christo (2) oraculis Prophetarum admirabilem in modum confirmaretur? Consideraret etiam atque etiam, cognosceretque ab iis, qui ad Prophetas confugerent, ceremoniales quidem Leges omitti merito posse, contemni autem ipsas, ac reliquum Vetus Testamentum non posse.

III. Esse ex eodem genere, quod impudenter de Christo scripserat, illum, dum vixit, ne suis quidem discipulis (3) persuadere potuisse, quæ instituerat. Nam si nemo illi assensus erat, quæ tandem caussa fuit, quæ in eum Sacerdotum (4), Pharisæorumque impetus concitaret? Si autem discipulos ad suam sententiam non pertraxerat, quemadmodum Petrus, paullo post, quam illum, propter timorem (5), negarat, foras exisset, admissumque facinus fletu

(1) Apud Origenem *l.* II. *num.* 1. *pag.* 385.

(2) Origenes ibid. *pag.* 386. & *seqq.*

(3) Apud Origenem *lib.* II. *n.* XXXIX. *pag.* 417. „ Ait Celsi Judæus, Jesum cum neminem potuisset, „ quamdiu vixit, persuadere, ne suos discipulos quidem, his affectum esse suppliciis.

(4) Origenes ibid. „ Unde adversus eum Pontificum, Seniorum, Scribarum, Judæorum exarsit „ invidia, nisi quod sua persuadendi vi, vel in deserta pertraheret turbas, quæ illi adhærebant, non „ solum quia delectabantur sermonibus ejus; ... sed propterea maxime, quod miraculis eos in admira- „ tionem rapiebat, qui sermonibus fidem adjungere recusabant?

(5) Origenes ibid. *pag.* 417. „ Nonne etiam plane mendacium est, *illud ne suos quidem persuasisse* „ *disci-*

fletu expiare curavisset ? Quodsi alium quemquam discipulorum negasse, quæ a Christo dicta erant, Celsus pugnaret, ostenderet, quinam is fuerit. Esse illud perspicuum, omnes qui accepissent a Christo disciplinam, professos eam ita fuisse, non ante solum, sed post etiam, quam ille actus in Crucem est, ut mori maluerint, quam ab ea tuenda (1) deterreri. Nisi vero hæc sint, nulla esse signa persuasionis posse.

§. XIX.

Calumnia de adscitis a Christo solum undecim, vel duodecim viris, qui essent impurissimis moribus.

DUM hæc de Christo Celsus mentiebatur, Apostolos etiam calumnia lacerabat, quasi soli (2) novæ religioni adhæsissent, fuissentque sceleratissimis moribus. Multa ab Origene dicta sunt, quare neutrum accusationis caput concedere fas esset. Virtutes Apostolorum commemoravit: celebravit eos, quod incredibili fortitudine fuerint, quod mundi gloriam contemserint, quodque id egerint, ut quemadmodum a Magistro edocti erant, ad unam illam veram, sempiternamque vitam aspirarent. Celsum cum caussam accusaudi nullam haberet, calumnia Sanctissimis viris nocere non posse. Quod præter nautas, publicanosque duodecim, neminem Christo assensum fuisse diceret, non se tam stolidum, tamque imperitum rerum esse, ut nesciret, multa hominum (3) millia, ejus, dum

„ *discipulos* ? Profecto humani quidpiam præ timore passi tunc fuerunt .... at non exuerunt, quam de „ eo, ut Christo, conceperant opinionem. Nam Petrus vix negaverat, cum sentiens quo se malorum præcipitasset, egressus est foras, & flevit amare; ceteri vero mærore perculsi ex iis, quæ illi „ acciderant (adhuc enim illum admirabantur) postquam illis conspicabilem se postea præbuit, roborati sunt, multoque firmius, quam antea, eum Dei Filium esse crediderunt.

(1) Orig. *lib.* II. *n.* XXXXV. *pag.* 420. *& seq.* Vide & *lib.* II. *num.* XI. *pag.* 396. ubi agit de Juda.

(2) Apud Origenem *lib.* II. *num.* XLVI. *pag.* 421.

(3) Orig. ibid. „ Palam est Judæos ipsos fassuros esse illum, non decem modo, non centum, non „ mille, sed modo quinque, modo quatuor millia, tot denique sibi conciliasse homines, ut illum in „ deserta, sola tantæ Deo per Jesum credentium multitudini continendæ paria, sequerentur, ubi „ non verbis solum, sed & operibus eos docebat „ Paulo ante dixerat de Apostolis. „ Pro nihilo „ quoque habet Jacobum fratrem Johannis, Apostolum, Apostoli fratrem gladio cæsum ab Herode „ fuisse propter Jesu doctrinam: nec pluris facit, quæ propter eamdem Petrus, & reliqui Apostoli „ summa fiducia fecerint, ut cum, postquam flagellis cæsi fuerant, ... multa longe majoris toleran- „ tiæ, & fortitudinis argumenta dederunt, quam illi e Græcis, qui his virtutibus excelluerunt. „ Hinc apud Jesu Auditores hoc illius præceptum ab initio invaluit, spernendam hanc esse vitam, „ quam plerique ardent, adspirandum ad solam illam, quæ Dei vitæ similis est.

dum nobiſcum viveret, opera veritatem agnoviſſe neſciret. Quod ſi Celſus aſſentiri nollet, conſuleret inimicos Chriſti Judæos. Confidere namque ſe fore, ut illi, quod a majoribus accepiſſent, hoc nunquam negare auderent.

§. XX.

Accuſati Chriſtiani. I. *Quaſi ſapientiam ſtultitiæ nomine appellarent*. II. *Solos improbos Regno Dei potituros dicerent*. III. *Inania, neſcio quæ, terriculamenta jactarent*. IV. *Et vana ſpe ducerentur*.

I. INterim cum Ethnici quidam intelligerent eſſe perſuaſum noſtris *ſapientiam hujus mundi apud Deum* (1) *ſtultitiam quamdam eſſe*, ſic conſtituerunt, eſſe, noſtra quidem opinione, utilem homini ſtultitiam, ſapientiam (2) vero non item. Non negarunt Patres ſapientiam hujuſmodi, Auctore Apoſtolo Paulo, apud Deum ſtultitiam quamdam eſſe; ſed eorum impudentiam non eſſe ferendam reſponderunt, qui nobis abſurdam de utilitate ſtultitiæ opinionem probari dicerent. Nam ſapientiam hujus mundi eam intelligi a Paulo, quæ veritati divinarum rerum adverſatur. Quodſi Apoſtolus eos, qui ſapientes inter nos eſſe vellent, ſtatuit ſtultos ante fieri oportere, non fuiſſe illum de eo genere ſtultitiæ loquutum, quod non diſcrepat a dementia, ſed de vera ſapientia, quæ ab improbis ſtultitia (3) vocaretur. Quare fraude rapi ab Ethnicis in pejorem partem, quæ recte a Paulo diſputata eſſent.

II. Nihilo ſecius Ethnicus ille Epicureus, de quo ſæpe dictum eſt, ratus ſibi ex uſu eſſe pervertere, quæ de noſtris decretis prædicari audiebat, hoc (4) etiam queſtus eſt: non conjungi noſtros ſocie-

(1) Paulus 1. *ad Cor.* III. 18.19.

(2) Celſus apud Origenem *lib.* I. *num.* XIII. *pag.* 331. & *lib.* VI. *num.* XII. *pag.* 638.

(3) Origenes locis mox indicatis.

(4) Apud Origenem *lib.* III. *num.* XLIV. *pag.* 475. ubi „ hæc ſunt, *inquit*, eorum inſtituta: „ Nemo eruditus, nemo ſapiens, nemo prudens ad nos accedat. Hæc enim mala apud nos exiſtimantur. Sed ſi quis eſt ignarus, ſi quis inſipiens, ſi quis ſtultus, is fidenter veniat. Quos homines „ cum ſuo Deo dignos eſſe ipſi fateantur, aperte declarant ſe nec velle, nec poſſe ſibi conciliare alios, „ quam ſtolidos, ignobiles, ſtupidos, mancipia, mulierculas, & puerulos „. Vide quæ repetit apud eumdem *num.* LII. *pag.* 482. & *n.* LV. *pag.* 484. Similia objicit Chriſtianis Cæcilius apud Minucium in *Octavio pag.* 8. *edit. an.* 1652. „ De ultima fæce, *inquit*, collectis imperitioribus, & mulieribus „ credulis, ſexus ſui facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis inſtituunt. Conſulendi Ja-

ſtinus

ſocietate religionis probis, piiſque hominibus, ſed ſceleratis, ſed amentibus, ſed pueris, ſed iis denique, qui miſeri atque infelices eſſent. His namque ſolum, noſtra ſententia, ad regnum Dei aditum patere. Erat hæc omnis ex verbis Chriſti Servatoris in malam partem ſumtis conficta calumnia. Etenim quod ipſe dixerat, veniſſe in mundum ſe, ut non juſtos, ſed peccatores vocaret (non quo juſtos ſtatueret excludi ex Eccleſia debere, ſed quo converſione iis non eſſet opus, propterea quod converſi jam eſſent ad pietatem, virtutemque colendam) hoc Celſus contorſit, ita ut a Chriſto rejectos e Regno Cœlorum juſtos fuiſſe contenderet. At enim noſtris, quibus erat compertum, quo ſenſu dicta hæc a Chriſto fuiſſent, conceſſerunt quidem recipi ultro a nobis improbos (1) homines, ſed eo conſilio, ac voluntate, ut eos inſtituamus in recta diſciplina morum. Verum neminem eorum myſteriis noſtris initiari, niſi ſeſe dediderint colendæ virtuti, ac pietati. Quamobrem juſtos tantum recipi a nobis in communionem myſteriorum, injuſtos autem nullo modo. Multa præterea in eamdem ſententiam diſputabant, quæ ne ſim longus, tacitus prætermitto.

III. Præterea quæ Majores noſtri ad depellendam accuſationem collegerant, confirmari etiam Celſi confeſſione potuiſſent. Nam is cum parum ſibi in dicendo conſtaret, proponi neſcio quæ a Chriſtianis ajebat, quæ excogitata eſſent non ad utilitatem, ſed ad metum plebi afferrendum (2). Cur autem ita ſcriberet, hæc fuit

ſtinus Martyr Apol. II. *num.* x. *pag.* 93. Tatianus *orat. contra Græcos num.* xxx. *pag.* 270. Athenagoras *Legat. n.* xi. *pag.* 288. *edit. Monach. S. Mauri*. Lactantius Firmianus *lib.* vi. *cap.* iii. & Juliani Apoſtatæ calumniæ apud S. Cyrillum Alexandrinum *lib.* vii. *contra Julianum pag.* 229.

(1) Origenes *lib.* iii. *num.* xlviii. *&* xlix. *pag.* 479. *& ſeq.* „ Injuſte, *inquit*, Celſus in nos „ in urgit, quaſi diceremus: *nemo eruditus, nemo ſapiens, nemo prudens ad nos accedat*. Immo „ accedat eruditus, ſapiens, prudens eam voluerit. Sed accedat nihilominus ſtolidus, ineruditus, „ pues. Pollicetur enim noſtra doctrina ſe & illos homines ſanaturam, ſi acceſſerint; quippe quæ „ omnes Deo dignos efficit. Falſum & iſtud eſt fatuos, ignobiles, ſtupidos; mancipia, mulierculas, „ puerulos, hos omnes ſolos eſſe, quos divinæ doctrinæ præcones ſibi comparare velint. Hos enim „ noſtra doctrina vocat quidem, ut meliores reddat, ſed vocat & alios ab illis longe diverſos .... Non „ profecto malum eſt eruditum eſſe. Immo via eſt ad virtutem eruditio. Et *num.* li. *pag.* 481. Chriſtiani ante omnia pertentant, quoad licet, animas eorum, qui ipſos audire cupiunt, & privatim eas „ informant, atque cum auditores illi, antequam in cœtum admittantur, ſatis in voluntate honeſte „ vivendi profeciſſe videntur, tunc tandem illos reſpiciunt, diſtinctis ordinibus, altero eorum, qui „ recens inceperunt, nuperque admiſſi ſunt, nec dum Symbolum purificationis acceperunt, altero „ eorum, qui pro viribus ſe comprobarunt, id habere propoſitum, ut nihil velint, niſi quod placeat „ Chriſtianis „. Cetera quæ ſequuntur cernere Lector ipſe per ſe poterit. Conſulat præterea Scriptores, quos laudavi notatione ſuperiore. Atque erit de eruditione primorum Chriſtianorum in ſecundo hujuſce operis libro opportunus diſſerendi copioſe locus.

(2) Origenes *lib.* iii. *n.* xvi. *pag.* 457. „ Quænam autem omnis generis corradamus, quænam con-
„ finga-

ſuit ratio. Principio quod noſtri Chriſtum judicem humanarum actionum futurum: deinde quod ſempiterno cruciatu malos eſſe puniendos dicerent. Nam aliud, quod ad eam rem pertineret, decretum religionis Chriſtianæ, noſtris opponere nullum poterat. Quamobrem ſic egit, ut ſecum ipſe pugnans ſtatuerit non bonos, ſed improbos a nobis ex Eccleſia, exque ſempiterna felicitate beatorum excludi oportere.

IV. Sed quoniam in hunc locum perventum eſt, non alienum eſſe videtur de illorum improbitate dicere, qui Chriſtianos vana ſpe duci mentirentur (1), propterea quod opes, dignitates, mortem contemnerent, ſeque jam corpore ſolutos beatos in gloria ſempiterna futuros ſperarent. Erant Ethnici male in noſtros homines animati. Ergo ne illa quidem, quæ ſui probaſſent, ferenda, ſi recepta a Chriſtianis (2) eſſent, arbitrabantur. Quamobrem etſi multa a Philoſophis conſtituta fuerant de perpetua felicitate bonorum, quæ a noſtra ſententia non admodum diſcreparent, tamen ut primum ipſa vulgari a noſtris cæpit, inanis viſa hoſtibus eſt, qui omnia non veritate, ſed malevolentia metirentur. Itaque Patres non eſſe ſpes eorum fallaces dixerunt, qui ejuſmodi doctrinam ab eo magiſtro accepiſſent, cujus multo ante tempore prædictum a Prophetis (3) adventum fuiſſe conſtaret. Rurſum admiranda prodigia (4), quæ ipſe patraverat, argumento eſſe, neque errare illum,

„ fingamus terriculamenta, quæ nobis nullo argumento Celſus objicit, oſtendat qui voluerit. Niſi „ forte quod docemus, multiſque argumentis ex ſcriptura, & ex ratione ductis comprobamus, Deum „ eſſe Judicem, eumque ab hominibus poſtulare rationem omnium quæ fecerunt, id Celſus terriculorum loco habeat ... Quibuſdam igitur confictis terriculis, ſi iſtam de pœnis ſententiam demſeris, „ homines attrahimus &c.

(1) Celſus apud Origenem *lib.* III. *n.* LXXIX. *pag.* 499. Lucianus in *Peregrino n.* XIII. *Tom.* III. *operum edit. Geſneri an.* 1743. *pag.* 336. „ πεπείκασι γὰρ αὑτοὺς, inquit, οἱ κακοδαίμονες, τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι, καὶ βιώσεσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον. παρ' ὃ καὶ καταφρονοῦσι τοῦ θανάτου. „ Perſuaſerunt enim ſibi miſeri in univerſum quidem ſe futuros eſſe immortales, & perpe„ tuo tempore victuros; quare etiam mortem vulgo contemnunt „. Vide celebrem Epiſtolam Plinii Junioris ad Trajanum, quam ſupra ſæpe laudavi. Cæcilius apud Minucium Felicem *pag.* 70. *in Octav. edit. an.* 1672. „ Proh! Mira ſtultitia, *inquit*, & incredibilis audacia! Spernunt tormenta præſen„ tia dum incerta metuunt, & futura „. Rurſum in Actis *SS. MM. Montani, & Sociorum* apud Ruinartium *p.* 249. *edit. an.* 1689. hæc habentur „ Ibi eum (*Martyrem Flavianum, qui an.* 259. *paſſus* „ *eſt*) diſcipuli ejus (*qui Ethnici erant*) ſuadebant cum lacrimis etiam, ut præſumtione depoſita „ ſacrificaret interdum, poſtea quidquid vellet facturus, nec incertam illam, & ſecundam mortem „ pluſquam præſentem vereretur.

(2) Vide Origenem *lib.* III. *contra Celſum n.* LXXX. *pag.* 500. Juſtinum Mart. *Apol.* I. *num.* XX. *pag.* 55. *edit. Mon. S. Mauri*. Et Tertull. *Apol. c.* XLVII.

(3) Origenes ibid. *num.* LXXXI. *pag.* 501.

(4) Videtor Arnobius *lib.* II. *pag.* 44. *& ſeqq. edition. an.* 1651. *& pag.* 49., ubi „ Ac nos quidem, *inquit*, In illo ſecuti hæc ſumus: Opera illa magnifica potentiſſimaſque virtutes, quas variis „ edidit, exhibuitque miraculis, quibus quivis poſſet ad neceſſitatem credulitatis adduci, & judicare „ fideliter, non eſſe quæ fierent hominis, ſed divinæ alicujus, atque incognitæ poteſtatis.

illum, neque illicere quemquam in fraudem potuisse. Quod si nos Ethnici lacerare nihilominus (1) pergerent, nollent unum se assequi sævitia posse, ut occidamur, alterum non posse, ut vinci nos morte arbitremur.

§. XXI.

Accusati Christiani. I. Quasi plagiarii fuerint. II. Maleque de salute divitum senserint.

I. Venerant item Christiani in plagii suspicionem. Nam fuerunt, qui illis exprobrarent, esse eos multa a Platone (2), aliisque Philosophis mutuatos. Nihil negotii nostris erat illatam ab hostibus injuriam propulsare; Nam etsi a Platone tradita nonnulla fuerant, quæ similia Christianorum decretis essent, tamen Majores nostri non Platonem (3) nos, sed Prophetas, qui Platone antiquiores, multoque accuratius in rebus divinis explicandis versati fuissent, auctores sequi responderunt. Qua quidem & accusandi, & respondendi ratione compertum est, imitatores Ethnicorum hujusce ætatis Hæreticos (4) quosdam esse, qui Apostolos pleraque a Platone accepisse defendunt, esseque eorum jam inde a primis Ecclesiæ seculis Antiquorum Christianorum studio depulsam calumniam.

II. Non minore in errato erant, qui nostros criminabantur, quasi divites prohiberi (5) cæli aditu arbitraremur. Nam quod Christus dixerat, perdifficile esse, ut qui divitiis abundarent sempiterna felicitate potirentur, propterea quod earum amore capi plerique solerent, neque sic iis uterentur, ut aliis etiam subsi-

(1) In Actis S. Montani l. c. Flavianus Martyr respondet „ Vivere nos etiam, cum occidimur; nec „ vinci morte, sed vincere.

(2) Celsus apud Origenem *lib.* VI. *num.* XIX. *pag.* 644. „ Post hæc, Celsus ait, Christianos quos„ dam male intelligentes dicta Platonica efferre supercælestem Deum, transcendentesque Judæorum „ Cælum &c. Vide eumdem Origenem *l.* VI. *n.* LXII. *pag.* 663. *& seqq.*

(3) Origenes *l.* VI. *n.* XIX. *pag.* 644. „ Propositum est, *inquit*, nos defendere, & ostendere Judæo„ rum Prophetas, cum vetustiores Platone sint, nihil ab illo potuisse mutuari. Non ergo hanc ab „ illo sententiam accepimus ..... Hæc a Prophetis, qui melius eadem dixerant, didicimus. Jesu, „ ejusque discipulis quinam fuerit spiritus, qui in Prophetis loquebatur, quique non alius erat a „ Christi spiritu, consilium interpretantibus &c.

(4) Ut Socinianos, & plerosque Harminianorum. Vide Baltusium S. T. Theologum lib. de *SS. PP.* a Platonismo vindicatis Gallice edito Paris. an. 1711. & Johannem Lamium *In opere de SS. PP. in eo quod attinet ad Trinit. Myst. sentent. edit. Florent. an.* 1752.

(5) Celsus apud Origenem *l.* VII. *n.* XVIII. *& seqq. pag.* 706.

dio esse possent: hoc Celsus ita intellexit, quasi locupletes qui essent, e regno Beatorum excluderentur. Quare satis Origeni (1) fuit explicare, quemadmodum esset intelligenda Christi sententia, ut conatus Epicurei reprimeret.

§. XXII.

I. Superstitio, & Magia *Christianis objecta*. II. *Unde orta hæc accusatio*. III. *Et qua ratione depulsa fuerit*.

I. SED inter cetera crimina, quæ Christianis per calumniam objiciebantur, illud etiam gravissimum erat, quod ad magiæ studium pertinebat. Manarat enim in vulgus rumor, qui Christianos præstigiis delectari ferret (2). Auctores ejus accusationis Judæi fuerant (3).

II. Cum enim malos dæmones e corporibus obsessorum expelli, totque admirabilia opera fieri a Christo viderent, ne Messiam, quem expectarent, ipsum esse confiterentur, non potestate divina, sed arte magica hæc ab eo fuisse (4) patrata dictitabant. Ethnici, qui ab Judæis hæc audissent, cum Apostolos, multosque alios, qui eamdem disciplinam, religionemque profiterentur, virtute nominis Christi similia præstare cernerent, & magistrum, & discipulos, & sectatores omnes in ejusdem criminis suspicionem vocarunt.

III. Fuerant jam Hebræorum Sacerdotes, Principesque a Christo ita reprehensi, ut non solum respondere nullomodo, sed ne mutire quidem possent (5). Reliquum erat, ut Patres ab ea opinione Ethnicos revocarent. Hoc igitur illi sedulo agebant, in eamque spem veniebant fore, ut cognita veritate accusatores pertinacia desiste-

(1) Origenes *lib.* VII. *contra Celsum n.* XVIII. *& seqq. pag.* 707. *& seqq.*

(2) Celsus apud Origenem *l.* I. *n.* VI. *pag.* 324. *& num.* XXVI. *pag.* 344. *num.* XXXVIII. *pag.* 356. *n.* LXVIII. *pag.* 382. & pluribus aliis in locis. Eodemque sensu intelligenda sunt Suetonii *in Nerone cap.* XVI. verba, quo loco Christianos genus hominum superstitionis novæ, ac maleficæ vocat. Qua de re consuli poterit Gaspar Barthius *in Adversariis lib.* X. *cap.* VI. Consule quæ diximus supra *cap.* II. §. 2.

(3) Vide *Matth. Evang. cap.* XII. *v.* 24. *& seq. & Lucæ cap.* XI. *v.* 15.

(4) Origenes *l.* III. *n.* I. *pag.* 448. *contra Celsum* „ Judæorum plerique tantum autem abest, „ *inquit*, ut in Jesum credant, ut qui illo tempore fuerunt, insidias illi moliti fuerint; hodierni ve„ ro approbantes quæ contra illum olim alii ausi fuerunt, criminentur, eum quibusdam magicis arti„ bus confinxisse se esse, quem Judæi Christum vocant.

(5) Vide Matthæum & Lucam locis modo indicatis. Consule etiam *Act. SS.* Bonosi, & Socior. apud Ruinart. *pag.* 665. *edit. an.* 1689.

desisterent. Quare questi principio manifestam calumniam sunt. Non enim incantatione, & maleficio (1), sed invocato Jesu Servatoris nomine, recitatisque integra fide Evangeliis ab Christianis & diaboli conatus reprimi dixerunt, & admiranda prodigia fieri solere. Magnam esse Christi potestatem, qui non solum ipse per se, sed per suos etiam, posteaquam in cælum conscendit, tot opera perficeret, quæ vires naturæ superarent. Ne Ethnici calumniari pergerent. Ipsi si vellent, accirent aliquem nostrum, eique hominem, quem a dæmone vexatum esse cognossent, liberare juberent. Scire certo se fore, ut humani generis hostis faceret (2) vexandi finem. Quodsi inimici nostri Jesum, cujus nomen in exorcismis appellarent, magum fuisse contenderent, reminiscerentur eorum, quibus ipse Judæos similia exprobrantes mendacii, falsitatisque (3) convicisset. Quemadmodum autem præstigiator qui fuisset, is (4) docuisset, ut sui unum Deum venerarentur, ac nihil aut injuste, aut turpiter, aut improbe agerent, cogitarentque eum omnium malorum, bonarumque actionum Judicem futurum? Rursum persuaderi nemini prudenti posse, Apostolos, qui a Christo instituti fuerant, pro mago se in extrema discrimina conjicere voluisse (5), quem intelligerent, eadem *arte miracula* edi-

 disse,

(1) Origenes *l. 1. n.* vi. *pag.* 324. *& seq.* „ Postea Celsus nescio qua re motus ait, quam Christiani habere videntur potestatem, eam ipsos habere ex quorumdam dæmonum nominibus, & incantationibus. Opinor subindicat ea, quæ faciunt apud nos ii, qui dæmones incantant, & expellunt. In quo manifeste nos calumniatur. Neque enim hujusmodi incantationibus potestatem habere videntur, sed pronunciando nomine Jesu, recitandisque Evangeliis. Hæc enim sæpe ex hominibus dæmones extruserunt; idque maxime, cum ii, qui recitant, puro animo recitant, & integra fide. Quinimo tanta nominis Jesu contra dæmones vis est, & potentia, ut eos aliquando vincat, etiam ab improbis pronuntiatum. Videntor Just. *Martyr. Dialogo cum Tryph. n.* xxx. *pag.* 128. *& num.* lxxvi. *pag.* 173. *& n.* xii. *pag.* 112. *& Apol.* sI. *num.* 7. *pag.* 93. *edit. Monaco. S. Mauri*. Tertull. Apol. *c.* xxi. & xxiii. & xxxiii. Lactantius *l.* sI. *c.* xvi. *Instit. Divin.*

(2) Tertullianus *Apolog. c.* xxiii. *pag.* 226. *edit. Havere.* „ Sed hactenus verba, Jam hinc demonstratio rei ipsius, qua ostendamus unam esse utriusque nominis qualitatem. Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Æque perducatur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur ... Ista ipsa virgo cælestis pluviarum pollicitatrix, iste ipse Æsculapius... nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? Simplicitas veritatis in medio est: virtus illi sua assistit. Nihil suspicari licebit. Magia, aut aliqua ejusmodi fallacia fieri diceretis. Si oculi vestri, & aures permiserunt vobis. Quid autem inniti potest adversus id, quod ostenditur nuda sinceritate? Si altera parte vere Dei sunt, cur sese dæmonia mentiuntur? An ut nobis obsequantur? Jam vero subjecta est Christianis divinitas vestra. Nec utique divinitas deputanda est, quæ subjecta est homini, & si quid ad dedecus fuit, æmulis suis. Vide Minuc. *Octav. pag.* 32. *edit. an.* 1652.

(3) Orig. *l.* sI. *num.* ix. *pag.* 394.

(4) Vide Orig. *l.* 1. *contra Celsum n.* xxvi. *& seq. pag.* 344. *& seqq. & n.* xxxviii. *pag.* 356.

(5) Orig. ibid. *n.* xxxi. *pag.* 348. *& seq. & num.* xxxviii. *pag.* 356. a ubi „ Dicere, *inquit*, „ nulla

diſſe, qua ipſi edere ſolerent. Ac ſi hos miracula patraſſe inficiarentur, explicarent, ſi poterant, qua ratione tam late Chriſtianam Religionem propagaviſſent. Abſurdum autem eſſe dicere eos dialectica arte, humanaque ſapientia, cujus eſſent omnino ignari, contra omnium perſuaſionem, introducere, promulgareque potuiſſe religionem, quæ nova eſſe videretur. Sin autem facta ab iis prodigia fuiſſe confiterentur, qui tandem ſimile veri eſſe putarent, magos (1) auctores fuiſſe ſuis, non ut avaritia, omnique vitio abſtinerent ſolum, virtuti ſtuderent, artemque magicam averſarentur, qua una ipſi valerent, ſed etiam ſummum in cruciatum venire, mortemque perferre voluiſſe, quam fidem fallere? Itaque lædere Ethnici accuſando, cognita veritate, deſinerent (2). Quodſi nollent, propterea quod vererentur, ne cultus idolorum funditus periret, tamen hoc Chriſtianos contentos fore, quod ſibi conſcii eſſent, quam longe ab omni genere criminum (3) ſuperſtitioniſque diſtarent.

§. XXIII.

I. *De* Epulis Thyeſteis. II. *Deque* inceſtuoſo concubitu *conficta ab Judæis, Ethniciſque calumnia*. III. *Unde natæ ſint*. IV. *Et quam facile propulſata*.

I. INvaluerat etiam apud Gentes fama quædam, quæ pluribus (4) perſuaſerat, Chriſtianos in conventu flagitia perpetrare, quæ ne memorare quidem liceret. Eos enim congregari ſtatis diebus

„ nulla eos feciſſe miracula, ſed crediddiſſe dumtaxat & nulla adjutos perſuadendi peritia, qualem apud „ Græcos dialectica docet, novam doctrinam, quocumque iturl erant, promulgare aggreſſos eſſe, „ perabſurdum eſt. Qua enim fiducia hanc prædicarent doctrinam, & novirent omnia? Si autem mi„ racula patrabant, an ſimile veri eſt, magos ſe tot in pericula conjeciſſe, ut doctrinam evulgarent, „ quæ magicas artes vetat?

(1) Vide S. Auguſtinum *lib.* XVIII. *de Civitate Dei cap.* LIII. *num.* 2. *pag.* 536. *T.* VII. *opp. edit. Pariſ. Mon. S. Mauri*; quo loco Ethnicos exagitat, qui ajebant Petrum maleficiis feciſſe, ut Chriſtus coleretur. „ O ingenia litterata, *inquit*, digna credere iſta de Chriſto, quæ credere non vultis „ in Chriſtum, quod ejus diſcipulus Petrus ab eo magicas artes non didicerit; ſed ipſo innocente, „ tamen ejus maleficus fuerit, nomenque illius, quam ſuum coli maluerit, magicis artibus ſuis, ma„ gnis laboribus, & periculis ſuis, poſtremo etiam effuſione ſanguinis ſui! &c.

(2) *Arnob. lib.* I. adverſus Gentes *pag.* 32. *edit. an.* 1651.

(3) Juſtinus Martyr *Apolog.* II. *n.* XII. *pag.* 96. „ Quæ quidem *crimina*, quia a nobis aliena ſunt, „ parum laboramus, cum ingenitum, ac non enarrabilem Deum cognitionum, & actionum teſtem ha„ beamus.

(4) Juſtinus Martyr Dialogo cum Tryphone *num.* X. *pag.* 121. Sic Judæum alloquitur „ Utrum hanc „ de

diebus, infantemque recens natum farre contegere solere, quo tyrones incauti, qui initiandi mysteriis essent, deciperentur. Eum infantem occultis vulneribus confossum interire. Lambi deinde ejus sanguinem. Post discerpi corpus certatim in partes, vorarique ab iis, qui convenissent. Hæc sacra Christianorum esse.

II. Everti deinceps lucernas. Ubi extincta lumina sint, quemque cum muliere, quam primum arripuerit, sive ea soror, sive mater, sive quæcumque tandem alia sit, incestu nefario commisceri. Hos concubitus ab Oedipo, qui genere eodem flagitiorum delectatus fuisset, Oedipodæos vocari.

III. Hæ primum calumniæ ortæ sunt ab Judæis, quemadmodum est ab Origene traditum (1). Caussæ autem earum, hæ fortasse fuerunt: primum quod Sectæ quædam Hæreticorum essent, quæ in eorum criminum suspicionem (2) venerant. Nam quod paucorum erat, hoc Hebræi, atque Ethnici in omnes Christianos invidia, atque odio transtulerunt. Deinde quod in Synaxi Nostri conjunctione religionis se mutuo oscularentur, seseque (3) fratres,

„ de nobis opinionem humanis nos vesci carnibus, & post epulum extinctis lucernis, in flagitiis nefandis volutari „? Similia repetit *Apolog.* I. *n.* XXI. *pag.* 59. & *Apolog.* II. *n.* XII. *pag.* 96. Athenagoras *Legat num.* III. *pag.* 282. *edit. Parif. Mon. S. Mauri opp. S. Just. Mart.* Τρία ἐπιφημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα, θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδείους μίξεις. „ *Tria nobis affingunt crimina*, Atheismum, Thyesteas Cœnas, Oedipodæos concubitus „. Similia referuntur a Theophilo Antiocheno *lib.* III. *ad Autolicum nu.* IV. *& seqq. pag.* 382. *edit. opp. Just. Martyr. an.* 1742. *Mon. S. Mauri*. Ab Auctore *Actor. SS. MM. Lugdunens.* apud *Eusebium lib.* V. *H. E. cap.* I. *& seqq. edit. Valef.* a Celso apud Origenem *lib.* I. *num.* I. & ab Origene ipso de Judæis loquente *lib.* VI. *n.* XXVII. *pag.* 651. Quinetiam Cæcilius Ethnicus apud Minucium Felicem *Octav. pag.* 9. *edit. an.* 1652. „ Jam „ de initiandis tyrunculis, *inquit*, fabula tam detestanda, quam nota est. Infans farre contectus, „ ut decipiat incautos, apponitur ei, qui sacris imbuatur. Is infans a tyrunculo farris superficie, „ quasi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisque vulneribus occiditur! Hujus, proh nefas! „ sitienter sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispertiunt, hac fœderantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur, hæc sacra sacrilegiis omnibus tetriora. Et de „ convivio notum est. Passim omnes loquuntur .... Ad crapulas solemni die coeunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines, & omnis ætatis. Illic post multas epulas, ubi „ convivium caluit, & incestæ libidinis fervor ebrietate exarsit, canis, qui candelabro nexus est, „ jactu offulæ, ultra spatium lineæ, qua vinctus est, ad impetum, & saltum provocatur, sic everso „ & extincto conscio lumine, impudentibus tenebris, nexus infandæ cupiditatis involvunt &c. Eodem spectant quæ de *infanticidio*, & *pabulo inde*, *& post convivium incesto*, *deque cane* luminis *eversore* Gentiles opponebant apud Tertullianum *Apol. cap.* VII.

(1) *Lib.* VI. *contra Celsum num.* XXVII. *pag.* 651. ubi „ Judæi, *inquit*, cum primum Christiana „ doceretur religio, calumnias adversus illam spargebant, mactari a Christianis puerum, ejus carnibus vesci illos, & opera tenebrarum peragere volentes, extinctis luminibus cum obvia quaque „ singulos commisceri.

(2) Id quidem nescire se, ait Justinus *Apolog. num.* XXVI. *pag.* 59. Ceterum fuerunt, qui Gnosticis similia adscriberent, & aliquanto etiam turpiora.

(3) Athenagoras *in legat. num.* XXXI. huc respicit, propterea quod nostros ab hoc genere calumniæ vindicaturus, qua ratione osculum daretur ac repeteretur, demonstrat. Ejus testimonium paullo post afferetur.

tres, atque forores dicerent, cœnafque fuas ex amore, & caritate agapas vocarent; quæ res inimicis anfam calumniandi præbere poterant. Poftremo quod intelligerent dici hoc a noftris folere, fumere fanguinem fe, carnefque pueri Jefu Mariæ filii manducare, cum Euchariftico pane vefcerentur, vinumque biberent item Euchariflicum (1). Inde enim infantis vulnerum, interitus, lanienæ, haufti fanguinis, voratarumque carnium fabulæ, nifi mea me fallit opinio, profectæ funt.

IV. Cum Majores noftri hoftium voluntatem perfpectam haberent (cognorant enim eo confilio tam gravia fcelera nobis opponi, quo ratione nos odiffe (2) viderentur, magiftratuumque iram in pios, probofque homines, cujufmodi erant Chriftiani, concitarent) cenfuerunt effe accufatoribus refpondendum, ut fe apud Imperatores, eofque omnes, qui ignari noftrarum rerum effent, purgarent. Itaque incidere eos in eam reprehenfionem negarunt poffe, quibus fcelus erat non opere modo, fed etiam cogitatione (3) peccare. Nullum namque effe hominem tam amentem dixerunt, qui eos tanti flagitii reos agere non vereretur, qui effe ubique præfentem Deum, & hunc omnia, quæ faciant, cogitentque perfpicere; qui aliam præftantiorem, fi bene effent morati, vitam fe effe ducturos; qui fi impudici, fi homicidæ, fi mali denique fuiffent (4) æternis fe fuppliciis effe cruciandos arbitrarentur. Nos, quibus certa hæc funt, quique ut incorrupta noftra, noftrumque omnium corpora maneant curamus, venire in eam fufpicionem (5) nequire. Inquirerent Ethnici in noftrorum vitam, fi vellent. Intellecturos, effe apud nos homines qui (6) capti amore caftitatis coe-

(1) Id vero ne hæretici quidem negant, modo bona fide velint agere. Itaque Sigebertus Havercampius *not. 1. in cap. VII. Apol. Tertull.* „ Forfan, *inquit*, immanis hæc calumnia originem aufpicata eft a fractione, & divifione panis Ecclefiaftici, ubi eum Chriftiani manducare fe Jefum divinum ex Maria puerum dicerent, abominabile hoc Gentiles architectati funt.

(2) Athenagoras *in legat. num. XXXI. pag. 308.* Inter opera S. Juftini Mart. *edit. Monac. S. Mauri*: „ Adhuc autem, *inquit*, & epulas, & concubitus nefandos nobis affingunt, tum ut nos eum ratione odiffe fibi videantur, tum quod futurum exiftiment, ut vel metu ab inftituti conftantia nos abducant, vel acerbos nobis, & inexorabiles, criminum magnitudine, principes præbeant.

(3) Athenagoras *ibid. pag. 309.*

(4) Athenagoras *ibidem*.

(5) Athenagoras *num. XXXII. pag. 310.* Et *Tertull. cap. IX. Apol.* „ Nos, *inquit*, ab ifto eventu diligentiffima, & fideliffima caftitas fepfit: Quantumque ab ftupris & ab omni poft matrimonium exceffu, tantum & ab incefti cafu tuti fumus.

(6) *Tertull. ibid.* „ Quidam multo fecuriores totam vim hujus erroris, virgine continentia, depellunt, fenes pueri. Minucius quoque in Octavio *pag. 307. edit. an. 1672.* „ Sic incefti fabulam nectitis (*inquit*, *o Ethnici*) etiam cum confcientiam non habetis. At nos pudorem non facie, fed „ ment

cœlibes consenuissent. Nam quid de iis dicerent, qui sibi uxorem in matrimonio conjunxissent? Nostros enim constabat ea una, quam duxerant, contentos esse, non cupiditate quidem, sed procreandæ sobolis caussa. Quid sibi deinde Ethnici vellent? Suis ne (1), qui ne a masculis quidem sibi temperarent, parcerent; Christianos autem, quibus lata lex erat, ne mulierem *ad concupiscendum eam* aut tangerent (2), aut aspicerent, turpitudinis condemnarent? Quod si osculum in Synaxi nostri & dabant, & repetebant, summa id fieri cautione solere. Esse enim nobis certissimum, hominem æterna vita privari oportere, qui osculum etiam cogitatione paullulum inquinaverit. Nam quod inimici nostri addebant, homicidas nos esse, carnesque infantium degustare, indignum fuisse quod refelleretur. Quemadmodum enim ii vulneribus infantem confoderent, (3) qui neque spectaculorum, in quibus gladiatores pugnarent, neque justæ cædis aspectum sustinere possent? Ii ne tam nefario sacramento sese obstringerent, qui & homicidii illos accusarent, qui infantes exponerent, & mulieres parricidii reas (4) facerent, quæ medicamentis ad abortum uterentur? Quæ cum ita sint, qui tandem humanis carnibus vesceremur, si scelus nobis esset quemquam occidere? Manducare vero humanas carnes non posse eum, qui ante hominem non (5) interfecerit. Eo autem magis hoc genus suspicionis a nostris abesse oportere, quo credamus corporum omnium resurrectionem (6) futuram. Esse nobis servos, quos latere minime possemus. Horum nullum usquam fuisse, qui tam nefaria

„ meute præstamus; unius matrimonii vinculo libenter inhæremus. Cupiditatem procreandi aut unam „ scimus, aut nullam..... Casto sermone, corpore castiore, plerique inviolati corporis virgini- „ tate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur. Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnul- „ lis rubori sit etiam pudica conjunctio „. Ante hos eadem scripserant Justinus Martyr *Apolog.* 1. *num.* xv. *pag.* 52. Athenagoras *legat.* n. xxxii. *pag.* 310. ubi „ Multos, *inquit*, etiam apud nos reperire „ est, tam viros, quam mulieres, qui cœlibes consenescant, spe arctius se cum Deo conjunctum „ iri. Quod si in virginitate, & eunuchi statu manere magis Deo conjungit, ab eo autem vel sola „ cogitatio, & cupiditas abducit; quorum cogitationes fugimus, eorum actiones multo magis aver- „ samur.

(1) Consule Justinum Martyrem *Apol.* 1. *num.* xxvii. *pag.* 65. Athenagoram *Legat.* *num.* xxxiv. *pag.* 311. Theophilum Antiochenum *lib.* III. *ad Autolicum num.* vi. *pag.* 383. *edit. opp. S. Just. Mart. Paris. Mon. S. Mauri an.* 1742. Tertullianum *Apolog. cap.* ix. Minucium *in Octav. pag.* 303. *& seqq. edit. an.* 1672. &c.

(2) Consule Justinum *Apolog.* 1. *num.* xv. *pag.* 52.

(3) Athenagoras *num.* xxxv. *pag.* 311. *& seq.*

(4) Athenagoras *ibid.* Vide & ceteros Patres, quos supra laudavi.

(5) Athenagoras *loc. cit. num.* xxxv. *pag.* 311. Minucius Felix *in Octav. pag.* 299. *edit. an.* 1672. Tertullian. *Apolog. cap.* ix.

(6) *Athenag. ibid. num.* xxxvi. *pag.* 312.

nefaria scelera a nobis fieri aut videret, aut fingeret (1). Id nisi satis esse ad repellendam calumniam Ethnici putarent, revocarent in mentem, quæ tradita monumentis Litterarum erant; tumque eos non nostrum, qui innocentes essemus, sed suorum numinum (2) puderet. Hæc, atque ejusdem generis complura (3) magna cum eloquentiæ vi Patres pronunciaverunt; quibus rebus commoti Ethnici temporum progressione a lacerandis nostris destiterunt.

§. XXIV.

Accusati ab Ethnicis Christiani. I. *Quasi* novarum rerum studiosi. II. Et auctores dissensionum. III. Factionum. IV. Seditionumque essent.

I. SEd quo tempore hac tanta invidia nostri premebantur, alia quoque genera accusationum hostes instruebant. Itaque dedisse Christianos se novæ religionis cultui (4) mentiebantur, non quo Christus magna virtute excelluisset, sed quo novarum rerum desiderio tenerentur. Scilicet concoquere adversarii nostri non poterant, tanto in honore apud nos Jesum esse, propagarique adeo decreta, instituta, legesque, quæ sancitæ ab eo fuissent, contemto Hercule, Mercurio, Æsculapio (5), Orpheo, quorum

(1) *Athenag. ibid. num.* XXXV. *pag.* 311. *& seq.* Negari tamen non potest, quin servi & cruciati ab Ethnicis plerumque fuerint, ut auctor est *Just. Mart. Apol.* II. *num.* XII. *pag.* 96. *edit. an.* 1740. & nostros aliquando prodiderint, non quo illos aut Thyestearum cœnarum, aut Oedipodæi concubitus reus esse censerent, sed quo supplicia vitarent. Idque jam questi sunt Martyres Lugdunenses, apud Eusebium *lib.* V. *H. E. cap.* 1. *pag.* 201 *edit. Cantabrigiensis*. Sed eorum quidam, qui nostros ejusmodi criminum accusaverant, resipuerunt, seque jam per summum scelus Christianis immerentibus calumniam intulisse confessi sunt. Itaque Biblias, quæ ante lapsa fuerat, ubi agnovit scelus, quod perpetrarat „ Qui fieri posset, *inquit*, ut infantes comederent, quibus ne sanguinem quidem animantium gu„ stare licet? Ab hinc Christiana se esse confessa in numerum Martyrum relata est. *Ibid. pag.* 203. Ita divino consilio factum est, ut revocarent, quæ dixerant calumniatores, ne quis revera ea scelera ab Christianis perpetrari existimaret, ab eorumque religione amplectenda deterreretur.

(2) Vide Athenag. *Legat. num.* XXXII. *pag.* 309. *Tertull. Apolog. cap.* IX. & Minucium *in Octav. pag.* 290. *& seqq. edit. an.* 1672.

(3) Vide Nourrium *apparat. in Biblioth. SS.PP. Tom.* II. *edit. an.* 1715. *in Octav.* Minucii *cap.* VIII. *& seqq. pag.* 102. *& seqq.* qui copiosissime de hoc calumniarum genere disputat.

(4) Consule Theophilum *lib.* III. *ad Autolic. num.* IV. *pag.* 383. *edit. opp. S. Just. Mart. an.* 1742. ubi „ Addunt etiam, *ait*, recens prodiisse nostram doctrinam, nec quidquam a nobis afferri posse ad veri„ tatem illius demonstrandam, stultitiamque esse institutum nostrum „. Idem hanc accusationem repellit *num.* XVI. *pag.* 390. Vide & Celsi verba apud Origenem *lib.* VIII. *num.* LIII. *pag.* 732. & quæ attuli §. VII. *cap. superior.* & Arnobium *lib.* I. *pag.* 14. & Helmenorstii *not. in eumdem pag.* 15. *edit. an.* 1651.

(5) Vide Celsum *loc. cit. pag.* 732. Hoc item queritur Lucianus in dialogo, qui inscribitur *Peregrinus, num.* 13. *Tom.* III. *opp. edit. an.* 1743.

rum res gestas Ethnici admirarentur. Christiani, qui moveri se ad Christum colendum scirent non studio novitatis, sed innumeris indiciis, quibus eum divina virtute præstare (1) cognorant, multis eos, qui sic accusarent, morari noluerunt. Nam Orpheum, Herculem, Æsculapium, omnes denique, quos Gentes venerarentur, homines fuisse & deditos superstitioni, & impurissimis moribus sciebant; quare non esse dignos, qui comparari cum Christo debeant, aut possint, cujus aliis in locis quanta esset & sanctitas, & potestas demonstratum fuisset.

II. Neque novarum rerum studiosos esse Christianos, sed etiam inter se eos dissidere (2) Ethnici pugnabant. Quamobrem accusabamur, quasi quietis inimici essemus, propterea quod ne inter nos quidem ulla esse posset in religione consensio. Verum etsi Patres confitebantur fuisse aliquos, qui se ab Ecclesia Catholica sejunxissent, nomenque Christianorum, quo quidem indigni erant, (3) retinuissent; tamen nostris accusatoribus auctores erant, ut sibi caverent, ne nos ob eam caussam reprehenderent. Eniti enim magnopere, idque laborare nos, ut ne qua oriretur in societate nostra, ac in universo etiam, si fieri posset, mundo opinionum dissensio. Quod si essent nonnulli, qui contineri in officio noluissent, hoc ne religioni Christianæ, sed debilitati ingenii, stultitiæque illorum, qui sic egissent, assignarent. Id nisi facerent, scirent redargui eodem modo sectas Philosophorum (4) posse, quasi turbarum caussa, contentionisque amore, non studio veritatis institutæ essent. Nam earum, quæ divisa in factiones non sit, reperiri posse in Græcia nullam.

III. Sed cum tanta esset Ethnicorum in nostros malevolentia, ut omni nos calumniarum genere vexarent; sæpe fiebat, ut in

(1) Adeundus Origenes *ibid. num.* LIV. *pag.* 732. *& seqq.* Transferri huc merito possunt Quadrati discipuli Apostolorum verba, quæ ex Oratione ad Hadrianum Imperatorem excerpta referuntur ab Eusebio *lib.* IV. *H.E. cap.* III. *edit. Cantabrig.* „ Servatoris autem nostri opera, *inquit*, semper conspicua „ erant; utpote quæ vera essent. Iis scilicet, qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati „ fuerant. Qui quidem non solum cum sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt „ ab omnibus, sed sequenti deinceps tempore.

(2) Ita opponebat Celsus *apud Orig. lib.* III. *num.* X. *& seqq. pag.* 453.

(3) Vide Tertullianum *cap.* XLVII. *Apolog.* & Justinum *Apolog.* I. *num.* XXVI. *pag.* 59. *& num.* LVI. *pag.* 77. & Dialogo *cum Tryph. num.* XXXV. *pag.* 132.

(4) Origenes *lib.* III. *contra Celsum num.* XII. *pag.* 454. *& seqq. edit. Monach. S. Mauri Tom.* I. *opp.* Clemens Alex. *lib.* VII. *Stromateon pag.* 753. *edit. Paris. an.* 1641. „ Primum ergo, *ait*, hoc adversus nos adducunt dicentes, non oportere credere propter dissensionem hæresum . . . . . Quibus respondemus, quod & apud vos Judæos, & apud eos, qui inter Græcos sunt in existimatione, Philosophos fuere plurimæ hæreses: Neque tamen ideo dubitandum esse dicitis, an sit Philosophandum &c. „ Consule cetera quæ sequuntur.

tam magno numero accusationum aliquæ essent, quæ invicem inter se pugnarent. Nam qui nos *infructuosos* reipublicæ (1) esse dicebant, propterea quod neque magistratum (2) capessere, neque publicis negotiis nos ipsos implicare vellemus, iidem nobis exprobrabant, esse nos auctores factionum (3) illicitarum, quibus civitas in partes laceraretur. Erant hæc falsa, sed magnum nostris detrimentum afferre poterant. Igitur majores nostri, quibus maxime curæ erat conversio Gentium, cui tot calumniæ, nisi depulsæ fuissent, attulissent impedimentum, dandam esse operam consuerunt, ut quam essent falsæ, absurdæque cognosceretur. Ergo responderunt, sectam Christianorum [nam sic religionem nostram Ethnici appellabant] ne *licitam* quidem factionem vocari oportere. Nihil enim tale a nobis committi, quod a factiosis fieri soleret. Nam si gloriæ, laudisque cupiditate plerique Ethnicorum incitati, cum dignitates expeterent, civitatem in partes scindere consuerant; esse nos ab omni honore, fastuque alienos; quare ne nostra opera respublica quidquam detrimenti capiat, periculum esse nullum. Unam omnium nos rempublicam *Mundum* agnoscere. Nostrum institutum divinum esse. Congregari quidem nos, ut ad Deum, quasi facta manu, contendamus. Eam vim gratam Deo

(1) Vide *cap.* sI. *hujus lib.* §. xx.

(2) Negat Tertullianus alienos nos fuisse a publicis negotiis, modo ne ob illa quidquam superstitiosi agere cogeremur. Quare ubi calumniam repulit, tum „ Si ceremonias tuas, *inquit*, non frequen„ to, attamen & illa die homo sum. Non lavo sub noctem saturnalibus, ne & noctem, & diem per„ dam &c. *cap* XLII. *Apol.* Itaque constat fuisse primis temporibus Christianos, qui magistratu fungerentur. Hoc tamen verum est, nefas esse ambitu illos duci existimasse. Itaque *Tertull. cap.* XXXVIII. *Apolog.* „ At nobis, *inquit*, ab omnis gloriæ, & dignitatis ardore frigentibus nulla est necessitas „ cœtus, nec ulla magis res aliena, quam publica.

(3) Tertullianus *Apolog. cap.* XXXVIII. „ Nec paullo lenius inter licitas factiones sectam istam „ deputari oportebat, a qua nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri solet. Nisi „ fallor enim, prohibendarum factionum caussa de providentia constat modestiæ publicæ, ne civitas in „ partes scinderetur, quæ res facile comitia, concilia, curias, conciones, spectacula etiam æmulis „ studiorum compulsatibus inquietaret, cum jam & in quæstu habere cœpissent venalem, & merce„ narium homines violentiæ suæ operam. At enim nobis ab omni gloriæ, & dignitatis ardore fri„ gentibus nulla est necessitas cœtus, nec ulla magis res aliena quam publica. Unam omnium rem„ publicam agnoscimus mundum. *Et cap.* XXXIX. „ Edam jam nunc ego ipse negotia Christianæ factionis, „ ut qui mala refutaverim, bona ostendam ..... Corpus sumus de conscientia religionis, & discipli„ næ divinitate, & spei fœdere. Coimus in cœtum, & congregationem facimus, ut ad Deum, quasi „ manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, „ pro ministeriis eorum, ac potestatibus seculi, pro rerum quiete, pro mora finis ..... Nam & ju„ dicatur ..... si quis deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti „ commercii relegetur. Præsident probati quique seniores honorem istum non pretio, sed testimonio „ adepti ...... Modicam unusquisque stipem pro menstrua die, vel cum velit, & si modo possit, ap„ ponit. Nam nemo compellitur; sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt ..... Dispen„ satur egenis alendis, humandis & pueris ac puellis re, ac parentibus destitutis &c. Vide & *cap.* XXXIX.


Deo esse. Orare nos in conventu pro Imperatoribus, pro ministris eorum, pro omnibus denique; qui aliqua potestate præstent. Fidem a nobis, spem sempiternæ felicitatis, & studium aliis benefaciendi coli. Nam si qui sint, qui deliquerint, hos communione ceterorum prohiberi. Præsidere nostris cœtibus eos, quos populi testimonio constiterit virtute excellere. Conferri æs ab Christianis, non ut qui ventri indulgent alantur; sed ut pueri, atque puellæ, quæ destitutæ parentibus sint, utque pauperes reperire aliquid præsidii in Ecclesia possint. Qui sic agerent, censendos factionis auctores non esse. Suos Ethnici (1) factiosos nominarent, qui in bonorum odium conspirare, qui sanguinem innocentum expetere, qui in summum cruciatum bonos vocare auderent.

IV. Proxima huic erat calumnia de *seditione*. Nam oritur plerumque ex factione seditio. Itaque fuerunt, qui concitatam a nostris in Judæorum civitatem seditionem (2) initio fuisse opponerent. Quibus Patres sic responderunt (3). Accusari eos seditionis non posse, quibus vetitum esset quemquam occidere. Non enim esse credibile leges, quæ ad conciliandam pacem pertinerent, coli potuisse ab his, qui nati ex conjuratione fuissent. Quod si Ethnici accusare pergerent, quo tempore, quo loco, aut a quibus tandem Christianis hoc facinus ortum esset, demonstrarent. Id cum ostendere nequirent, indicio esse mentiri eos, quo bonis calumnia nocerent.

(1) *Tertull. ibid.*

(2) Celsus apud Originem *lib.* III. *num.* VII. *pag.* 451. „ Judæos alios Jesu ætate seditionem con- „ tra commune Judæorum concivisse, & Jesum fuisse confectatos, *scribit*. Hinc Christiani apud Minucium *in Octav.* ab Cæcilio Ethnico vocantur *plebs profanæ conjurationis*, *pag.* 72. *edit. an.* 1672. Sed eo sensu ut conjurasse indicentur contra sacra, ceremoniasque Deorum. Eodem modo intelligenda sunt, quæ extant in Act. Cypr. *edit. Oxon. an* 1700 *pag.* 14. ubi Galerius Marcus Proconsul Africæ Christianos appellavit *nefariæ conspirationis homines*. Confer quæ extant apud Prudentium περὶ στεφάνων *Hymn.* XIV. *v.* 62.

(3) Vide *Origenem ibid.*



§. XXV.

Accusati Christiani . I. *quasi* hostes Generis humani, II. *&* Imperatorum, reique læsæ Majestatis III. *atque* inutiles *&* eversores reipublicæ essent.

I. Mirum autem videbatur, homines, qui jussi a Legislatore suo essent inimicos diligere, vocari hostes humani (1) generis potuisse. Verum quidquid in mentem inimicis Christiani nominis veniebat, quod impium, flagitiique plenum esset, id continuo enunciabatur, ut qui rempublicam gerebant, progressus nostrorum aut impedire lædendo, aut retardare possent. Patres, ut per tempus licebat, nihil omittebant eorum, quæ ad infamiam, invidiamque delendam conducerent. Scribebant igitur Apologias, quæ sic haberent: Christianos (2) odisse neminem, ut qui a Magistro hostes etiam diligere juberentur. Ne arbitrarentur Ethnici eo nostros odium dissimulare, quod cum pares iis numero non essent, impetum in multos facere timerent. Christianorum maximum esse ubique gentium numerum. Eos omnia Ethnicorum loca, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra, tribus, decurias, palatium, senatum, forum ipsum complesse. Posse igitur, si vel-

(1) Tertullianus *Apolog. cap.* XXXVII. *pag.* 313. *edit. Haverc. Sed & hostes*, inquit, *maluistis vocare generis humani*. Consule Theophilum Antiochenum *lib.* III. ad *Autolicum* §. XIV. *pag.* 389. *edit. opp. S. Just. Mart. an.* 1742. *Tacitus* XV. *Annalib. c.* XLIV. ait „ Igitur primi correpti, qui fatebantur, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt „. Loquitur autem de Christianis.

(2) Tertullianus *ibid. pag.* 307. „ Si inimicos, ut supra diximus, *inquit*, jubemur diligere, „ quem habemus odisse? Item si lidem læsi, vicem referre prohibemur, ne de facto pares simus, „ quem possumus lædere? Nam de isto ipsi recognoscite. Quoties enim in Christianos desævitis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes? Quoties etiam, præteritis vobis, suo jure nos „ inimicum vulgus invadit lapidibus, & incendiis? ..... Quid tamen de tam conspiratis umquam denotastis, de tam animatis ad mortem usque pro injuria repensatum? Quando vel una nox pauculis „ faculis largiter ultionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret? ..... Si enim hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum, & copiarum? ..... Hesterni sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, „ conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum &c. .... Quis autem vos „ ab illis occultis, & usquequaque vastantibus mentes, & valetudines vestras, hostibus raperet? A „ Dæmoniorum incursibus dico, quæ de vobis sine præmio, sine mercede depellimus .... Porro nec „ tanti præsidii compensationem recogitantes, non modo non molestum vobis genus, verum etiam necessarium hostes judicare maluistis, qui sumus plane, non generis humani tamen, sed potius erroris. Adeundus Nicolaus Nourrius *Apparat. in Biblioth. SS. PP. Tom.* II. *pag.* 1504. *& seqq. edit. an.* 1715. & *lib.* Tertullian: *ad Scapulam cap.* II. *&* V.

ſi vellent, eos cum ipſis confligere. Mille tamen ſe, quamquam invidia laborarent, præſidio ſuis adverſariis eſſe. Ex qua re non humani generis ſe, vel publicos, ſed erroris, atque vanitatis hoſtes eſſe cognoſcerent.

II. Accedebat calumnia de odio in Imperatores. Ea vero profecta ex malevolis eſt, qui cum pati non poſſent, Chriſtianos Principibus honores, ita ut apud Ethnicos erat in uſu, deferre recuſare, id maxime enitebantur, ut ordo hominum optimorum (1) majore invidia flagraret. At noverant noſtri integrum ſibi non eſſe eo convenire, ubi *ſolemnia* Imperatorum, quæ plena ſuperſtitionis erant, celebrabantur. *Solemnia* enim dicebantur: *Solemnes dies principum, & vota, atque gaudia Cæſarum* (2). Quotannis autem *die tertio poſt Calendas* Januarias *pro ſalute Principum vota* (3) *ſuſcipiebantur*. Rurſum natales dies, imprimiſque quinquennalia, decennalia, quindecennalia, & vicennalia ſumma ſuperſtitione celebrari ſolebant. His diebus Ethnici ſimulacra adibant, Deoſque precabantur pro ſalute Imperatorum, pro æternitate imperii, proque incolumi, atque felici illius ſtatu. Alia etiam ejuſdem generis ſaciebant, quæ dicere longum eſſet (4). Chriſtiani igitur, qui hæc explorata haberent, prohiberique divina Lege perſpicerent, ut ſe exteris purgarent, orare quidem pro *Imperatoribus* (5), proque eorum ſalute ajebant

(1) Vide Tertullianum *cap.* x. *Apolog. pag.* 108. *& cap.* xxviii. *& ſeqq. pag.* 264. *& ſeqq. edit. Havere.* & *lib.* I. *ad Nat. cap.* xvii. Diu ea invidia Chriſtiani laborarunt; & ſi quandoque moribus noſtrorum, qui erant compoſiti ad pietatem, ea ipſa extingui ſoleret, rurſum tamen ab Ethnicis odio, & calumnia incendebatur; velut, ut alias ſæpe, ſic Diocletiani tempore evenit. Nam cum is Imperator edicta, quæ hoſtibus mitiora viderentur, in Chriſtianos publicaviſſet, fuerunt, qui ædibus Diocletiani *incendium ſubjicerent, & cum pars quædam conflagraſſet, Chriſtianos velut publicos hoſtes arguerint*. Vide Q. Cæcilium *Auctorem lib. de mort. Perſ. cap.* xiv. Conſtantinum Aug. *Orat. ad SS. Cœtum cap.* xx. quo loco rem paullo aliter deſcribit, & Euſebium *lib.* viii. *H. E. cap.* vi.

(2) Tertull. *Apolog. cap.* xxxi.

(3) Cajus *digeſt. lib.* 2. *tit.* xvi. *leg.* ccxxxiii.

(4) Conſule Tertullianum *cap.* xxviii. *Apolog. & ſeqq.* Henricum Noriſium S.R.E. Cardinalem Doctiſſimum *Diſſert. de Votis Decennalibus*, *Tom.* I. *Theſaur. Antiq. Sallengre pag.* 459. *ſeqq. edit. Amſtelod.* Petrum Taſſinum *De anno ſeculari & ludis ſecularibus*, *Tom.* viii. *Antiqu. Romanar. Gravii pag.* 484. *& ſeqq. edit. Amſtel.* & Nicolaum Nourrium *Apparat. in Biblioth. SS. PP. Tom.* I. *pag.* 1507. *& ſeq. edit. an.* 1715.

(5) Tertullianus *Apolog. cap.* xxx. *pag.* 272. *edit. Havere.* „ Nos pro ſalute Imperatorum Deum „ invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipſi Imperatores propitium ſibi præter „ ceteros malunt. Et *cap.* xxxii. „ Sed & juramus ſicut non per genios Cæſarum, ita per ſalutem eo„ rum, quæ eſt auguſtior omnibus geniis. Neſcitis genios dæmonas dici, & inde diminutiva voce dæmo„ nia. Nos judicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus, qui Gentibus illos præfecit. Id enim ſcimus „ eſſe, quod Deus voluit, ideoque & ſalvum volumus eſſe, quod Deus voluit, & magno id juramen„ to habemus. Ceterum dæmonas, ideſt genios adjurare conſuevimus, ut illos de hominibus exiga„ mus, non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus. Sed quid ego amplius de religione „ atque

ajebant ſe, qua ratione a vero Deo poſtulari ſcirent. Sic enim Apoſtoli Pauli (1) decreta poſcere. Nequire ſe tamen in ea re Ethnicorum conſuetudinem imitari, in qua nullus divinæ religioni, modeſtiæ, ac pudicitiæ (2) locus eſſet. Ne vero ſperarent abduci nos a ſententia cruciatu poſſe. Quidvis nos pati malle, quam in idololatriæ, aut in quodpiam aliud crimen (3) incurrere. Quod ſi inimici noſtri inviſos nos principibus calumnia reddere curarent, reſpicerent ipſi ſe, qui palam Imperatores dicteriis inſectarentur (4), qui Magos, Aruſpices, Ariolos de capite Principum conſultarent, quique tam falſa vota pro eorum ſalute, quam vera Chriſtiani ſuſcipere conſueſcerent. Reminiſcerentur Caſſiorum, Nigrorum, Albinorum (5), aliorumque qui cum ſimiles horum fuiſſent, tum contra Cæſares conjurationem Nobilitatis feciſſent. Ethnicos illos, non Chriſtianos fuiſſe. Quamobrem ne illos, qui Chriſtum ſequerentur, quique, ut par erat, Imperatoribus obtemperarent, reos majeſtatis agere auderent.

III. Quos autem Majeſtatis reos, eoſdem Ethnici non ſolum inutiles, ſed etiam everſores reipublicæ eſſe jactabant. Ac de inutilitate quidem paucis dictum eſt capite ſuperiore. Nunc copioſius eſſe de utraque accuſatione agendum intelligo. Ergo ratio, cur nos inutiles reipublicæ eſſe Ethnici dicerent, hæc fuit. Verſabantur Chriſtiani in curia, in foro (6), in ſenatu, dignitateſque etſi non expeterent, tamen oblatas non recuſabant, modo ne quid contra divinam Chriſti Legem (7) agere cogerentur. Quare ſi Judices, ſi Præfecti,

„ atque pietate Chriſtiana in Imperatorem, quem neceſſe eſt ſuſpiciamus, ut eum quem Dominus „ noſter el. gerit &c. Conſule Juſtinum Martyrem *Apolog.* 1. *num.* XVII. *pag.* 54. Tatianum *Orat. adv. Græcos num.* IV. *pag.* 246. *Athenagoram Legat. num.* 1. *pag.* 280. *&* *num.* XXXVII. *pag.* 313. *edit. opp. S. Juſtini Mart. an.* 1742. & Nicolaum Nourrium *Apparat. in Bibl. SS. PP. Tom* II. *pag.* 1495. *& ſeqq. edit. an.* 1715.

(1) Conſule Tertullianum *De Idololatr. cap.* XV. ubi „ Quod attinet, *inquit*, ad honores Regum, „ & Imperatorum, ſatis præſcriptum habemus: in omni obſequio nos eſſe oportere ſecundum Apoſtoli „ præſcriptum, ſubditos magiſtratibus, & principibus, & poteſtatibus. Sed intra limites diſciplinæ, quouſque ab idololatria ſeparamur.

(2) Tertull. *Apolog. cap.* XXXV. *pag.* 295. *edit. Havere.* „ Velim tamen in hac quoque religione „ ſecundæ majeſtatis, de qua in ſecundum ſacrilegium convenimur Chriſtiani, non celebrando vobiſcum „ ſolemnia Cæſarum, quo more celebrari nec modeſtia, nec verecundia, nec pudicitia permittunt &c.

(3) Vide eumdem Tertullianum *cap.* XXXV. *& ſeqq.* & Nourrium l. c. *pag.* 1507. *& ſeqq.*

(4) Tertull. *ibid. pag.* 298. *& ſeqq.* & Nourrium *ibid. pag.* 1512.

(5) Tertull. *ibid. pag.* 300. & *ad Scapulam cap* 27. Nourrius *ibid. pag.* 1514. *& ſeqq.*

(6) Celebris eſt Diocletiano & Maximiano poſita inſcriptio, quam præter Baronium, & Gruterum, & alios, refert etiam Spanhemius *De uſu & Præſt. Numiſm. Diſſert.* XIII. *pag.* 517. *T.* II. *opp. edit. Amſt* l. 1717. in qua hæc leguntur: *Nomine Chriſtianorum deleto, qui rempublicam everterant.*

(7) Vide Tertullianum *l. ad Scapulam cap.* IV. *pag.* 71. *edit. an.* 1675. Et *cap.* V. *pag.* 71. ubi „ Quid „ facies,

fecti, si Imperatores jubebant, ut ii sacrificia offerrent, ac vota susciperent, quæ offerri, suscipique solerent ab his, qui eodem in republica munere fungerentur, Christiani, quoniam Deo, non homini esse parendum cognorant, deserere omnia, quam (1) sacrificiis, aliisque superstitionibus se inquinare statuerant. Hæc cum Ethnici sæpe fieri viderent, inertes (2) nos esse, nullumque (3) commodum, utilitatemque reipublicæ afferre vociferabantur. Sed Majores nostri ignorare dixerunt se, cur ii essent inutiles reipublicæ appellandi, qui eadem in civitate versarentur, iisdemque (4) officiis in vita uterentur, quibus Ethnici uti curarent. Quod si in crimen propterea vocarentur, quod easdem ceremonias adhibere nollent, quas idolorum cultores frequentabant, scirent, id, quo malum, & superstitionis peccatum declinaretur, officere, aut nocere reipublicæ commodis non posse. Civem qui vectigalia solvat (5), qui se suosque in officio contineat, qui Imperatori pareat, qui nihil agat, quod non ad pacem, tranquillitatemque civitatis conducat, utilitati esse reipublicæ semper solere, incommodo numquam.

Alterum erat criminationis caput de doctrina Christianorum, quæ componi (6) cum ratione reipublicæ recte administrandæ nequiret.

„ facies, *inquit*, de tantis millibus hominum, tot viris, ac feminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis „ dignitatis offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? Quid ipsa Carthago passura „ est decimanda abs te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unusquisque cognoverit, cum „ viderit illic fortasse & tui ordinis viros, & matronas, principales quasque personas, & amicorum „ tuorum vel propinquos, vel amicos &c.

(1) Ita se gessit miles, de quo agit Tertullianus initio *libri de Corona*, ut & multi SS. MM. qui renunciare militiæ, dignitatibusque maluerunt, quam sacrificare.

(2) Tertullianus *ad Scapulam cap.* v. *&* *Apolog. cap.* XLII.

(3) Hinc Flavium Clementem, quod Christianus esset, *contemptissimæ inertiæ* hominem Suetonius appellavit. Suetonius in Domitiano *cap.* XV. Immo vero deridebantur ab Ethnicis nostri, quasi de rebus, quæ ad præsentis vitæ rationem pertinent, ne cogitandum quidem esse putarent. Quamobrem Auctor Dialogi, qui inscribitur Philopatris, extatque inter opera Luciani *Tom.* III. *opp. edit. an.* 1743. *pag.* 612. „ Ut vero, *inquit*, inaniter elati homines interrogarunt, ut se haberent, quæ in Urbe fiebant, utque ea, „ quæ in mundo; tum ego gaudent, inquam, omnes, & amplius gaudebunt. Illi vero supercilia attol„ lentes, non ita est, inquiunt. Urbs difficulter parturit. Tum ego, eorum quidem sententia, vos, „ inquam, qui sublimes elati estis, omniaque ut ex excelso prospicitis, etiam hæc quamacutissime „ olim perspexistis. Sed in æthere quid agitur? &c.

(4) Tertullianus *Apolog. cap.* XLII.

(5) Tertullianus *in extremo capite* XLII. *Apologetici*. Vide Nourrium *Appar. Tom.* II. *pag.* 1531. *& seqq.*

(6) Vide Epistolam Marcellini, quæ inter Augustinianas nunc est CXXXVI. cum *olim* IV. esset. *Tom.* II. *opp. S. Augustini edit. Monach. S. Mauri*. Nam ia Sancto viro quæ sibi ab Ethnicis essent objecta narrat hoc modo „ Dicebat . . . . quod ejus (Christi) prædicatio, atque doctrina reipublicæ moribus nulla „ ex parte conveniat; utpote sicut a multis dicitur, cujus hoc constet præceptum, ut nulli malum pro „ malo reddere debeamus, & percutienti alteram præbere maxillam, & pallium dare persistenti tuni„ cam tollere, & cum eo, qui nos angariare voluerit, ire debere spatio itineris duplicato, quæ omnia „ reipublicæ moribus asserit (Volusianus) esse contraria . . .

quiret. Ortum autem hinc fuit: quod cum Ethnici intelligerent cautum a Christo fuisse, ne quis injurias ulcisceretur, neu latroni resisteret; neque assequi possent, quemadmodum his legibus constitutis, Principi sua, suorumque bona defendere liceret, Christianam religionem reprobaverunt, quasi inimica reipublicæ morum esset. Eoque magis in sententia confirmari solebant, quo contemni Deos a nostris, recusarique imaginibus Imperatorum cultum viderent, quas res turbarum caussas esse existimabant (1).

Patres quod inimicorum perfidiam longius progredi viderent, prospiciendum suis esse putarunt, ne quid ex illa detrimenti caperent, Itaque mirum sibi videri dixerunt, ab Ethnicis in Christiana religione minime illa probari, quæ sæpe, quoniam a Philosophis dicta fuerant, laudari celebrarique consuessent (2). Decreta esse Veterum permulta (3), quæ eodem fere, atque illa spectent, quæ sunt a Christo sancita de non reddendo ei malo, qui malum cuiquam intulerit. Nisi enim simile hujus (4) esset, quod illi statuerant, commendandam scilicet imprimis virtutem in eo, qui regnet, esse; qua fit, ut is injuriæ memoriam deponat; quam rem tandem putarent similem futuram? Atque sic haberent. Esse, veterum illorum, quorum supra memini, opinione, omnes oportere, fuisseque etiam nonnullos Principes ita comparatos, ut, sal-

va

(1) Lactan. *lib.* v. *cap.* xx. *etenim*, inquit, (ex sententia Gentilium) *puniendi sunt*, *qui destruunt religiones*.

(2) S. Augustinus *epist.* cxxxviii. *al* v. *num.* 9. & 10. „ Quid opus est, ut diutius laboremus, ac „ non ipsius potius percontemur, quomodo poterant gubernare, atque augere rempublicam, quam ex „ parva, & inopi magnam, opulentamque fecerunt, qui accepta injuria ignoscere, quam per- „ sequi malebant? Quomodo Cæsari administratori reipublicæ, mores ejus extollens Cicero dicebat, „ quod nihil oblivisci soleret, nisi injurias. Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam ma- „ gnus adulator? Sed si laudator, talem Cæsarem noverat; si autem adulator, talem esse debere osten- „ debat principem civitatis, qualem illum fallaciter prædicabat. Quid est autem non reddere malum „ pro malo, nisi abhorrere ab ulciscendi libidine? Quod est accepta injuria ignoscere malle, quam „ persequi, & nihil nisi injurias oblivisci. Hæc cum in eorum leguntur auctoribus, exclamatur, & „ plauditur; describi atque prædicari mores videntur, quibus dignum esset exurgere civitatem, quæ „ tot Gentibus imperaret; quod accepta injuria ignoscere, quam persequi malebant. Cum vero le- „ gitur præcipiente auctoritate divina, non reddendum malum pro malo . . . . . occupatur religio tam- „ quam inimica reipublicæ „ &c. Miror quid sit, quod Johannes Franciscus Buddæus *Diss. de concord. relig. Christ. statusque civilis pag.* 46. *edit. an.* 1712 ab Augustino non fuisse omnino sublatam difficultatem objecti scripserit, cum quæ ipse addidit, eodem atque illa spectent, quæ est complexus *ibid.* Augustinus, cujus tamen verba, nescio quo casu, Buddæus prætermisit.

(3) Vide Petrum Danielem Huetium *Quæstionum Alnetanarum lib.* III. *cap.* xviii. quo loco similia veterum Philosophorum decreta recitat. Functi quoque eodem labore sunt ex Hæreticis Hugo Grotius *in not. ad cap.* v. *Evang. Matthæi*, & Tobias Pfannerus *system. Theolog. Gentil. cap.* xx. de extremo judicio §. xiv. *pag.* 455.

(4) Ac simile quidem esse agnovit acerrimus ille Christianæ religionis hostis Celsus apud Orig. *l.* vii. *n.* lviii. *pag.* 735. *Tom.* 1. *op. edit. Monach. S. Mauri.* Quare cum arguere sententiam nequiret, rusticitatem, qua, ut ille ait, expressa erat, reprehendit. Itaque ab Origene jure vapulat. *Ibid. p.* 5 36. & *seqq.*

va republica, injuriarum tamen oblivifcerentur. Quod cum ita fit, cur inimici noftri, religionis Chriftianæ cauffa, hominum focietatem confiftere poffe diffiderent? Quodfi hi cognoffent, qua voluntate latæ eæ Leges ab Jefu fuiffent, perfuafum fibi effe, nihil deprehendi in iis potuiffe, quod ipfi cum ratione gerendæ reipublicæ pugnare arbitrarentur. Nam quod Chriftus ftatuit, alteram maxillam percutienti præberi; conanti tunicam auferre, dari & pallium; & cum eo, qui te ad mille paffuum iter cogat, duplicari viam oportere, fic effe intelligendum, ut injuriæ ferendæ æquo animo fint, quo (1) vinci in bono malus, & refipifcere tandem poffit. Atque id quidem etfi non opere quandoque, animo tamen femper fieri debere. Nam fi quis graviter lædat, hunc & accufari a civibus, & plecti jure a magiftratu poffe, ita tamen, ut pacis, felicitatifque reipublicæ, & ejus qui plectitur utilitatis, non malevolentiæ, neque privatæ vindictæ ratio habeatur. Itaque Principi pa-

(1) Auguftinus *ibid. num.* xvii. ,, Paratus itaque effe debet homo juftus & pius patienter eorum malitiam fuftinere, quo fieri bonos quærit, ut numerus potius crefcat bonorum, non ut pari malitia fe quoque numero addat malorum. Denique ifta præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus eft, pertinere, quam ad opus, quod in aperto eft, ut teneatur in fecreto animi patientia cum benevolentia, in manifefto autem id fiat, quod eis videtur prodeffe poffe, quibus bene velle debemus. Hinc liquido oftenditur, quod ipfe Dominus Jefus exemplum fingulare patientiæ, cum percuteretur in faciem, refpondit: *Si male dixi, exprobra de malo: fi autem bene, cur me cædis?* ... Sunt ergo ifta præcepta patientiæ femper in cordis præparatione tenenda, ipfaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, femper in voluntate complenda eft. Agenda funt autem multa etiam cum invitis benigna quadam afperitate plectendis, quorum potius utilitati confulendum eft, quam voluntati, quod in principe civitatis luculentiffime illorum litteræ laudaverunt. Nam in corripiendo filio quamlibet afpere, numquam profecto amor paternus amittitur, fit tamen, quod nolit, & doleat, qui etiam invitus videtur dolore fanandus. Ac per hoc fi terrena ifta refpublica præcepta Chriftiana cuftodiat, & ipfa bella fine benevolentia non gerentur, ut ad pietatis juftitiæque pacatam focietatem victis facilius confulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil eft infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hoftis interior roboratur ..... Mifericorditer, fi fieri poffet, etiam bella gererentur a bonis, ut licentiofis cupiditatibus domitis, hæc vitia perderentur, quæ jufto imperio vel extirpari, vel premi debuerunt. Nam fi Chriftiana difciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus confilium falutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, feque omnino militiæ fubtraherent. Dictum eft autem eis: *neminem concufferitis, nulli calumniam feceritis, fufficiat vobis ftipendium veftrum.* Quibus proprium ftipendium fufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit. Proinde qui doctrinam Chrifti adverfam dicunt effe reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctrina Chriftiana milites juffit, dent tales provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales fervos, tales reges, tales judices ..... quales effe præcepit doctrina Chriftiana, & audeant eam dicere adverfam effe reipublicæ ..... Ut quid autem ad illud refpondeam, quod dicunt, per quofdam Imperatores Chriftianos multa mala Imperio accidiffe Romano. Hæc generalis conqueftio calumniofa eft. Nam fi apertius certo de præteritis Imperatoribus aliqua commemorarent, poffem fimilia, vel fortaffe etiam graviora de Imperatoribus non Chriftianis & ego commemorare &c. Scio effe aliquos, qui pugnent, veteres Chriftianos negaffe fas effe noftris militiæ nomen dare. Sed de hac re copiofe agam ubi *de moribus Chriftianorum veterum* differam. Interea vide Dionyfium Petavium *Differtationum Ecclefiafticarum lib.* I. *cap.* I. *n.* v. *& feqq.*

rentis datas esse partes. Patrem, qui filium puniat, amore, non odio punire. Hoc modo si in civitate agatur, ne bella quidem sine benevolentia futura. Quotus enim quisque esset, qui bellum, Christianorum opinione, injustum semper, damnandumque esse censeret? Licere quidem Principi & inferre interdum, & illatum defendere. Nisi enim sic res haberet, quemadmodum Christus militibus arma ferre permisisset? Postremo qui nostram disciplinam esse contrariam moribus reipublicæ pugnarent, darent exercitum, darent milites, darent provinciales, principes, judices, conjuges, filios, servos denique tales, quales nostra institutio posceret, tumque jam non saluti hanc, sed detrimento esse civitati dicere auderent, si possent. Quod quererentur Christianorum Imperatorum improbitate invectam esse magnam in rempublicam partem incommodorum, scirent esse hoc genus accusationis ex malevolentia profectum. Quod si vera etiam affirmarent, cogitationem tamen in Ethnicos Imperatores converterent. Hos enim & multo plura, & graviora peccasse, quam inimici a nostris peccatum fuisse dictitarent. Se nihili pendere querimonias idololatrarum, qui adderent, perniciosos (1) societati hominum esse Christianos, ut qui religiones aliorum negligerent, nollentque adorare imagines Imperatorum. Esse id totum calumniæ, atque improbitatis plenum. Observare nos quidem Imperatorem, sed ut hominem (2) observare par est, qui auctoritate præstet. Quod si divinos ei honores adhibere nollemus, id ne nobis crimini verterent, quibus certum esset, nisi (3) Deum, divino cultu neminem honorare licere.

Non

(1) Cornelius Wan Bynhershoekius *Differt.* II. *De Cultu Religionis Peregrinæ &c. pag.* 251. *edit. an.* 1719. „ Interea, *inquit*, hoc mihi videor observasse etiam ex ipsis Christianorum libris Apolo„ geticis, nullos, ne Judæos quidem, durius fuisse habitos, nullos Romanis magis invisos, non alia „ opinor ratione, quam quod Romani, qui numquam religionem separabant a rationibus Imperii, ab „ illis sibi quammaxime metuerent. Metuebant autem duplici potissimum de caussa: altera quod Chri„ stiani nonnisi unam Deum profiterentur, in reliquum Deorum chorum non creduli, altera, quod „ Imperatoribus non sacrificarent, nec eorum imaginibus thure ac vino supplicarent. Primam caus„ sam accepi ab Augustino *lib.* 1. De consensu Evang. *cap.* XVIII. . . . . Aliud enim est connivere ad pe„ regrina sacra suis non noxia, aliud admittere cum detrimento & contemtu suorum „. Hæc ille. Ergo Tertullianus *cap.* X. *Apolog.* hoc nobis objectum ab Ethnicis scribit. *Deos non colitis, & pro Imperatoribus sacrificia non impenditis.* Vide & *libri ad Nat. cap.* XVII.

(2) Tertull. *ad Scapulam cap.* II. „ Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi ex„ pedit, ut hominem a Deo secundum, & quidquid est a Deo consequutum, & solo Deo minorem. „ Hoc & ipse volet „. Vide quæ superiore §. *n.* I. *diximus*. Et *Apol. cap.* XXXIII. *pag.* 284. *edit. Haverc.*

(3) Ac divinos honores, non quales hominem decerent, Imperatori dari Ethnici volebant. Plinius *epist. ad Trajan.* XCVII. *lib.* X. „ Propositus est, *inquit*, libellus sine auctore, multorum nomina „ continens, qui negarent se esse Christianos, aut fuisse, cum, præeunte me, Deos appellarent, & „ ima-

Non esse nostros caussas turbarum, qui legibus parerent (1), qui tributa penderent, qui molesti cuiquam esse caverent; sed cultores idolorum, qui (2) homines innocentes in jus vocarent, extremoque supplicio plecti curarent. De Diis esse eam nostram sententiam (3), quam ipsi dicerent. Cur autem eos veneraremur, quos aut dæmonas sciremus esse, aut viros qui flagitiosam vitam duxissent? Sed nos qui vi nihil moliremur, quique verbis, non armis, non seditione ad veritatis cognitionem adducere eos conaremur, qui in ignoratione, atque inscientia versarentur, quo tandem modo esse possemus auctores dissensionum, atque turbarum?

§. XXVI.

Accusati Christiani, quasi I. rei omnium scelerum, II. obstinati, III. indigni, *qui de rebus divinis agerent*, IV. *suspectique conjurationis essent, quod ante lucem convenire solerent.*

I. INterim Ethnici, ut rem compendio agerent, quos majestatis, religionis, incesti &c. eosdem tribus verbis (4), *omnium scelerum reos* fecerunt. Tantum apud eos superstitio poterat, ut qui hanc virtute, ac pietate tollere conarentur, hi liberi ab ullo flagitio, eorum sententia, esse nequirent. Christiani, qui conscii sibi erant, quibus moribus viverent, nihili hasce criminationes pendebant. Hoc se consolari, ajebant, quod innocentes ab iis accu-

„ imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum adferri, thure, ac vino supplicarent: præterea maledicerent Christo „. Quem autem invocarent, qui sacrificabant, explicat Minucius in *Octavio pag.* 283. *edit. an.* 1672. „ Sic eorum (Imperatorum) numen vocant, ad imagines supplicant, genium, idest dæmonem ejus implorant. Tertullianus *Apolog. cap.* XXXIII. „ Non enim „ Deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia deridere non audeo, vel quia nec „ ipse se Deum volet dici „. Plura de hac re Woverus disputat *not.* 4. in locum Minucii modo laudatum. Consule Vegetium *lib.* II. *cap.* V. *de re militari*, ubi, quemadmodum jurare Christiani milites deberent, indicat.

(1) Tertull. *Apolog. cap.* XLII. *pag.* 363. *edit. Haverc.*

(2) Ibid. *cap.* XL. *pag.* 337. *edit. Haverc.* „ At e contrario illis nomen factionis accommodandum „ est, qui in odium bonorum, & proborum conspirant, qui adversus sanguinem innocentem con„ clamant &c.

(3) Tertullianus *Apolog. cap.* X. *pag.* 109. *edit. Haverc.* „ *Deos* vestros colere desinimus, ex quo „ illos non esse cognoscimus. Hoc igitur exigere debetis, uti probemus, non esse illos Deos, & id„ circo non colendos, quia tunc demum coli debuissent si Dii fuissent „. Consule quæ sequuntur ad *cap.* XXIV. Similia habent Justinus, Clemens Alex., Athenagoras, Theophilus, Minucius, uno verbo Apologistæ omnes Christiani.

(4) Tertullianus *Apologetici cap.* II. *pag.* 32. *edit. Haverc* „ Christianum, hominem, *inquit*, „ omnium scelerum reum . . . . . existimas, & cogis negare &c.

accusari, damnarique perspicerent (1), qui primi omnium violare leges auderent. Nam si rei omnium scelerum essemus, cur in vitam ante, moresque nostros inquirere, quam nos capitis condemnare negligerent? Annon scirent neminem esse supplicio afficiendum, quem nondum reum objecti sceleris esse constaret? Quam esse hanc judicandi legem arbitrarentur, qua fieri soleret, ut qui se Christianum negabat esse, ei impune abire liceret? Dimitterentne sponte confitentem reum, qui deinde propter cruciatus se reum esse negaret? Si ergo reo sponte confitenti, vi neganti non crederetur (2), neque abeundi daretur facultas, quid esset, quod voluntate confitenti, vi contra neganti Christiano omnium legum, morum, Imperatorum, hominum inimico se Christianum esse, continuo fides adjungeretur? Hoccine essent contenti, si reipsa tales nos esse Ethnici putarent, quales vulgo describerent? Non ergo illos credere, quod de nobis prædicare consuescerent. Nomen Christianum illis invisum esse. Hoc unum esse in caussa, cur in nos tantopere sævirent. Itaque esse plerosque qui mores alicujus nostrum laudent, quamquam eum esse Christianum ægre ferant. Quod si nominis odium esset, quem esse in nomine (3) reatum

(1) Tertullianus *Apolog. cap.* II. *pag.* 33. Cogis negare, ut absolvas, quem non poteris absolvere, „ nisi uegaverit. Prævaricaris in leges. Vis ergo neget se nocentem, ut eum facias innocentem: & „ qaidem invitum jam, nec de præterito reum. Unde ista perversitas? Ut etiam illud non recogitetis sponte confesso magis credendum esse, quam per vim neganti; vel ne compulsus negare, non ex „ fide negar t, & absolutus, ibidem post tribunal de vestrs rideat æmulatione iterum Christianus. „ Cum igitur in omnibus non aliter disponitis, quam ceteros nocentes, id unum contendendo, ut de „ eo nomine excludamur (excludimur enim, si facimus, quæ faciant non Christiani) intelligere po- „ testis non scelus aliquod in caussa esse, sed nomen, quod quædam ratio æmulæ operationis insequi- „ tur, hoc primum agens, ut homines nolint scire pro certo, quod se nescire pro certo sciunt. Ideo „ & credunt de nobis, quæ non probantur, & nolunt inquiri, ne probentur non esse, quæ malunt „ credi esse, ut nomen illius æmulæ rationis inimicum; præsumtis, non probatis criminibus de sua sola „ confessione damnetur. Ideo torquemur confitentes, & punimur perseverantes, & absolvimur ne- „ gantes, quia nominis prælium est. Denique quid de tabella recitatis illum Christianum, cur non „ & homicidam? Si homicida Christianus, cur non & incestus, vel quodcumque aliud esse nos creditis? Similes sunt Justini Martyris *Apol.* 1. *pag.* 45. *num.* xv. *edit. an.* 1742. *Mon. S. Mauri*, Athenagoræ *in leg. t. num.* 1. *pag.* 280. aliorumque conquestiones.

(2) Cyprianus ad Demetrianum *pag.* 132. *edit. an.* 1700. „ Torqueri debui, si negarem ... Torquen- „ tur rei, qui se negant crimine, quo accusantur, teneri, ut facinoris veritas, quæ indice voce „ non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc vero cum sponte confitear, & clamem, & cre- „ bris ac repetitis identidem vocibus Christianam me esse contester, quid tormenta admoves confiten- „ ti „? Adeundus Minucius Felix in *Octav. pag.* 258. *edit. an.* 1672. Ac leges quidem jubent reum torqueri ut occulta crimina confiteatur, non ut confessa neget. Vide *Paulum Jurisconsultum lib.* v. *sent. tit.* xiv.

(3) Tertull. *Apolog. cap.* III. *pag.* 37. „ Quid quod ita plerique clatis oculis in odium ejus impin- „ gunt, ut bonum alicui testimonium ferentes admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Cajus „ Sejus, tantum quod Christianus. Item alias. Ego miror Lucium Titium sapientem virum repente „ lactum

tum poſſe judicarent ? An vocabulum , quod neque maledicum , neque obſcoenum eſſet , quod ab unctione manaſſet , quod derivatum a Chriſti magiſtri nomine fuiſſet , reprehenderent , neglecta agnitione vitæ , atque doctrinæ , quam colimus ? Ecquid autem eſſet , niſi hoc contra leges , quæ ſunt de judiciis , eſſe putarent ? Quæ cum ita eſſent , aut (1) lege agerent , inquirerentque incesti ne , an homicidæ eſſemus ; ac ſi in horum ſcelere aliquo nos deprehendiſſent , cruciarent , laniarent , interficerent denique , aut id quod res erat , confiterentur , noſque & innocentes declararent , & quam ſequimur religionem , nos profiteri atque obſervare ſinerent .

II. Sed qui irridendi erant , propterea quod pugnantia loquerentur , & agerent , ii noſtros obſtinationis arguebant , quod cum ſacrificare , & abire illæſi poſſent , tamen obfirmati in ſententia (2) manere vellent . Noſtri contra homini , qui non vulgi opinione , ſed veritate , duceretur , ſatis eſſe exploratum dixerunt , niſi uni Deo,

„ factum Chriſtianum! Nemo retractat,ne ideo bonus Cajus, & prudens Lucius,quia Chriſtianus: aut ideo „ Chriſtianus,quia prudens,& bonus. Laudant quæ ſciunt, vituperant,quæ ignorant ... Nunc igitur ſi nominis odium eſt , quis nominum reatus ? Quæ accuſatio vocabulorum ? Niſi aut barbarum ſonat aliqua „ vox nominis , aut infauſtum , aut maledicum , aut impudicum . Chriſtianus vero quantum interpretatio eſt , de unctione deducitur ..... Oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum . „ At enim ſecta oditur in nomine utique ſui auctoris . Quid novi ſi aliqua diſciplina de magiſtro cognomentum ſectatoribus ſuis indueit ? ..... Plane ſi qui probet malum auctorem , & malam ſectam , is probabit & nomen malum dignum odio de reatu ſectæ , & auctoris . Ideoque ante odium nominis competebat prius de auctore ſectam recognoſcere , vel auctorem de ſecta . At nunc utrinſque inquiſitione „ neglecta , nomen detinetur , & nomen expugnatur , & ignotam ſectam , ignotum & auctorem vox „ ſola prædamnat, quia nominantur , non quia revincuntur „ . Atque ita reipſa erat ; nam Plinius etſi in *Epiſt.* xcvii. *ad Trajanum lib.* x. quamquam inquirendo agnoviſſe ſe ſcripſerit , Chriſtianos *ſacramento ſe non in ſcelus aliquod obſtringere , ſed ne furta , ne latrocinia , ne adulteria committerent , ne fidem fallerent &c.* tamen interrogabat Imperatorem num : *nomen ipſum etiamſi flagitiis careat* puniendum eſſet . Ac punierat ille quidem , ut addit , Chriſtianos , quos tamen nullius ſceleris reos eſſe perſpexerat .

(1) Adeundus Juſtinus Martyr *Apolog.* I. *num.* IV. *pag.* 44. *& ſeqq. & num.* 7. *pag.* 47. Ubi hæc habet „ Rogamus , ut omnium , qui apud vos accuſantur , dijudicentur actiones , ut qui convictus „ fuerit , puniatur ut improbus , nequaquam vero ut Chriſtianus : ſi quem autem extra noxam eſſe „ pateat , dimittatur , ut innocens Chriſtianus. Athenagoras *legat. num.* 1. *pag.* 280. „ Noſtrum autem nomen , *inquit* , (ne quæſo , ut vulgus ſolet, ipſo auditu offendamini) cur odio habetur ? Non „ enim nomina odio digna , ſed malefactum pœna , & ſupplicio ..... Quare ſinguli æquo jure vivunt .... „ Nos autem , qui Chriſtiani dicimur , quia non etiam nobis providetis , ſed nihil agentes mali , vel „ potius omnium , ut progreſſu orationis patebit , ſanctiſſime , & æquiſſime de Deo , ac de Imperio veſtro ſentientes exagitari , rapi & vexari ſinitis , pleriſque bellum nobis , ob ſolum nomen inferentibus ; nos , inquam , ipſi res noſtras in lucem proferre auſi ſumus . Docebit autem vos oratio præter „ fas , ac præter legem omnem , & rationem hæc nos pati . *Et num.* 2. *pag.* 281. „ Quod igitur „ commune jus eſt omnium , nos quoque poſtulamus , ut nequaquam odio habeamur , & puniamur , „ quia dicimur Chriſtiani (quid enim nobis hoc nomen ad nequitiam affert ?) Sed judicemur de quocumque quis vocaverit , ac vel abſolvamur refutato crimine , vel convicta improbitate puniamur ; „ non propter nomen .... ſed propter crimen .

(2) Plinius *epiſt.* xcvii. *lib.* x. *pag.* 628. *edit.* Cellarii „ Interrogavi , *inquit* , ipſos an eſſent Chriſtiani : Confitentes iterum , ac tertio interrogavi , ſupplicium minatus : perſeverantes , duci juſſi . „ Neque

Deo, fas non esse sacrificia cuiquam offerre. Non ignorare se cujus incitatione Ethnici id nobis consilii darent. Esse enim rationi contrarium, ut quis omni ope id curet, ut alios inducere ad sese decipiendum cruciatu possit. Malos dæmonas ejus & suasionis, & crudelitatis auctores esse (1). Eos qui nobis gratia Dei ornatis invideant, eniti hoc maxime, ut ejus participes cessemus esse, quam ipsi & amiserint scelere, & recuperare numquam sperent. Nam quod aliqui dicerent, desperatione præsumtioneque nostrá fieri, ut deterreri ab opinione nolimus, labi, magnoque se in errore versari cognoscerent. Quid enim? an audaces, præsumtuosos, desperatos esse censerent eos, qui pro agro, pro patria, pro imperio mortem contemsissent? Quod si hos omnes vindices libertatis, salutis, felicitatisque publicæ restitutores appellarent; cur nos desperatos, præsumtuosos, obstinatos dicerent, qui pro (2) æternitate, pro gloria sempiterna, pro vero denique Deo pugnaremus? Sed (3) agerent, quod vellent. Cruciarent, torquerent, damnarent, attererent nos. Esse improbitatem eorum argumentum innocentiæ nostræ. Scirent sanguinem martyrum semen Christianorum esse. Multiplicari nos, cum minui tot cladibus videremur. Hoc esse indicium & voluntatis Dei, & veritatis religionis

,, Neque enim dubitabam qualecumque esset, quod faterentur, *pervicaciam* certe, & *inflexibilem obstinationem* debere puniri ,,. Quare Tertullianus *c.* XXVII. *Apolog.* ,, Quidam, *inquit*, dementiam existimant, quod cum possimus & sacrificare in præsenti, & illæsi abire manente apud animum proposito, obstinationem saluti præferamus.

(1) Tertullianus *ibid. cap* XXVII. ,, Igitur provocati ad sacrificandum obstruimus gradum pro fide conscientiæ nostræ, qua certi sumus ad quos ista perveniant officia, sub imaginum prostitutione, & humanorum nominum consecratione. Sed quidam dementiam existimant &c. Datis scilicet consilium, quo vobis abutamur. Sed agnoscimus unde talia suggerantur ..... Ille scilicet spiritus dæmoniacæ, & angelicæ paraturæ, qui noster ob divortium æmulus, & ob Dei gratiam invidus de mentibus vestris adversus nos præliatur. Vide Minucium *Octav. pag.* 255. *edit. an.* 1672.

(2) Just. Martyr *Apolog.* I. *num.* VIII. *pag.* 47. ,, Vivere nolumus obstricti mendacio. Æternæ enim ac puræ vitæ cupidi ad domicilium cum Deo universorum Patre, & opifice promissum contendimus; ac properamus ad confitendum, cum persuasum habeamus, & credamus hæc bona ab illis comparari posse, qui factis suis testati Deo fuerint, se illum sectatos esse &c.

(3) Tertullianus extremo *capite Apolog.* ,, O gloriam licitam quia humanam! cui nec præsumtio perdita, nec persuasio desperata deputatur, in contemtu mortis, & atrocitatis omnimodæ, cui tantum pro patria, pro agro, pro imperio, pro amicitia pati permissum est, quantum pro Deo non licet. Et tamen illis omnibus & statuas defunditis, & imagines inscribitis, & titulos inciditis in æternitatem; quantum de monumentis potestis scilicet, præstatis & ipsi quodammodo mortuis resurrectionem. Hanc qui veram a Deo sperat, si pro Deo patiatur, insanus est. Sed hoc agite boni Præsides meliores multo apud populum, si illis Christianos immolaveritis. Cruciate, torquete, damnate, atterite nos. Probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur ...... Nec quicquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum ..... Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est ..... Inde est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus. Ut est æmulatio divinæ rei, & humanæ, cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur.

nis noſtræ. Ergo malle nos pati, & placere Deo, quam mentiri, neglectaque vera religione ab Ethnicis magni haberi, & obſtinati deſinere vocari.

III. Sed tanta erat Ethnicorum conſenſio noſtræ diſciplinæ inſtitutioniſque vituperandæ, & ſuæ ſuperſtitionis reſtituendæ, ut modis omnibus quidquid nobis acceſſiſſet exiſtimationis, hoc totum delere calumnia conarentur. Itaque cum pleroſque noſtrum aut neceſſitate, aut voluntate, quod ſæpe fiebat, pauperes eſſe intelligerent (1) quaſi doctrina in paupere nulla eſſe poſſet, tum illud præter cetera, contendebant, indignos eſſe noſtros, qui de rebus divinis diſputarent. At erat manifeſtum viris, qui omnia deſeruerant, ut ſe totos dederent ſtudio rerum divinarum, multo fuiſſe facilius eas percipere, atque explicare, quam liceret his, qui cum divitiis abundarent (2), harum amore ita detinerentur, ut animum ad philoſophiam convertere vix poſſent. Quinetiam etſi, ita ut in omni hominum ſocietate uſuvenit, magno numero Chriſtiani rudes, atque imperiti litterarum erant; tamen, ſi bona fide agere Ethnici voluiſſent, numquam negaſſent multos omni ætate in Eccleſia fuiſſe viros, qui humanarum, divinarumque rerum cognitione (3) excellerent. Quod ſi initio, quos Chriſtus elegerat, ut ceterorum inſtitutores, & magiſtri eſſent, plebei, omniſque eruditionis expertes fuerant, nihilo minus plurimum id conferebat ad cognoſcendam Chriſtianæ religionis divinitatem. Cum enim Philoſophi (4), quorum ſumma erat in ſcribendo, ſubtili-

(1) Cæcilius Ethnicus apud Minucium Felicem in *Octavio pag.* 31. *edit. an.* 1672. „ Itaque, *inquit*, „ indignandum omnibus, indoleſcendumque eſt, audere quoſdam, & hoc ſtudiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium etiam ſordidarum certum aliquid de ſumma rerum, ac majeſtate „ decernere „. Vide etiam, quæ mox ſubjungimus ex eodem Auctore.

(2) Minucius Felix *ibid. pag.* 122. Inducit Octavium reſpondentem hoc modo. „ Et quoniam meus „ frater erupit ægre ſe ferre, ſtomachari, indignari, dolere, illiteratos, pauperes, imperitos, de „ rebus cæleſtibus diſputare; ſciat omnes homines ſine delectu ætatis, ſexus, dignitatis, rationis, „ & ſenſus capaces, & habiles procreatos..... At vero divites facultatibus ſuis implicitos magis au„ rum ſuſpicere conſueſſe, quam cælum. Noſtrates pauperes, & commentos eſſe prudentiam, & tra„ didiſſe ceteris diſciplinam. Unde apparet, ingenium non dari facultatibus &c. Lactantius *l.* 7. *cap.* 1. *pag.* 649. *edit.* 1660. „ Eo, *inquit*, fit, ut pauperes, & humiles Deo credant faciliùs, qui „ ſunt expediti, quam divites, qui ſunt impedimentis plurimis implicati; immo vero catenati & „ compediti ſerviunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretivit, nec poſ„ ſunt in cælum aſpicere, quoniam mens eorum in terram prona, humique defixa eſt. Virtutis autem „ via non capit magna onera portantes. Anguſtus admodum trames eſt, per quem juſtitiæ hominem „ deducit in cælum. Hunc tenere non poteſt, niſi qui fuerit expeditus, & nudus „. Similia habent S. Ambroſius *lib.* 5. in Lucam *cap.* VI. Theodoretus *orat.* VI. *de Provid.*, & Hieronymus *in cap.* III. Jonæ.

(3) Hujuſmodi fuerunt Quadratus, Ariſtides, Dionyſius Areop., Juſtinus Mart., Athenagoras, Clemens Alex., Origenes, aliique ſexcenti, quos numerare non vacat.

(4) Confer Tertullianum *Apol. extremo cap. pag.* 40. *edit.* 1675.

tiliterque disserendo facultas, vix paucos reperissent, qui eis assentirentur, exque eorum nomine aut Pythagorei, aut Platonici dici vellent; Apostoli, qui nunquam studia litterarum (1) coluerant, repente divinitus magistri multarum gentium facti, incredibilem hominum multitudinem ad nostram disciplinam pertraxerunt, consequutique sunt, ut a summo Præceptore Christo Christiani omnes appellarentur. Quamobrem quod Ethnici in dedecus vergere arbitrabantur, hoc ipsum in laudem, & gloriam Christianæ religionis nostri redundare demonstrabant.

IV. Interea cum ob metum inimicorum interdiu congregari Christianis (2) minime liceret, ante lucem rem divinam facturi conveniebant. Ethnici quoniam (3) lege Romanorum cautum erat, ne quis noctu conventus agere auderet, primum omnium nostros in violatæ legis (4) crimen vocarunt. Erat deinde pluribus persuasum congregationes ejusmodi conspirationum, conjurationumque caussas esse solere (5). Conjurationum duo esse genera. Alterum in rempublicam, alterum in scelus, quod mali homines

(1) Origenes *lib. 1. contr. Celsum num. 62. pag. 376. Tom. 1. opp. edit. 1733.* „ Qui prudenter, „ & candide, *inquit*, res ab Apostolis Jesu gestas possunt examinare, iis manifestum fieri, hos divina „ virtute roboratos fuisse oportere, ut edocerent Christianam religionem, & homines verbo Dei subji„ cerent. Non enim eis secundum artes Græcorum dialecticas, aut rethoricas dicendi facultas, & „ disserendi ratio inerat, qua auditores suos sibi conciliarent &c.

(2) Tertull. lib. de fuga & persecut. *cap.* xiv. „ *Postremo si colligere interdiu non potes, habes* „ noctem luce Christi luminosam adversus eam. Et *lib.* II. *ad uxorem cap.* iv. „ Quis nocturnis con„ vocationibus, si ita oportuerit, a latere suo adimi libenter feret? „ Imitabuntur autem fideles, qui Hierosolymis post Jacobi mortem noctu in domum Mariæ oratum concurrerunt. *Act.* xii. *v.* 12. Etsi vero persecutio in caussa aliquando fuerit, cur Christiani noctu convenirent, tamen aliæ quoque pleræque erant, quæ illos ut ante lucem interdum congregarentur, movebant. Sed de his caussis suo loco opportune agam.

(3) Origenes *lib. 1. contra Celsum num. 1. pag. 319. Celso volenti traducere Christianismum,* „ *primum caput est, quod fœdera clam ineant inter se Christiani legibus vetita.* Nam fœderum alia „ esse manifesta quotcumque juxta leges fiunt, alia occulta, quæcunque contra leges perficiuntur „. Erat præterea lex Romanorum vetus a Cicerone *in* II. *de legibus cap.* viii. *relata*, qua præscriptum hoc fere modo erat „ *Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, præter olla, quæ pro populo rite fient.* At in nocturnis conventibus Christianorum erant quoque mulieres. Itaque objectum id ab Cæcilio fuit Christianis *apud Minucium in Octavio pag.* 71. *edit. an.* 1672. „ Qui de ultima fæce, *inquit*, col„ lectis imperitioribus, & mulieribus credulis, ... plebem profanæ conjurationis instituunt, quæ *no*„ *cturnis congregationibus* & inhumanis cibis, non sacro quodam, sed piaculo fœderantur. Late„ brosa, & lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula &c. Sunt præterea, qui scribant nocturnas pervigilationes a Romulo fuisse lege sublatas. De qua re consuli potest Turnebus *in loc. modo indicatum Cicer.* Atque huc spectat quod habet Plinius *lib.* x. *epist.* xcvii. de Christianis „ Affirma„ mabant autem (*qui ejuraverant Christum*) hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quod „ essent obliti stato die ante lucem convenire &c. Vide Franc. Balduinum *comment. in laud. epist. Plinii pag.* 750. *edit. an.* 1669.

(4) Vide locum *mox indic. Origenis.*

(5) Tertullianus *Apolog. cap.* xxxix. „ Hæc coitio Christianorum merito sane illicita, si illicitis „ par

nes occultari vellent . Quamobrem si qui forte erant, qui nos ab uno absolvi paterentur , tamen curabant, ut veniremus (1) in alterius suspicionem . Sed Christianis, quum pro Imperatoribus, proque reipublicæ (2) salute orarent, convenirentque non ut scelere (3) aliquo implicarentur, sed ut sese in virtute, ac pietate, quam profiteri, & colere cœpissent, confirmirarent, perfacile fuit accusationem (4) depellere. Ac Præfecti Provinciis, qui in eam rem inquirere constituerant, satis explorate cognorant, quam essent ab utroque eo crimine alieni nostri.


„ par, merito damnanda, si non dissimilis damnandis, si quis de ea queritur eo titulo, quo de factioni-
„ bus querela est. In cujus perniciem aliquando convenimus? Hoc sumus congregati, quod & di-
„ spersi ..... neminem lædentes, neminem contristantes. Cum probi, cum boni coeunt, cum pii, cum
„ casti congregantur: non est factio dicenda, sed curia.

(1) Idem Cæcilius apud Minucium *l. c. Plebem profanæ conjurationis*, (ad scelus nempe) *instituti a Christianis* dicit. Rursum Galerius Marcus Proconsul in Actis S. Cypriani, quem etiam locum supra indicavi, non quidem adversus rempublicam, sed ad scelus conjuratos esse Christianos significavit, quasi ad flagitia, fœdaque scelera perpetranda conspirarent. Ergo *nefariæ conspirationis homines* nostros appellavit. Eodemque sensu apud Prudentium *περὶ Στεφάνων hymn.* xiv. *v. 62. Plebs rebellis* Christiani Ethnicorum more vocantur.

(2) Tertullianus *ibid. cap.* xxx. „ Illuc suspicientes sursum Christiani; manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus; precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæsaris vota sunt &c.

(3) Vide Plinium Juniorem laudata xcvii. *epist. lib.* x.

(4) Tertullianus *Apol. cap.* II. *pag.* 24. *edit. Haverc.* „ Plinius secundus cum Provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Trajanum Imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi nihil aliud se de Sacramentis eorum comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo ut Deo, & ad confœderandam disciplinam; homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cetera scelera prohibentes. Vide Orosium *lib.* vii. *Hist. cap.* xi. Nam eos, qui mulierculas per summos cruciatus, perque vim induxerunt, ut dicerent geri a nostris nefaria quædam in conventu, & synaxi, nihil moror. Vide Just. *Martyr Apol.* II. *n.* II. *& seqq. pag.* 90. *& seqq.* & Eusebium *Hist. Eccl. lib.* ix. *cap.* v.



§. XXVII.

Calumniæ. I. De *occultis notis*, quibus sese Christiani cognoscerent. II. De *Martyribus, quasi mori vellent, ut post mortem eorum corpora balsamo inuncta cum aromatibus sepelirentur*. III. Deque Christianis, quasi *malorum*, *ærumnarumque omnium caussæ essent*. IV. Quemadmodum hæ fuerint a Christianis repulsæ calumniæ.

I. His calumniis aliæ quoque a malevolis excogitatæ accesserant. Nam cum conjurati qui erant, occultis quibusdam notis (1) uterentur, quo a suis distingui possent, conjuratos autem in scelus Christianos esse inimici existimarent; fuerunt, qui eos similibus notis invicem cognosci suspicarentur.

II. Ridicula erat altera accusatio de unguentis. Summa erat Christianorum adversus mortuos, imprimisque Martyres pietas. Ergo eorum corpora unguentis, quæ composita ex aromatibus (2) essent, oblita sepeliebant. Ethnici, ad quorum cognitionem hæc venerant, quoniam *Confessores* incredibili constantia perferre cruciatus, mortemque optare cernebant, in eam opinionem venerunt, ut propterea (3) nostros putarent perire velle, quod sperarent fore, ut eorum cadavera, muliercularum industria, unguentis in sepulcro affluerent.

III. Multo erat gravius, quod ajebant, esse omnium malorum, ærumnarumque caussam Christianos, quæ reipublicæ (4) evenirent.

(1) Cæcilius apud Minucium Felicem *in Octav. pag.* 81. *edit. an.* 1672. „ Occultis se notis, *inquit*, & insignibus noscunt, & amant mutuo pene antequam noverint.

(2) Tertullianus *de Corona militis cap.* x. „ Et si me odor alicujus loci offenderit, Arabiæ aliquid incendo, sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola. Et *Apolog.* „ c. XLII. Thura non emimus: Si Arabiæ querantur, sciant Sabæi pluris, & carioris suas merces Christianis „ sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis „. Similia habet in libro *de Resurrectione carnis cap.* XXVIII. Itaque Cæcilius apud Minucium *pag.* 107. *edit. an.* 1672. Nostris vitio dat, quod *reservarent unguenta funeribus*. De reliquiis Martyrum, quæ curari hoc modo solerent, consulenda Acta *SS. MM. Tarachi*, *Probi*, & *Andronici* apud Ruinartium *Act. MM. sincer. pag.* 476. *edit. an.* 1689.

(3) *Acta SS. MM. Andronici*, & *Socior. loco modo indicato*.

(4) Tertullianus *Apolog. cap.* XL. *pag.* 337. *seqq. edit. Haverc.* „ Prætexentes ad odii defensionem „ illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chri„ stianos esse in caussa. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cælum stetit, „ si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem. Tantos ad unum? „ Hujusmodi Ethnicorum conquestiones leguntur etiam apud Origenem, Arnobium, aliosque Apologistas. Vide Nourrium *Apparat. in Biblioth. SS. PP. Tom.* II. *pag.* 1.

evenirent. Nam si siccitate, si inundatione, si bello, si peste, si fame civitas premebatur, continuo culpa omnis in nostros transferri ab improbis consueverat.

IV. Majores nostri, qui unde hæ omnes profectæ essent calumniæ certo scirent, susceperunt sui, suorumque fratrum defensionem. Itaque negarunt ullas sibi occultas notas esse, quibus suos ab alienis (1) secernerent. Innocentiam, modestiamque signa Christiani esse docuerunt. Nostros, cum his virtutibus ornati essent, sese mutuo fratres vocare, quod religione, sanctitateque morum unius Dei parentis filii censerentur, & essent. Quod de unguentis Ethnici nugarentur, falsum (2) esse. Solere Christianos Sanctorum Martyrum reliquias aromatibus condire. Eorum, qui sic agerent, pietatem laudari (3) oportere. Martyres autem non tam dementes esse, qui vitæ aromata, & unguenta, quibus mortui olerent, anteponerent. Sempiternam felicitatem, quam expectarent, caussam solam esse, cur tam strenue cum tyrannis confligerent. Nullius ponderis esse, quod exprobrarent, Christianorum improbitate fieri, ut civitas tot adversis rebus premeretur. Quemadmodum enim cladium, terræ motuum, inundationum caussæ essent, qui laboribus, qui jejuniis, qui precibus (4) Dei

Z 2 numen

(1) Minucius *in Octavio pag.* 312. *edit. an.* 1672. ,, Nos non notaculo corporis, ut putatis, sed ,, innocentiæ, ac modestiæ signo facile dignoscimus. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quo- ,, niam odisse non novimus: sic nos quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ,, ut consortes fidei, ut spei cohæredes.

(2) Vide Tertullianum, & Acta SS. MM. *Tarachi*, *Probi*, *&* *Andronici l. c.*

(3) Imirabamur enim exemplum mulieris, quæ laudata proinde a Christo fuit apud Matthæum *cap.* XXVI. *v.* 10. *&* 12. Nam sic Christus loquutus est, *ἔργον καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμέ. Βαλοῦσα γὰρ αὕτη τὸ μύρον τοῦτο ἐπὶ τοῦ σώματός μου, πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν. Opus bonum operata est in me. Mittens enim ipsa unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Negari autem nequit, quin nostri mutuati eum morem sepeliendi cum aromatibus cadavera ab Judæis fuerint, suumque fecerint, præsertim cum eumdem sequuti fuerint primi Christiani, qui corpus Servatoris sepulcro condiderunt. Johannes *cap.* XIX. *Evang. v.* 39. ,, Venit autem & Nicodemus, ,, *inquit*, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam mirrhæ, & aloes, quasi libras cen- ,, tum. Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis ,, sepelire.

(4) Tertullianus *Apolog. cap.* XL. *pag.* 348 ,, Leviora nunc accidunt, ex quo Christianos a Deo ,, orbis accepit. Ex eo enim & innocentia seculi iniquitates temperavit, & deprecatores Dei esse ,, cœperunt. Denique cum ab imbribus æstiva hyberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem ,, quotidie pasti, statimque pransuri balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, aquilicia Jovi ,, immolatis, nudipedalia populo denunciatis, cælum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus ,, bus expectatis, aversi ab ipso Deo, & cælo. Nos vero jejuniis aridi, & omni continentia expressi, ,, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco, & cinere volutantes, invidia cælum tundimus, Deum tangi- ,, mus, & cum misericordiam extorserimus, Jupiter honoratur a vobis, Deus negligitur. *Cap.* XLI. ,, Vos igitur importuni rebus humanis, vos rei publicæ incommodorum, vos malorum illices sem- ,, per, apud quos Deus spernitur, statuæ adorantur. Utique enim credibilius haberi debet eum ira- ,, sci, qui negligatur, quam qui coluntur.

numen placare, qui caste, integreque vivere, qui nihil moliri, nisi quod rectum, quodque æquum esset, solerent? Christianos autem, quorum hæc erat institutio vitæ, Ethnici ne objurgarent, qui vino madebant, qui balneis, cauponis, lupanaribus *operati*, sacra pro eliciendis aquis Jovi immolabant, *denunciabantque nudipedalia* populo, & nubila e laquearibus præstolabantur? Quod si hi, qui tam corruptis moribus viverent, nostri caussa his tantis malis rempublicam laborare affirmabant, cur non item ea nobis incommoda, quæ ante Christi adventum evenissent (1), tribuerent? Si igitur eorum auctores Christiani non erant, agi ipsos reos ne novorum quidem posse. Pro quibus rebus orare, ac postulare se, ut innocentiæ suæ ratio haberetur, quorum opera, si Ethnici fecissent vexandi finem, non oneri reipublicæ esset, sed utilitati futura.

§. XXVIII.

Accusati Christiani. I. Quod *Theatris*, *ceterisque spectaculis*. II. Quodque *conviviis se abstinerent*. III. Quod *mortuorum corpora non cremarent*. IV. Quod *mortuos & sepulcra non coronarent*.

I. ACcesserat de *spectaculorum contemtu* instructa ab Ethnicis criminatio. Etsi autem certum erat Christianos ab hoc genere omni abhorruisse, non eo tamen se abstinebant, quo res, quas esse putarent honestas, aversarentur. Itaque calumnia (2) Gentiles ajebant,

(1) Tertullianus *Apolog. cap.* xl. „ Oro vos, ante Tiberium, id est ante Christi adventum, quantæ „ clades orbem, & urbem ceciderunt? Legimus Hieran, Anaphen, & Delon, & Rhodon, & Co in„ sulas multis cum millibus hominum pessum abiisse ..... Ubi vero tunc Deorum vestrorum contemtores „ Christiani? ..... Semper humana gens male de Deo meruit, primo quidem ut inofficiosa ejus, quem „ cum intelligeret ex parte, non solum non requisivit timendum, sed & alios sibi citius commenta „ est, quos coleret; dehinc quod non inquirendo innocentiæ magistrum & nocentiæ judicem, & exa„ ctorem, omnibus vitiis, & criminibus inolevit. Ceterum si requisisset, sequabatur, ut recogno„ sceret requisitum, & recognitum observaret, & observatum propitium magis experiretur, quam „ iratum. Eumdem ergo nunc quoque scire debet iratum, quem & retro semper priusquam Christiani „ nominarentur. &c.

(2) Cæcilius apud Minucium Felicem *in Octav. pag.* 105. *& seq. edit. an.* 1672. „ Vos vero su„ spensi interim, atque solliciti, honestis voluptatibus abstinetis, non spectacula visitis, non pom„ pis interestis &c. „ Quamobrem Octavius apud Minucium respondet *pag.* 343. „ Nos igitur, qui mori„ bus, & pudore censemur, merito malis voluptatibus, & pompis vestris, & spectaculis abstinemus, „ quorum & de sacris originem novimus, & noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis currulibus „ quis non horreat populi in se rixantis insaniam? In gladiatoriis homicidii disciplinam? In scenicis „ etiam

ajebant, a ſpectaculis, theatriſque, quæ honeſta eſſe oblectamenta cenſerent, Chriſtianos fuiſſe alienos. Erat vetitum noſtris genus omne ſpectaculorum, quod orta omnia e ſuperſtitione eſſent, nihilque continerent, quod non aut vanum, aut crudele, aut inſanum, aut impudicum eſſet. Has enim ob cauſſas Patres & theatrum, & ſpectacula quæque ſumma conſenſione reprobaverunt, Chriſtianiſque omnibus auctores fuerunt, ut ſibi, ne his intereſſent, caverent.

II. Datum præterea noſtris vitio ab Ethnicis eſt, quod publicis conviviis (1) adeſſe recuſarent. Non negabant Patres vera hæc eſſe, quæ hoſtes nobis opponerent. At fas non eſſe ajebant ei, qui Chriſto nomen dediſſet, ejuſmodi conviviis intereſſe, in quibus nihil, quod non ſuperſtitionem, luxum, (2) impudentiam, obſcœnitatem oleret, videretur. Quare agi illos oportere idololatriæ criminis (3) reos, qui genus illud conviviorum frequentarent. Eſſe autem nobis convivia noſtra, ſed ſobria, ſed (4) pudica, ſed ejuſmodi, quæ gravitatem, atque modeſtiam præſeferrent. Addebant in hanc ſententiam complura; quibus audaciam objurgatorum comprimebant.

III. Accu-

„ etiam non minor furor, turpitudo prolixior. Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel mon-
„ ſtrat. Nunc enervis hiſtrio amorem dum fingit, infligit. Idem Deos veſtros induendo ſtupra, ſu-
„ ſpiria, odia dedecorat..... Tertullianus *Apol. cap.* XXXVIII. Æque ſpectaculis veſtris in tantum re-
„ nunciamus, in quantum originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas, cum & ipſis re-
„ bus, de quibus tranſiguntur prætervimus. Nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu cum inſania circi,
„ cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum vanitate xyſti. Licuit Epicureis aliquam
„ decernere voluptatis veritatem. Quo vos offendimus, ſi alias præſumimus voluptates? *Si* oblecta-
„ ri noviſſe nolumus noſtra injuria eſt &c. Sed de Patrum decretis quæ ſunt de ſpectaculis, erit libro IV. hujuſce operis copioſias differendum.

(1) Sic enim Chriſtianos alloquitur Cæcilius apud Minuciam *in Octav. pag.* 106. *Convivia publica abſque vobis*.

(2) Tertullianus *Apolog. cap.* XXXV. „ Grande videlicet officium focos, & toros in publicum edu-
„ cere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim
„ curſitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gau-
„ dium per dedecus publicum &c. Conſule Nourrium *Tom.* II. *Apparat. in Biblioth. SS. PP. pag.* 1508.

(3) Vide Sanctum Cyprianum *epiſt.* LXVII. *pag.* 289. *edit. an.* 1700. ubi de Martiali Epiſcopo agit.

(4) Minucius Felix *l. c. pag.* 308. *edit. an.* 1672. „ Convivia non tantum pudica colimus, ſed &
„ ſobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, ſed gravitate hilaritatem tem-
„ peramus. Et Tertullianus *Apolog. cap.* XXXIX. Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Id voca-
„ tur *ἀγάπη*, id quod dilectio penes Græcos eſt. Quotiſcumque ſumtibus conſtet, lucrum eſt pieta-
„ tis nomine facere ſumtum, ſiquidem inopes quoſque refrigerio iſto juvamus, non qua penes vos pa-
„ raſiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi,
„ ſed qua penes Deum major eſt contemplatio mediocrium. *Si* honeſta cauſſa eſt convivii, reliquum
„ ordinem diſciplinæ de cauſſa æſtimate, qui ſit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immode-
„ ſtiæ admittit, non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum eſurien-
„ tes cupiunt, bibitur quantum pudicis eſt utile; ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per no-
„ ctem

III. Accuſabantur rurſum Chriſtiani, quod non probarent eorum conſuetudinem, qui corpora (1) mortuorum cremarent. Id enim eo conſilio a nobis dici Ethnici putabant, quaſi combuſtis corporibus vereremur, ne eorum aut nulla, aut difficilis reſtitutio eſſet. Quamobrem irridebant religionis noſtræ decreta, ac ſi eſſent plena ineptiarum. Corpus enim, quod crematum non eſſet, ſolvi tandem in pulverem oportere. Patres, non eſſe noſtros tam hebetes, tamque ſtolidos, reſpondebant, ut corpora lapſu temporum diſſolvi negarent. At velle, ut vetus ſepeliendorum cadaverum conſuetudo (2) retineretur. Corpus omne, ſive in pulverem comminuatur, ſive areſcat, ſive in humorem ſolvatur, in poteſtate Dei eſſe. Caſum ergo nullum impedire corporum reſtitutionem poſſe, quam Deus decrerit aliquando futuram. Quod cadavera ſepelirent, eſſe pleraque in natura ſigna, quæ hoc idem decere, ac proinde facere hortarentur.

IV. Extrema erat accuſatio, quod Chriſtiani (3) neque mortuos, neque (4) ſepulcra coronarent. Majores noſtri, eſſe utrumque

„ ctem adorandum ſibi Deum eſſe. Ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem, & lumina, ut quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur, quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit. Inde diſceditur non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eamdem curam modeſtiæ, & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverit, quam diſciplinam. Sed de Agapis Chriſtianorum veterum agam *lib.* IV. ubi diſſeram de majorum noſtrorum moribus.

(1) Minucius Felix ſic introducit Cæcilium *in Octavio* loquentem *pag.* 97. „ Putes eos jam revixiſſe. Anceps malum, & gemina dementia? Cælo & aſtris, quæ ſic relinquimus, ut invenimus, interitum denunciare: ſibi mortuis, extinctis, qui ſicut naſcimur, & interimus, æternitatem repromittere. Inde videlicet & execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas, quaſi non omne corpus etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram reſolvatur; nec interſit, utrum feræ diripiant, an maria conſumant, an humus contegat, an flamma ſubducat, cum cadaveribus omnis ſepultura, ſi ſentiunt, pœna ſit: ſi non ſentiunt, ipſa conficiendi celeritate medicina.

(2) Octavius apud Minucium *pag.* 356. *& ſeqq.* reſpondet Cæcilio hoc modo. „ Ceterum quis tam ſtultus aut brutus eſt, ut audeat repugnare hominem a Deo, ut primum potuiſſe fingi, ita poſſe denuo reformari?... Porro difficilius eſt id, quod non ſit, incipere; quam id quod fuerit iterare. Tu perire & Deo credis ſiquid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur? Corpus omne ſive areſcit, ſive in humorem ſolvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubducitur nobis, ſed Deo elementorum cuſtodi reſervatur. Nec ut creditis, ullum damnum ſepulturæ timemus. Sed veterem, & meliorem conſuetudinem humandi frequentamus „. Præterea Lactantius *lib.* VI. *cap.* XII. „ Non quærimus nunc, utrum tota ſepeliendi ratio ſit utilis, nec ne: ſed hæc etiam ſi ſit inanis (ut illi exiſtimant) tamen facienda eſt, vel ob hoc ſolum, quod apud homines bene, & humane fieri videtur. Animus enim quæritur, & propoſitum ponderatur. Non enim patiemur figuram, & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacere, ſed reddamus id terræ, unde ortum eſt „. Origenes *lib.* VIII. *contra Celſum* n. XXX. *pag.* 764. *Tom.* I. *opp. edit. Monachor. S. Mauri*. S. Auguſtinus *de civ. Dei lib.* I. *cap.* XIII. Sed de hac re alias.

(3) Conſule Minucium *in Octav. pag.* 347. *edit. an.* 1672. Tertullianum *lib. de Corona militis cap.* X. Clementem Alexandrinum *lib.* II. *Pædagogi cap.* VIII.

(4) Cæcilius apud Minucium *pag.* 109. *edit. an.* 1672. Chriſtianos alloquens: *coronas*, inquit, *etiam*

que verum, fatebantur. Neutrum autem sibi probari docebant posse, propterea quod nescio quid in iis usibus reperirent, quod superstitionem contineret. Ad mortuos, quod attinebat, coronari eos ab Ethnicis, ut consecrati, velut idola essent (1), censerentur. Nam de sepulcris cur a nobis non coronarentur, neque floribus sparsis ornari solerent, hanc esse caussam. Quod origo coronarum idololatrica esset; quodque mortui delectari odore non possent, qui sensu carerent. Verti ab nostris igitur (2) in meliorem usum flores, qui eis, dum viverent, uterentur. Hæc vero Patres dicebant, quo ne convenire cum Ethnicis ulla in re viderentur, in qua species quædam, & umbra superstitionis esset. Ceterum temporis progressione, cum jam periculum idololatriæ nullum erat, factum est, ut circum sepulcra flores a Christianis spargerentur, de qua re erit alibi opportunior disputandi locus.

§. XXIX.

etiam sepulcris denegatis. Ante Minucium Justinus Martyr *Apolog. 1. n.XXIV. pag. 58. edit. Monach. S. Mauri* reprehensos nos ab Ethnicis fuisse scripsit ὅτι τοῖς ἀποθανοῦσι ἐν ταφαῖς στεφάνους *quod mortuis in sepulcris Coronas* non poneremus.

(1) Tertullianus *de coron. milit. cap. X.* „ Quod tam indignum Deo, quam quod dignum idolo. „ quam quod & mortuo? Nam & mortuorum est ita coronari, vel quoniam & ipsi idola statim fiunt & „ habitu, & cultu consecrationis. Quæ apud nos secunda idololatria est.

(2) Tertullianus *lib. de Corona militis cap. V.* „ Coronam forte si fascem existimes florum per se„ riem comprehensorum, ut plures semel portes, omnibus pariter utaris: jam vero & in sinum conde, „ si tanta munditia est; in lectulum sparge, si tanta mollitia est, tot modis fruere, quot & sentis „. Helmenhorstius in notationibus *in Minucium Felicem pag. 346. edit. an. 1672.* ubi hæc Tertulliani verba retulit, tum „ Parci, *inquit*, Christianos usos floribus sparsis, sertis, & solutis ad simplicem „ usum, non ad aspersginem, & φιλοβολίαν solemnem, qua illos afficiebant, quos honore deco„ ratos volebant. Copiose de hac re agit Isaacus Casaubonus *in animad. in Sueton. pag. 186.* Minucius etiam *in Octavio pag. 346.* „ Quis autem, *inquit*, ille, qui dubitat vernis indulgere nos flo„ ribus, cum capiamus & rosam veris, & lilium, & quidquid aliud in floribus blandi coloris, & odo„ ris est? His enim & sparsis utimur, mollibus, ac solutis, & sertis colla complectimur. Sane quod „ caput non coronamus, ignoscite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio, capillisve so„ lemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror quemadmodum tribuatis aut „ sentienti facem, aut non sentienti coronam: cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat flori„ bus. At enim non exequias adornamus eadem tranquillitate, qua vivimus, nec adnectimus arescen„ tem coronam, sed a Deo æternis floribus viridem sustinemus. Adeundi Clemens *Alex. lib. II. Pædag. cap. VIII.* Tertullianus loco mox indicato, & Cyprianus *lib. de Lapsis pag. 87. edit. Oxon. an. 1700.* Quod attinet ad usum, qui sublata idololatria, invectus deinceps est spargendi flores circa sepulcra, consulendi Prudentius Hymno *in exsequiis Sanctorum pag. 76. edit. an. 1687.* ubi hæc habet:

Nos tecta fovebimus ossa
Violis, & fronde frequenti,
Titulumque, & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Et Sanctus Hieronymus *epist. LIV.* ad Pammachium *pag. 584. Tom. IV. opp. edit. Martianai*, quo loco „ Ceteri mariti, *inquit*, super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosque flo„ res, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Sed de hac re alias.

§. XXIX.

Contumeliosis nominibus, atque calumniis, quibus Ethnici nostros insectabantur, veritas Christianæ religionis confirmata est.

HIS tot calumniis, totque contumeliis, quibus nostros Ethnici exagitabant, consistere profecto Christiana religio nequivisset, nisi divinitus in hominum vitam permanasset. Namque cum inimicis nostris persuasum vehementer esset, tot sceleribus, flagitiisque implicatos nos esse, quot ne numerari quidem possent, (nolui enim plerasque alias accusationes commemorare ne longior essem, quam oporteret) qua ratione nostri, qui & exiguo numero erant, & comparatione hostium eloquentia, potentia, ceterisque humanis præsidiis nihil valebant, potuissent invidiam, odium, audaciam, superstitionem denique tam inveteratam, tamquam penitus insitam superare, eamque (1) in mundum invehere, ac propagare religionem, quæ nova, quæ rigoris, quæ periculorum, quæ immanitatis, præstigiarum, malorumque omnium plena esse diceretur? Non ergo humanis viribus, non arte, qua Apostoli carebant, non fraude, quæ detecta sine dubio fuisset; sed divina virtute factum est, ut quæ disciplina irrideri ante, despicique soleret, ea brevi occupaverit universum fere orbem terrarum. Neque enim ii solum ad ipsam colendam accesserunt, qui nihil de tot calumniis audissent, sed illi etiam ipsi, qui summo in (2) nostros odio ferebantur, quique cum vera esse, quæ de nobis spargi consuerant, arbi-

(1) Vide Origenis locum, quem supra retuli ex *lib. 1. contra Celsum num. XXII. pag. 376. Tom. 1. opp. edit. Monach. S. Mauri.*

(2) Ex horum numero fuit Minucius, qui in *Octav. pag. 256. edit. an. 1672.* „ Quam autem iniquum „ sit incognitis, & inexploratis judicare, quod facitis, nobis ipsis pœnitentibus redite; & nos enim „ idem fuimus, & eadem vobiscum quondam adhuc cæci, & hebetes sentiebamus, quasi Christiani „ monstra colerent, infantes vorarent, convivia incesta miscerent: nec intelligebamus ab his fabulas „ istas semper ventilari, & numquam vel investigari, vel probari, nec tantopere aliquem existere, „ qui proderet, non tantum facti veniam, verum etiam judicii gratiam consecuturum. Malum au„ tem adeo non esse, ut Christianus reus nec erubesceret, nec timeret, & unum solummodo, quod „ non ante fuerit, pœniteret. Nos tamen cum sacrilegos aliquos, & incestos, parricidas etiam de„ fendendos, & tuendos suscipiebamus, hos nec audiendos in totum putabamus: non numquam etiam „ miserantes eorum, crudelius sæviebamus, ut torqueremus confitentes ad negandum, videlicet, ne „ perirent, exercentes in his perversam quæstionem, non quæ verum erueret, sed quæ mendacium „ cogeret. Et si quis infirmior malo pressus, & victus Christianum se negasset, favebamus ei, quasi „ ejeratu nomine, jam omnia facta sua illa negatione purgaret. Agnoscitis ne eadem nos sensisse, & „ egisse, quæ sentitis, & geritis? „ Consule Justinum Martyrem, qui similia horum scribit. *Apolog. I. n. XII. p. 96. edit. Paris. Monach. S. Mauri.*

arbitrarentur, auctores tyrannis erant, ut Christianos etiam incognita caussa condemnarent. Quæ res quemadmodum sine providentia singulari sempiternæ illius mentis, quæ condidit, moderaturque omnia, evenire potuerit, ne ii quidem suspicari queunt, qui Christianam religionem nullam esse optarent. Atque hæc de calumniis ea voluntate dicta sunt, quo constaret unde profecta tot contumeliosa nomina fuerint, quæ Ethnici excogitarant, ut nostros indignis modis ludificarentur.

FINIS LIBRI PRIMI.



LIBER II.

DE ORIGINE, ET PROPAGATIONE CHRISTIANÆ RELIGIONIS.

QUUM priorem librum, qui erat de *nominibus* absolvissem, sæpe ac multum mecum cogitavi, iis ne assentirer, qui me hortarentur, ut in hoc secundo de ratione Christianæ reipublicæ agerem, an aliis plerisque viris obtemperarem, qui non minore ingenio, dijudicandarum autem hujusmodi rerum facultate multo majore excellerent, quique, ubi intellexerunt, me quamvis hæsitantem, tamen hoc loco primordia, progressusque Christianorum, quam ullam rem aliam explicare malle, consilium meum non solum probarent, sed etiam ut sequerer, juberent. Nam quoties virorum quorumdam eruditorum, qui de Antiquitatibus Ecclesiæ commentarios edidissent, instituta, ordinemque scribendi considerabam, cognoscebamque fuisse ab illis, quod erat *de origine* prætermissum, verebar equidem ne, si eorum, qui magnam essent in hoc genere laudem consequuti, exemplum imitari nollem, reperirentur permulti, qui me, ita ut fit, reprehenderent, quod cum auctores, quos sequerer haberem, tamen existimationi, auctoritatique eo-

rum prætulerim paucorum consilium, & opinionem meam. Ubi contra tot hominum tanta historiæ, omnisque doctrinæ gloria illustrium morem animo colligebam, intelligebamque, eos antequam ad ritus, ceremonias, leges, ædes, ac reliqua omnia, quæ propria veterum aut Græcorum, aut Romanorum erant, describenda animum contulissent, de origine, deque progressu illius Gentis, cujus antiquitates explicare statuerant, agere consuesse; retinere non poteram, quin horum in partes propenderem, & consuetudinem non laudandam modo, sed etiam colendam putarem. Ac me diu quidem cogitantem ratio ipsa in eam sententiam induxit, ut arbitrarer seriem potius rerum, quæ mihi esse aptior videretur, quamque multi alio in genere consectati fuissent, quam illorum conquestiones, reprehensionesque attendi oportere, quibus si parerem, alterum fortasse efficerem, ut tacerent, alterum certe non possem, ut multis aliis, mihique ipsi potissimum satisfacerem. Sed cum mecum constituissem de primordiis, & propagatione ante differere, quam de moribus, de republica, de ædibus, de vasis, de vestibus, de imaginibus sacris, deque rebus ceteris Christianorum disputarem; animadverti laborandum mihi in ea re maxime fuisse, ut distincte omnia, distributeque dicerem, ne si, quod operæ pretium erat, prætermisissem, parum hominibus nostris prodessem, nullumque fructum laboris mei, & vigiliarum ferrem. Itaque, ut ordine procederem, cognoscique posset, qua providentia, qua virtute, quibus præsidiis orta primum Christianorum societas fuerit, tum latius manaverit, sicque postremo propagata sit, ut sibi universum fere terrarum orbem subegerit; explicandum initio esse judicavi, quis tunc cum natus est Christus Judæorum, quis Romanorum, quis reliquarum gentium status esset; deinde quemadmodum oriri hæc ipsa religio cœperit, & per quos demum homines ita producta ab humili ad summum pervenerit, ut nulli jam hostes essent, qui etsi conarentur, eam tamen aut tollere, aut diprimere valerent.

CAPUT

CAPUT I.

De Reipublicæ Judaicæ statu quo tempore Christus inter homines versabatur.

§. I.

Cujusmodi esse ea ætate respublica Judæorum debuerit.

NAtio erat Hebræorum omnis divisa in tribus duodecim, quæ a totidem Jacobi Patriarchæ filiis nomina ceperant (1). Hæc omnes iisdem legibus, sacrisque a Mose Propheta Dei jussu constitutis vivebant. Namque his ante scriptum jus nullum erat, propterea quod in Ægypto mansissent, ac dura pressæ fuissent servitute. Posteaquam Chananitidis regionis, ita ut promissum Abrahamo Patriarchæ divinitus fuerat, potitæ sunt, pulsis ab Josua exercitus duce gentibus, quæ eam incolerent, principes habuerunt, quos judices vocabant, & quorum ad arbitrium rerum omnium, consiliorumque summa redibat. Samuel Propheta judicum postremus fuit. Ad eum, cum consenuisset, majores natu civitatis adierunt rogatum, ut unum aliquem regem diceret. Saul tunc erat vir magna statura, & fortis e Beniamitica tribu. Hunc Propheta, consulto Deo, unxit, constituitque Hebræorum Regem. Post Saulem David e tribu Judæ Regnum obtinuit. Davide vita functo, Salomonem ejus filium Hebræi Regem crearunt, qui moriens filium Roboamum hæredem Regni reliquit. Is Roboamus cum in Patris locum successisset, populoque roganti, ut æquiore imperio uteretur, negasset finem se injuriis facturum, in caussa fuit, cur Regnum in factiones duas divideretur. Nam etsi tribus Judæ, & Beniamini, & pars maxima Levitarum ejus partes sequutæ sunt, ceteræ tamen Jeroboamo paruerunt. Ergo quæ Roboamo accesserant, *Judæ*; quæ vero Jeroboamo, *Israelis* regnum constituerunt. Israelitæ, quoniam veri Dei cultum neglexerant, deosque Ethnicorum coluerant, primum calamitatibus permultis vexati, deinde libertate privati, alioque ab hostibus deportati, spem omnem redeundi in patriam amiserunt. Itaque periit Israelitarum Regnum. Exacti circi-

(1) Hæc omnia ex *Pentateucho*, & libris *Josua*, *Judicum*, *Regum* & *Paralipomenon* constant.

circiter anni centum & quindecim erant, cum Judæi etiam quod in idololatriam incidissent, peccati sui pœnas luerunt. Etenim magno (1) numero anno ante Christum circiter DCII. Babylonem a Nabuchodonosore transducti sunt, redactique in servitutem. Post annos XVIII. Chaldæi comprehensum Sedeciam Judæorum Regem, luminibusque orbatum cum incredibili hominum multitudine captivum Babylonem miserunt. Hic septuaginta annorum intervallo Judæorum reipublicæ status fuit. Post beneficio Regum Persarum, ita ut prædictum ab Hieremia Prophete (2) fuerat, in Patriam reversi (3), multas eo ex ceteris tribubus Israelitarum familias secum adduxerunt, & templo, mœnibusque urbis Hierosolymæ restitutis, in pristinam se deinceps libertatem vindicaverunt. Cumque Judæ posteri numero, atque opibus ceteris præstarent, factum inde est, ut homines Israelis tribuum reliquarum ab *Juda Judæi* appellarentur.

Jam inde autem ab initio gentis, divinitus acceperant fore, ut extremo reipublicæ tempore magnus Messias veniret, cujus admirabili virtute atque opera nationes omnes in unum populum coalescerent. Indicia, quibus cognosci illius adventus posset, oraculo, quod Jacobus Patriarcha (ex quo tribus omnes natæ erant) afflatu, instinctuque divino morti proximus fuderat, continebantur. Prospexerat enim is, tradideratque futurum, ut plerique ex familia Judæ essent, qui suæ civitatis Regnum obtinerent, utque deinde omnes tribus, imprimisque Beniaminis nomen ex eo (4) caperent; itaque in Juda potestas Regia ante numquam cessaret, quam servator ille veniret, omnesque homines ab errore, atque improbitate ad veritatem, sanctitatemque colendam revocare aggrederetur. Quare non esse tollendum regnum, neque ducem (5), vel scribam, vel Sacrorum præsidem, qui indigena, & natura Judæus esset,

(1) Transvectiones Judæorum Babylona sex circiter fuerunt, atque aliæ quidem copiosiores, aliæ quas minores vocare possumus. Majorum libri Historici meminerunt, quarum una anno 1. altera 8. tertia 10. Nabuchodonosoris anno contigit. Minores ab Hieremia memorantur, ita ut prior anno 7. secunda an. 18. tertia anno 23. Regis ejusdem evenerit. Vide II. *lib. Paral. cap.* XXXVI. *v.* 6. IV. *Reg. cap.* XXIV. *v.* 1. *& seqq. & cap.* XXV. *v.* 10. *& seqq.* & II. *Paral. cap.* XXXVI. *v.* 18. *& seqq.* quibus in locis majores: *Hierem. cap.* XX. *v.* 28. *cap.* LII. *v.* 20. *&* 29. ubi minores describuntur. Nos duarum meminimus, quod necesse non erat omnes numerare.

(2) *Hierem. cap.* XXV. 11. *&* XXIX. 10. *Danielis cap.* IX. *v.* 2. *& lib.* II. *Paralip. cap.* XXXVI. *v.* 21. Consule Natalem Alexandrum *Hist. Eccl. Veteris Testam. Ætat. Mundi* VI. *Dissert.* XII.

(3) Vide Calmetium *Dissert. de Reditu* X. *Tribuum e Captivitate pag.* 590. *& seqq. tom.* 1. *Diss. in Scriptur. edit. Lucensis an.* 1729.

esset, dixit, quoad Schilo (sic enim Messiam nominavit) mitteretur. Quæ res, non secus, atque ille prævideret, evenit.

Namque, ut supra dictum est, Judæ posteris ad trasmigrationis Babylonicæ tempora Reges fuerant. Exactis regibus, cum in Babyloniorum (1) primum, deindeque Persarum (2) ditionem venissent, suos tamen Principes (3) qui e tribu Judæ essent, Pontificesque (4) habuerunt, qui ceremoniis, atque ritibus, quos extra templum

(1) Consule *lib.* II. *Paralip. cap.* XXXVI. *v.* 6. *Hierem. cap.* XX. *v.* 18. IV. *Reg. cap.* XXIV. *v.* 10. *seqq.* & Natalem Alexandrum *Hist. Eccl. Vet. Test. Sexta mundi Ætate Dissert.* III.

(2) Post Babylonici regni divisionem inter Persas, Medosque, Dario Medo, Regibusque Persarum Judæi paruerunt, ut constat ex Prophetia Danielis. Sed de Dario Medo consulendi e nostris Dionysius Petavius Societ. Jesu vir doctissimus *lib.* X. *de Doctr. Temp. cap.* 1X. Natalis Alexander *Hist. Ecclesiast. Vet. Testam. Ætat. Mund.* VI. *cap.* IV. *art.* III. Bernardus Lamius *Apparat. Chronol. in Harmon. Evang. part.* II. *cap.* IV. §. II. *& seqq.* quo quidem capite texit seriem Chronologicam successionum Regum Babyloniorum, & Persarum usque ad Alexandri Magni tempora. E Protestantibus de Dario Ipso singularis est Johannis Marshami sententia in *Canone Chronic. sect.* XVIII. *pag.* 605. quam ex instituto refellit Campegius Vitringa item e Numero Protestantium *Observ. Sacrar. lib.* VI. *cap.* IV. *pag.* 275. *& seqq.* Mitto ceteros, ne Lectori longa Oratione molestiam afferam.

(3) Jechoniam enim, qui rex Judæ fuerat, ab Evilmerodacho libertati restitutum fuisse certum est. *lib.* IV. *reg. cap.* XXV. *v.* 27. *& Hierem.* LII. *v.* 31. Jechonia autem prognatum fuisse Salathielem tradit *Matth. cap.* 1. *Evang. v.* 12. Nec repugnat Hieremias *cap.* XXII. *v.* 30. Ibi enim non statuit sine liberis decessurum Jechoniam, sed ex ejus filiis neminem futurum, qui post ipsum regno potiretur. Vox enim נבזה non tantum hominem libertate carentem, sed etiam *destructum*, *infelicem*, *miserumque significat*. Quamobrem Aquila in Editione secunda *ἀναύξυτον non crescentem*, & Theodotion ἐκκύρη τον *voce præconis ejectum* vertunt. S. Hieronymus *abdicatum*, *& abominabilem* dicere maluit. Quæ res sequentibus Hieremiæ verbis confirmari potest; quæ vertere hoc modo licet. „ *Non prosperabitur* „ *de semine ejus quisquam sessurus in solio Davidis.* Salathielis filius Pedaja Pater Zorobabelis fuit, ut patet 1. *Paral. cap.* III. *v.* 19. quem Zorobabelem proinde Mathæus ab Salathiele genitum scribit loco indicato. At hos principatum in republica Judaica obtinuisse plane colligitur ex 1. *Esdræ libro cap.* 1. *v.* 8. Ubi hæc habentur: *Protulit autem ea* (vasa) *Cyrus Rex Persarum per manum Mithridatis filii Gazabar, & annumeravit ea Sassabassar* PRINCIPI *Juda*. Sassabassar autem idem atque Zorobabel erat, velut edictum Cyri apud Josephum *lib.* XI. *Antiquit. cap.* 2. *pag.* 548. *edit. Haverc. Tom.* 1. postulat, ubi sic habetur „ Vasa quoque, quæ rex Nabuchodonosor a templo olim sustulerat, tradidi in manus Mithridatis quæstoris mei, & *Zorobabelis* Judæorum PRINCIPIS „. Erant ergo Judæis in captivitate Principes, quibus alii obtemperarent. Non enim est credibile tum primum, cum redeundi Judæis potestas est facta, his fuisse datos viros, qui rempublicam moderarentur. Quare ad rem nostram accommodate Rabbi Gedalias *in Schalschel Hackabb fol.* 13. „ Deus Benedictus, *inquit*, propter multa peccata regum Judæ dissolvit robur brachii illorum, & non fuit illis amplius vis, „ ut regnarent in Israelem, sed permisit, ut se extollerent super semen Israelis titulo excellentiæ „ principatus. Jojachim fuit primus illorum, & post paucos dies mortuus est in Babele, Selathiel „ vero filius Jojachimi fuit princeps, & caput exsulum post mortem sui Patris, ibique obiit. Illi successit Zerubabel „. Atque huc etiam spectat, quod in Talmud *lib. Sanhedrin cap.* XI. legitur: *Sceptrum penes exsules in Babylone remansisse.* Hinc vero ortum est τῆς αἰχμαλωτάρχων *Principum eorum qui bello capti essent* vocabulum; quorum quidem Principum quanta auctoritas esset, docet proverbium Judæorum, quod *n.* 2112. *ad Eusebium* refert Josephus Scaliger: αἰχμαλωτάρχης τῷ βαβυλῶνι ἐξοχώτερος ἄρχοντος τῆς γῆς ἰσραήλ. *Echmalotarcha in Babylone excellentior est quovis principe terræ Israelis.* Erant præterea Principes paternarum familiarum, quorum in coloniis illustris esset ordo. Nam hi senatores ad Ezechielem sæpe, consultandi caussa, venire consueverant. Vide *cap.* VIII. XIV. *&* XX. *ejusd. Proph.* Quod si Principes Judæi Babylone habebant, qui eorum rempublicam regerent, existimandum est, non servos *proprie* fuisse, sed colonos liberos. Id vero satis est accurate demonstratum a *Phaletrano Diss. de Vat. Jac. cap.* X.

(4) Esdræ *lib.* 1. *cap.* VIII. *v.* 5. De hoc argumento multis disserit Phaletranus *ibid. cap.* IX.

templum colere licebat, præessent. Salathiel & Zorobabel ex eorum Principum numero fuerunt. Is civibus suis Patriæ restitutis aliquamdiu, nomine Regum Persarum, Rempublicam administravit (1). Ejus enim etsi magnum, supremum tamen Imperium non erat. Post ubi Judæi persectam libertatem sunt (2) consequuti, Levitici generis Ducibus usi sunt, qui cum indigenæ Judææ essent, ad regnum Judaicum spectabant. Etenim majores eorum Roboami ætate in Judæa manserant, cumque tribubus Judæ ac Beniamini unam civitatem regnumque constituerant, quod Judaicum appellabatur (3). Postremi Duces, Assamonæi dicti fuerunt, & qui etsi non voce, auctoritate tamen (4) Reges æquabant.

Anno ante æram vulgarem Christianorum tricesimo ac septimo (5) Herodes Idumæus præsidio, auxiliisque Romanorum interfecto Antigono, qui e tribu Levi postremus Principum Assamonæorum fuit, Regnum Judaicum occupavit; Quare, translatum sceptrum, quemadmodum oraculum ferebat, ab Juda in hominem est,

(1) Vide quæ de hac re egregie disputant Petavius in libris de *Doctr. temp.* Natalis Alex. *in hist. vet. Testam.* aliique, qui de rebus Judæorum commentarios ediderunt. Consule præterea *lib.* I. & II. *Esdra*, & Josephum *toto lib.* XI. *Antiq.*

(2) Josephus *lib.* XI. *Antiquit. cap.* IV. *pag.* 559. *Tom.* I. *opp. edit. Haverc.* „ Hierosolyma, *inquit*, incoluerunt instituta ea reipublicæ forma, quæ optimatum est paucorum potestate mixta; nam „ Pontifices summæ rerum præfuerunt, donec Assamonæorum genus regnum obtinuit „. *Et lib.* XX. *cap.* X. *pag.* 976. „ Jesus Josedeci filius, unus e captivis, qui reversi sunt, Pontificatum accepit. Atque is, „ posterique ejus, quindecim universi, usque ad regem Antiochum Eupatora, liberi populi statum rexe- „ runt „. Atque hinc fortasse evenit, ut Justinus Historicus *lib.* XXXVI. *cap.* II. Judæos *eosdem reges, atque Sacerdotes* habuisse diceret. Itaque Alexander Macedo, cum Tyrum expugnaret, ab Jaddo Pontifice Judæorum auxilia petiit. *Jos. l.* XI. *cap.* VIII. *pag.* 579. Id vero cur fecisset, nisi potestas summa penes Pontifices fuisset?

(3) Vide supra *pag.* 189.

(4) Consule *lib.* I. & II. *Machabeor.* Erant hi quidem e Tribu Levi. Cum Antiochus Epiphanes, captis Hierosolymis, populo libertatem adimere conaretur, Matthias Johannis filius, Simonis nepos ab abavo Assamonæus dictus, primus ad arma conclamavit, suoque exemplo Judæos docuit pugnare. I. *Mach. cap.* II. *v.* I. & *seqq.* Matathiæ successit Judas filius. I. *Macab. cap.* III. Judæ Jonathanus ejus frater. I. *Mach.* IX. *v.* 29. & *seqq.* Jonathano Simon item ejus frater. I. *Mach.* XIII. Simoni filius Johannes. Joseph *lib.* XIII. *Antiq. cap.* VI. Johanni Aristobulus filius, qui primus ausus est se regem dicere. Joseph *lib.* XIII. *cap.* XI. Aristobulo Alexander frater. Joseph *lib.* XIII. *cap.* XII. Post Alexandri interitum Alexandra uxor rempublicam moderata est, qua mortua bellum oritur, tandemque Hircanus Alexandri filius imperio potitur ea conditione, ut Romanis stipendium penderet. *Joseph lib.* XIV. *cap.* I. & *seqq.* Ab Hircano steterat Antipater Idumæus Herodis Pater. *Joseph lib.* XIV. *cap.* I. & *seqq.* Antigonus Aristobuli fratris Hircani filius erat. Is cum patruo exercebat inimicitias, Quo e vivis sublato Herodes tyrannidem occupavit, Hircanumque deinde interfici curavit. *Joseph lib.* XIV. *cap.* XII. & *seqq.*

(5) Nam anno 40. ante æram vulgarem vocatus Rex ab Senatu fuit, cum Cajus Domitius Calvinus secundum, & Cajus Asinius Pollio Coss. essent, ut narrat Josephus *lib.* XIV. *Antiq. cap.* XIV. *pag.* 728. *Tom.* I. *opp. edit. Haverc.* Consule Norisium *dissert.* II. *De Cenotaph. Pisan. p.* 139. & Antonium Pagium *ad Annal. Baron. Appar. pag.* 17. *primæ edit.* Anno vero 37. ante æram eamdem Marco Agrippa, & Caninio Gallo Coss. vicit, & ab Antonio interfici Antigonum fecit, ut est ab Josepho memoriæ commendatum *lib.* XIV. *Antiq. cap.* XV. *pag.* 732.

est, qui neque Judææ in ligena, neque ex ulla tribu Israelis esset. Quod quidem argumento plerisque fuit, ut instare Messiæ tempus arbitrarentur (1). Accedebant corruptissimi mores (2) civitatis, incredibilisque in legibus, quæ a Mose latæ fuerant, violandis, atque pervertendis impudentia. Præterea hominibus obscuro loco natis, (3) improbisque (4) sacerdotia deferebantur. Erat item populus in factiones divisus, quorum aliquæ sanctiora decreta religionis (5) negabant. Quæ res omnes ostendebant, velut prædictum a Prophetis fuerat, brevi esse laborantem rempublicam perituram. Cumque persuasum omnibus esset, tolli eam funditus ante illius adventum nequire, cujus Regnum esset beatum, sempiternumque (6) futurum, serpere primum (7) in Palæstina cœpit, tum latius pervagata, in occidentem etiam manavit fama, quæ nunciaret, fore ut unus aliquis tunc ex Judæa profectus universi orbis imperio potiretur.

(1) Ex horum numero erat Simeon ille, προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ. *Expectans consolationem Israel*, quique certior factus divinitus fuerat, se non ante esse moriturum, quam vidisset τὸν χριστὸν τοῦ κυρίου *unctum Domini*. *Luca* II. *v.* 25. *& seqq.* Idem & ex Philippi ad Nathanaelem verbis colligitur, qui apud Johannem 1. *cap. Evang. v.* 46. ὃν ἔγραψε inquit Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ, καὶ οἱ προφῆται εὑρήκαμεν. *Quem scripsit Moses in lege, & Prophetæ invenimus*. Atque ea opinio Samaritas quoque incenderat. Vide *Johan. Evang. cap.* IV. *v.* 25. *& seqq.*

(2) Josephus *lib.* XV. *cap.* 21. *pag.* 780. & alibi sæpe.

(3) Josephus *lib.* XV. *cap.* II. *pag.* 742. „ Cavens (Herodes), ne quemquam illustrium Dei Pontifi-
„ cem faceret, Babylone quemdam ignobiliorum Ananelum nomine accivit, eique Pontificatum de-
„ dit. Consule *& cap.* III. *pag.* 744.

(4) Consule Josephum *lib.* XX. *cap.* 12. *pag.* 975.

(5) Vide infra ubi de sectis Judæorum agitur.

(6) Atque est profecto Samuelis Basnagii perniciosa sententia, qui contra veterum Hebræorum Patrum omnium, novorumque scriptorum interpretationem, oraculum Jacobi ita pervertit, ut quod statuit non esse tollendum ante Messiam de Juda sceptrum, id ille sic explicet, quasi definiat tolli ante oportere, tumque restitui, cum Messias venisset. *Annal. Eccles. Polit. an. ante Dom.* 40. *pag.* 21. Nam si hæc pervertendorum vaticiniorum ratio impune permittatur, nullum scilicet erit, quo certo quidquam de adventu Messiæ definire liceat.

(7) Josephus *lib.* VI. *de Bello Judaico cap.* V. *num.* 4. *pag.* 390. *Tom.* II. *opp. edit. Haverc.* „ Va-
„ ticinium erat ambiguum, *inquit*, in sacris libris repertum: *illis circiter temporibus quemdam ex*
„ *ipsorum finibus profectum orbis terrarum imperio potiturum*. Atque hoc oraculum Josephus in Vespasiano exitum habuisse scripsit, ut ei adularetur. Vide *lib.* XVII. *Antiq. cap.* II. *pag.* 831. Quinetiam Auctor Cicero, *in* II. *de Divinatione libro cap.* LIV., est, Sibyllina carmina nescio quid de rege proxime venturo continuisse. Atqui 38. circiter post anno natus est Christus, quam ea essent scripta a Cicerone. Præterea Suetonius *in Vespasiano cap.* IV. „ Percrebuerat, *inquit*, oriente toto ve-
„ tus, & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti, rerum potirentur. Prædictum
„ Judæi ad se trahentes rebellarunt. At Christus paullo ante venerat, & eo circiter tempore Apostoli profecti e Judæa late, longeque propagare Evangelium cœperant. Eodem spectant, quæ habet Tacitus *lib.* V. *Historiarum cap.* XIII. Oraculum quod Josephus memorat hoc ipsum erat, quod fudit Jacobus, cum esset extremum obiturus diem. Qua de re praeclare agit Petrus Daniel Huetius *Præp. Evang. prop.* VII. *pag.* 327. *edit. an.* 1679.

§. II.

De statu Reipublicæ Judaicæ civili quo tempore Christus mortalem hanc vitam agebat.

SED postulat ratio, ita ut erat propositum, de Herode, deque rebus ceteris, quas breviter attigi, copiosius dicere, ut intelligi, perspicique possit, qui tum status civitatis Judæorum esset. Ergo ejus administratio civilis sic habebat. Romani summum imperium tenebant (1). Hi hominem Idumæum (nam (2) erat ex ea gente natus Herodes) Regem (3) dixerunt. Erat is magna ingenii facultate, sed quamvis religione Judæus videri (4) vellet, re tamen vera Ethnicis moribus vivebat (5). Namque ut rem gratam Augusto

(1) Nam reges creabant Judæorum, & si quid peccassent, dignitate privabant, aliosque eorum loco constituebant, qui rempublicam moderarentur. Vide Josephum *lib.* XIV. *Antiq. cap.* VIII. *& seqq.*

(2) Josephus *lib.* XIV. *cap.* I. *pag.* 683. *Tom.* I. *edit. Havere.* de Antipatro Herodis Patre loquens „ Erat Hircano amicus quidam Idumæus nomine Antipater, homo quidem multa abundans pe„ cunia, natura vero navus, & seditiosus, qui alieno ab Aristobulo erat animo, & ab eo dissidebat „ ex sua in Hircanum benevolentia. Quamvis Nicolaus Damascenus hujus genus a primoribus Judæo„ rum, qui in Judæam venerunt Babylone, deducat. Verum hoc dicit in gratiam Herodis ejus filii, „ quem fortuna ad Judæorum Regnum evexit ..... Hic igitur Antipater Antipas primum dicebatur, eo„ demque ejus Pater nomine vocabatur, qui, cum eum Rex Alexander, & ejus uxor totius Idumææ Præfe„ ctum constituissent, fertur amicitia se cum Arabibus, Gazæis, & Ascalonitis, qui eadem atque ipse „ sentiebant, junxisse &c. Et *cap.* VII. *pag.* 695. Antipater „ magnæ tunc erat existimationis etiam „ apud Idumæos, apud quos duxit uxorem illustri inter Arabas natam loco, Cypron nomine, ex qua „ quatuor ei nati sunt filii Phaselus, Herodes, qui postea regnavit, Josephus, & Pheroas, & filia „ Salome „. Scio Justinum Martyrem in Dialogo cum Tryphone *pag.* 272. *edit. an.* 1615. Julium Africanum apud Eusebium *lib.* I. *cap.* VII. *H. E.* aliosque veteres Christianos Herodem Ascalone oriundum fuisse censere. Sed nequit eorum cum Josepho componi sententia. Ceterum errat Buddæus *H. Eccl. vet. test. parte* II. *sect.* VII. *pag.* 1157. quo loco ab Julio mutuatum hanc opinionem fuisse Justinum scribit. Quomodo enim a longe recentiore id accepisset antiquissimus Auctor? Redeo ad Herodem. Is si Idumæus natione erat, *alienigena* certe fuerit necesse est. Nam etsi Idumæi integro fere ante Herodem seculo sacris Judaicis initiati fuerant, cum tamen nulla ex tribu Jacobi orti essent, indigenæ Ju„ dæi, sive Judæi ex Judæis non erant. Consule Natalem Alexandrum *Hist. Ecclesiastica vet. test. ætate mundi* VI. *dissert.* IX. *pag.* 408. *& seqq. edit. Paris.* 1699. qua data opera oppugnat Josephum Scaligerum, & Isaacum Casaubonum, quorum alter ad Chronicon Eusebii *pag.* 150. alter *Exercit.* I. *in Baronium pag.* 21. *& seqq.* qui Herodem omnino Judæum fuisse defenderant. Atque Herodem eo quo dixi modo alienigenam fuisse concredunt Protestantes Joh. Franciscus Buddæus *l. c. pag.* 1158. & Phaletranus *l. c. pag.* 439. *& seq.* Harduinus *de Nummis Herodiadum, pag.* 50. Herodem Atheniensem fuisse putavit, deceptus *inscriptione a Sponio* relata, quam deinde falsam esse deprehendit: *de Num. Herod. pag.* 350. Hunc ex instituto refellunt Jacobus Basnagius *Hist. Jud. lib.* I. *cap.* II. §. II. Samuel Basnagius *Annal. Polit. Eccl. Tom.* I. *pag.* 33. Christophorus Cellarius *dissert. de Flaviana Herodum Historia adserta, & Nummis antiquis conciliata*, & Sa. Deylingius *observ. sacrar. parte* II. *obser.* XXVI. *pag.* 247. *& seqq.*

(3) Adeundus Josephus *lib.* XIV. *cap.* XIV. *pag.* 728. *edit. Havere.*

(4) Nam templum extruxit, itaque populum alloquebatur, ut Judæus videri vellet. Vide *Joseph. lib.* XV. *cap.* XI. *pag.* 778. *& seqq.*

(5) Josephus *lib.* XIV. *cap.* XIV. *pag.* 728.

ſto faceret (1), Amphitheatrum extruxit, ludoſque inſtituit, qui anno quovis quinto celebrarentur. Theatrum cum Cæſaris trophæis ornaſſet (2) iram in ſe populi concitavit. Judæi enim rati ſub ejuſmodi ſignis imagines hominum latere, quas omnes legislator Moſes exterminari e Republica juſſiſſet, continere ſe nequiverunt, quin contra Regem conjurarent (3). Seditio vix cæde multorum ſedari potuit. Aliæ erant quoque permultæ cauſſæ, quæ efficerent, ut illi voluntatibus ab eo eſſent abalienatis. Etenim variis in locis (4) Cæſari templa fecerat, & ſtatuas dedicarat. Quare ita erat plebs homini irata, ut eum nonnumquam clamoribus, & conviciis conſectaretur.

Superbe præterea imperabat. Nam erat neceſſe, ut immodicis (5) ſumtibus indulgeret, quo modis omnibus Cæſaris gratiam iniret, & tuto regni commodis frui poſſet. Tanta etiam erat crudelitate, ut ſibi temperare nollet, quin ſynedrium (6) pene tolleret, in Pontifices (7) maximos ſæviret, ac de cognatis, de uxore (8), deque filiis ex ſe natis (9) ſupplicium ſumeret. Quamobrem etſi nonnulla præclare geſſit, quæ contulerunt, ut Magnus appellaretur, tamen flagitia (10), quæ dixi, animique ſordes multitudine pene innumerabiles, quibus ſeſe miſere implicarat, non modo ſummum illi odium conflarunt, ſed etiam omnem apud ſuos gloriam ademerunt. Herode diuturnis, acerbiſſimiſque (11) morbis biennio (12) poſt, quam Chriſtus eſt natus, e vivis ſublato, diviſum

 eſt

(1) Joſephus *lib.* xv. *cap.* VIII. *pag.* 766. „ Haa de cauſſa, *inquit*, deflaxit atiam magis a pa-
„ triis moribus, & peragrinis inſtitutis, antiquum rarum ſtatum ſabinde labefactavit, quem inviola-
„ tum eſſe, & integrum manſiſſe oportabat. Quara temporis proceſſu magna mali labes nobis illata
„ eſt, illis contemptis, quibus antea populus promovebatur ad pietatem. Primum enim pugilum lu-
„ dos quinquennales inſtituit Cæſari, & theatrum Hieroſolymis ædificavit, deinde in campo maxi-
„ mum Amphithaatrum, utrumque operis magnificentia aonſpiciendum, ſed a motibus Judaicis
„ alienum.

(2) *Joſeph. ibid.* „ Thaatrum ſplendidiſſima ornatum erat, depictis per airaultum Cæſaris gaſtis, &
„ tropæis, quæ a gentibus debellatis reportavarat, opere ex puro auro & argento ..... ſed nihil aos
„ magis offendebat, quam tropæa; nam cum ea putarent imagines eſſe armis incluſas, propterea quod
„ patriis legibus iſtiuſmodi res colere nefas eſſet, indigniſſima aas ferebant.

(3) Joſeph. *ibid. pag.* 766. *& ſeqq.*

(4) Joſeph. *lib.* xv. *cap.* IX. *pag.* 772.

(5) Joſeph. *ibid. & lib.* XVI. *cap.* V. *pag.* 798. *& ſeqq.*

(6) Vide Joſephum *lib.* XIV. *cap.* IX. *pag.* 700., *& lib.* XV. *cap.* X. *pag.* 776.

(7) Idam *lib.* XV. *cap.* III. *pag.* 744. *& pag.* 745. *& lib.* XVII. *cap.* VI. *pag.* 841.

(8) Idam *lib.* XV. *cap.* VII. *pag.* 762.

(9) Idem *lib.* XVI. *cap.* XI. *pag.* 822. *lib.* XVII. *cap.* VII. *pag.* 847.

(10) Joſeph. *lib.* XV. *Antiq. cap.* IX. *pag.* 772. *& lib.* XV. *cap.* V. *pag.* 798. *& ſeqq.*

(11) Joſeph. *lib.* XVII. *Antiq. cap.* VI. *al.* VIII. *pag.* 842. *& ſeqq.*

(12) Biennio poſt dixi, quod mihi veriſimilior eſſe videatur eorum ſententia, qui a Chriſti ortu ad ea-
dem

est regnum in partes tres, ejusque filiis distributum. Archelaum, quem Pater maximæ partis Regni hæredem (1) ex testamento reliquerat, Duces exercitus, militesque Regem salutarunt. Ille inconsulto Cæsare, nihil se de eo nomine, deque Patris testamento decernere dixit posse. Itaque expectarent, quoad Romam se contulisset, quidque facto esset opus ex Augusto cognosset. Ergo sedata conjuratione, quæ Hierosolymis orta fuerat, paullo post Romam contendit. Ibi cum aliquamdiu constitisset, neque exitum rei ullum vidisset, tandem impetravit, ut Ethnarchiæ nomine Judæam, Idumæam, atque Samariam obtineret. Interea Antipæ Galilæa, atque Peræa concessa est; Batanæa vero, Traconitis, Auranitis, parsque, sic enim vocabant, Zenodori (2) Domus Philippo (3). Archelaus Hierosolymam reversus, cum propensione naturæ in malum, parentisque disciplina non principatum, sed tyrannidem occupasse videretur, ab optimatibus Judæorum actus Romæ gravissimorum scelerum reus est, coactusque ab Augusto, qui caussam ex jure cognorat, Ethnarchia excedere. In Urbem cum venisset, neque purgare se Cæsari potuisset, decimo principatus anno jussus est abire in Gallias exsulatum (4).

Itaque Judæa in provinciam redacta, Coponius ab Cæsare cum imperio (5) Hierosolymam missus est. Etsi neque tam atrox, neque tam sævi Romanorum administrandæ civitatis ratio crederetur, quam Herodis, Archelaique ætate erat, tamen Judæi plurimis, maximisque incommodis premebantur. Etenim in vicos, (6) castella, singulasque civitates certæ imperatæ pecuniæ a Quirino,

dem infantium duos fere annos præteriisse censent, propterea quod Matthæus in Evangelio tradiderit
a bimatu, & infra fuisse Bethleemitas infantes Herodis jussu interemptos, *secundum tempus quod ex-*
quisierat a Magis. Nam si brevius intervallum a tempore apparitionis *stellæ*, *quam diligenter didice-*
rat a Magis Herodes ad cædem infantium excurrisset, non interemisset, *secundum tempus*, *quod*
exquisierat a Magis, bimulos. Jam vero infantes Herodem occidi jussit paullo ante quam ipse periisset,
ut ex Macrobii testimonio *lib. 2. Saturnaliorum cap.* IV. colligunt Bernardus Lamius *Appar. Chronol.*
in Harmon. Evang. cap. XI. §. IV. & Thomas Monelia Magister meus eruditissimus *Differt. de Annis*
Christi pag. 46. & seqq. Si ergo ab apparitione stellæ & ortu Christi ad cædem infantium anni fere duo
fluxerunt, quoniam Herodes paullo post cædem eamdem decessit, sequitur, ut biennio fere post natum
Christum tyrannus ille perierit. Sed de rebus ab Herode improbe gestis consulendi Norisius *differt.* II.
in cenotaphia Pisana *cap.* VI. & Christianus Noldius de vita & gestis Herodum *pag. 337. & seqq. Tom.* II.
opp. Josephi edit. Havercampianæ.

(1) Josephus *lib.* XVII. Antiquitatum Judaicarum *cap.* VIII. *& seqq.*

(2) De Zenodoro consule Josephum *lib.* XV. *Antiq. cap.* X. *pag. 774. & seqq.*

(3) Josephus *lib.* XVII. *cap.* VIII. *pag. 847.*, *& lib.* XVII. *cap.* XI. *pag. 860.*

(4) Idem *ibid. cap.* XIII. *pag. 865. & seqq.* Et Dio Cassius *lib.* LV. *pag. 567.*

(5) Josephus *lib.* XVIII. *cap.* I. *pag. 869. & seqq.*

(6) Josephus *ibid.* Vide Norisium *differt.* II. in cenotaphia Pisana *cap.* XVI. §. III. Et in eodem argumento

rino, qui ob eam rem in Syriam, atque in Judæam venerat, exactæ sunt. Multa item Præsides excogitabant, ut suo privato compendio servirent. Summa erat horum ambitio, atque avaritia. Quamobrem procurationem non ad utilitatem provincialium, sed ad propriam gerebant. Illud perniciosissimum sane erat, quod, ut rem suam familiarem augerent, & facultates ad largiendum magnas compararent (1), iis, qui opibus valerent, consulerent, ceteros autem, ex quibus parum, aut nihil consequi possent, aspernarentur. Hinc orta est injuria publicanorum. Hi enim cum pecunia sibi Præsidum benevolentiam conciliassent, plebem Judæorum impune vexabant. Accedebant ad hæc contemtus legum Mosaicarum, gravissimæque injuriæ templo, ac religioni inlatæ, quas eo acerbius Judæi ferebant, quod viam nullam esse viderent, qua repelli aut declinari possent. Pilatus, quo Procuratore Christus servator pro salute generis humani extremum in cruciatum venit, ut parvi ab se pendi instituta Mosis ostenderet, & Cæsari gratificaretur (2), effigiem hujus in signis militaribus depictam noctu in Urbem inferri jussit. Quinetiam magnum auri pondus templo destinatum auferre conatus est, ut aquam longo ductu Hierosolymam induceret. Plura ejusdem generis ab avaro, crudelique viro gesta sunt, ex quibus Judæi, qui sceptrum amiserant, speciemque (3) illam, quæ Synedrio inerat, auctoritatis in dies minui videbant,

mento explicando versati plerique sunt non e nostris solum, sed etiam e Protestantibus, inter quos recenseri potest Samuel Basnagius in Annalibus politicis, & Ecclesiasticis *pag.* 203.

(1) Josephus *lib.* XVIII. *cap.* III. *& seqq.*

(2) Josephus *ibid. cap.* III. *pag.* 875. *& seqq.*

(3) Josephus tum primum Synedrii mentionem facit, cum expugnatam Hierosolymam a Pompejo, victumque a Gabinio Alexandrum fuisse tradiderit. Nam *lib.* XIV. *cap.* V. *pag.* 691. „ Constitutis, *inquit*, quinque Synedriis, in totidem æquales partes gentem divisit, ita ut alii jus peterent ad Hiero„ solymam, alii ad Gadara, alii ad Amathuntem, alii ad Hierichuntem, & quinti ad Saphora Galilææ. Consule Dionysium Petavium *lib.* XI. *de Doctrina Temporum cap.* XXVII. *pag.* 81. *edit. an.* 1703. *Tom.* I. Sunt qui tam recens Synedrium esse inficientur. Ac Rabbini quidem, quorum sententiam Magnus Baronius sequitur *ad an.* 30. *n.* X. ejus originem a Mose repetunt. Alii ab Assamonæis Regibus institutum putant, quibus Hadrianus Relandus assentiri videtur *Antiq. sacrar. veter. Hebræor. parte* II. *cap.* VII. *edit. an.* 1741. *pag.* 181. Ac mihi quidem minus verisimile videtur, si tam recens fuit Synedrium, ut a Gabinio primum institutum fuerit, tantam brevi & obtinuerit, & amiserit auctoritatem. Huc vero spectant, quæ copiose disputat Jacobus Basnagius homo de secta Calvinianorum, sed vehementer errat, *lib.* V. *Hist. Jud. cap.* I. *num.* XII. *pag.* 17. *Tom.* VI. *edit. an.* 1716. Josephus *lib. eodem cap.* IX. *pag.* 70. Nam jus Synedrii Hierosolymitani violatum ab Herode nondum rege scribit fuisse, propterea quod in Ezechiam latronem animadvertisset, quem Senatus capitis adhuc minime condemnasset. Paullo post autem Josephus narrat ab Herode ipso, cum regnum occupasset, *omnes, qui in Synedrio tunc* fuerant, quum ipse vocatus in jus fuit, interfectos fuisse, uno dempto quidem Hircano, *pag.* 701. *& seq.* Sed jus omne vitæ necisque ademtum Synedrio funditus fuit, quo tempore Judæa provincia facta est. Non me latet esse aliquos, qui contra sentiant, quos accurate recenset Johannes Christophorus

bant, cognoscere poterant, ita se undique teneri, uti non jam quo minus servirent; (suum enim Regem esse (1) ajebant Cæsarem, Procuratoribusque parebant, qui in cives vitæ (2) necisque habebant potestatem) sed extremum exitium Reipublicæ, suique ejectionem, ut quæ majora essent mala, timerent.

§. III.

stophorus Wolfius *in Curis Philologicis in* IV. *Evang. ad Johan. c.* XVIII. *pag.* 965. *&* 966. Ac Bernardus Lamius *Apparat. in concord. Evang. parte* II. *cap.* III. §. IV. *pag.* 142. jus vitæ & necis etiam tum, cum Judæa facta Provincia est, *Synedrio* non fuisse ademtum putat, quamquam necesse erat facultatem ab Judice Romano occidendi petere. Quineriam responsum Judæorum: *nobis non licet interficere quemquam*; sic intelligit, ut dictam fuisse censeat, non quo *jure* illo carerent, sed quo dies festus esset, quo non liceret simile quidpiam agere. *Sed si poterant*, cur permissum a Pilato fuit? Cur illa facultate uti Judæi noluerunt, responderuntque, *nobis non licet interficere quemquam*? Hoccine illi responsum generale adhibuissent, si ea die capitis condemnatam occidere religionis tantum caussa nequivissent? Neque verisimilior mihi videtur esse Laurentii Moshemii Lutherani opinio, qui *seculo* I. *part.* I. *Hist. Eccl. cap.* II. §. IV. *pag.* 72. *& seq.* Violatorem legum, & religionis divinæ potuisse, malefactorem autem, & seditiosum occidi ab Synedrio nequivisse putat. Nam quemadmodum componi hæc cum Johannis verbis *cap.* XVIII. *vers.* 31. *nobis non licet interficere quemquam* possit, non video. At Moshemius intelligi oportere, inquit, quemquam κακόποιον: *malefactorem*. Verum non animadvertit vocem κακόποιος in transgressorem Judaicarum legum & religionis cadere. Namque Judæi eam explicaturi, *cap.* XIX. *Evang. Johann. v.* 7. „ *Nos*, inquiunt, *legem habemus*, *& se-* „ *cundum legem debet mori*, *quia Filium Dei se fecit*. Ex quo te sequitur, ab Synedrio capitis condemnari occidique ne legum quidem Judaicarum, & religionis transgressorem potuisse. Sed de Synedrii antiquitate, & potestate sub Procuratoribus Romanis multa disputant Protestantes Jacobus Basnagius *l. c.* Johannes Sibranda: *De statu Judææ Provinciæ sub Procuratoribus*, *Tom.* II. *Thesauri Novi Theologico Philologici pag.* 529. *edit. an.* 1732. Johannes Vorstius *dissert. de Synedriis Hebræor.* quæ extat *Fasciculo* IV. *Opusculor. ad Histor. & Philologiam sacram Spectantium pag.* 399. *& seqq.* Hermannus Comingias *de Republica Hebræor.* §. XXI. Hermannus Witsius *Miscellaneor. Sacror. parte* I. *lib.* II. *dissert.* III. §. LXXXVII. *pag.* 563. Johannes Clericus *dissert. de Synedrio* LXXII. Virorum, quæ subjecta est ejus Commentario *in libros Hist. vet. Test.* §. VI. & Johannes Nicolajus *in notis ad lib.* I. *cap.* XII. *Cunæi de Republica Hebræor.* aliique.

(1) Vide *Evang. Johannis cap.* XIX. *v.* 15. ubi hæc ab Judæis dicta fuisse legimus: *Non habemus regem nisi Cæsarem*.

(2) Josephus *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* I. *pag.* 869. *Tom.* I. *opp.* „ Mittitur etiam (in Judæam) Coponius, *inquit*, vir ordinis equestris, qui summa cum potestate Judæis præesset. Similia habet *lib.* II. *de Bello cap.* VIII. *pag.* 160. *Tom.* II. ubi Coponio occidendi potestatem a Cæsare datam scribit, τοῦ κτείνειν ἐξουσίαν. Plura in hanc rem disputat Sibranda *l. c. cap.* II.



§. III.

De ſtatu Religionis in Palæſtina quo tempore inter nos Chriſtus vivebat .

AC civilis quidem Reipublicæ gerendæ ratio ita ſe jam inde ab Herodis ætate habuerat . Religio hoc ſtatu erat . Pontifices, non quales inſtituta poſcerent , neque ex Aaronis ſemper familia eligebantur, (1) ſed quos Reges (2) primum, deinde Procuratores propter veteres amicitias , moreſque ſuorum ſimillimos juberent. Pontificatu etſi debebant (3) , perpetuo tamen gaudere non poterant . Nam injuria principum potentiorum , aut odio, pretiove majore , plebiſve tumultu fiebat , ut eo , qui non ita diu fuerat, dejecto , alteri cum dignitate ſacrificia procurandi , religioneſque interpretandi poteſtas daretur (4) .

Judæorum quamquam erant nonnulli , qui recte de rebus divinis ſentirent , virtutemque colerent (5) , tamen pars maxima admodum dedita ſuperſtitionibus erat , legique Moſis , non ex animo,ſed (6) ſpecie fictæ ſimulationis ſtudebat. Diverſas enim de Divinitate habebant opiniones . Magia , rationeque morbos depellendi mirifice (7) delectabantur , ob eamque cauſſam & dies natales , & menſium , & annorum initia , & numerorum complexiones , & ple-

(1) Joſephus *lib.* xv. *cap.* 11. *num.* 4. *pag.* 741. *Tom.* 1. de Herode loquens ,, Quin & alia fecit , ,, *inquit* , ad tuendum principatum , quæ ei domeſticam ſeditionem excitarunt , Ut enim caveret - ,, ne quem ex illuſtribus Pontificem crearet , evocat e Babylone quemdam Ananelum nomine , Sacer, ,, dotem , eique Pontificatum dat Et *cap.* 11I. Herodes Ananelum Pontificatu protinus abdicavit , ,, qui non erat , ut prius retulimus, ex indigenis ἐκ τῶν ἐπιχωρίων , ſed a Judæis oriundus ultra Euphra- ,, tem in coloniam deductis . Multa enim hujuſce populi millia circa Babylonem habitatum deportata ,, ſunt , e quibus erat Ananelus generis *inter eos* Pontificii , quem Herodes jamdiu ſibi conſuetudi- ,, ne devinctum tenebat ,, . Dubitat Phaletranus num Levitici generis fuerit Ananelus *diſſert. de Ablatione Sceptri* . Sed ſi Levitici generis , & Sacerdos fuit , ex Aaronis familia tamen eum fuiſſe , & dignum , qui Pontifex crearetur , negat .

(2) Joſephus *ibid & ſeqq.*

(3) Joſephus loco indicato ,, Hunc (Ananelum) ille (Herodes) honoravit , cum primum regnum ,, adeptus eſt , poſtea honorem ei abrogavit .... contra leges faciens παρανομῶν . Haud enim ,, alias quiſquam hoc tanto honore privatus fuit , ubi eum ſemel accepiſſet &c.

(4) Conſtant hæc ex *libro cit. & ſeqq.* exque *lib.* 1. *& ſeqq. de Bello* .

(5) Hujuſmodi erant Simeon ille ſenex Lucæ Evangeliſtæ memoratus , Nathanael , Gamaliel , quorum Evangeliſtæ meminerunt , & Judas ille , cujus facta eſt a Joſepho *lib.* xiii. *cap.* xi. *Antiq. pag.* 665. mentio .

(6) Vide *Huet. Dem. Evang. prop.* ix. *cap.* ix.

(7) Nempe magnam nobis harum rerum copiam non libri Thalmudici modo , qui referti nugis ſunt , quique ſunt multo ea ætate recentiores , ſed Joſephi etiam , atque Philonis ſcripta ſuppeditant .

pleraque alia, quæ partim ab Ægyptiis, partim a finitimis populis acceperant, summa religione observabant. Messiam prætolabantur non qualem Prophetæ descripserant (1), sed virum, qui bellicæ virtutis laude longe omnes homines superaturus esset, quique gentem Judæorum in libertatem adserere, & nationes ceteras, ut ad sacra Judæorum transirent, prodigiis, atque armis compellere deberet. Summam religionis ritibus, ac ceremoniis contineri putabant (2), quæ sancitæ a Mose fuerant, cujus legem arbitrabantur, quoad mundus consisteret (3), perpetuam futuram. Alios quosque aut Ethnicos, aut Samaritas, aut Judæos, qui templum ab Onia in Ægypto conditum frequentarent, numero impiorum, ac sceleratorum habebant, eorumque, quibus sacrificiis interdictum erat, aditum defugiebant, ne quid ex contagione incommodi (4) caperent. Esse namque illos odio ajebant Deo, neque assequi ullo modo salutem posse.

Plures contra, ut apud Ethnicos laudem invenirent, mores, & instituta Gentium (5) imitabantur. Quæ res turbarum, dissensionumque maximarum caussa plerumque fuit.

Eorum, qui inter Judæos aliqua rerum divinarum scientia excellere videbantur, genera imprimis (6) erant tria. Unum genus erat Pharisæorum, alterum Sadducæorum, tertium illorum qui Esseni a multis, ab aliis Essæi appellabantur. Hoc omnes inter se conveniebant, quod unum Deum rerum omnium parentem colerent, quod legem a Mose latam divinæ institutionis esse putarent, quod Israelis tantum posteros delectos a Deo fuisse, cum quibus

(1) Notas Messiæ, qualem tunc Judæi expectabant, recenset Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone. Ac vero est quam simillimum, Judæos, qui Justini ætate viverent, ut qui ab ætate Christi 130. annis circiter abessent, eadem atque Hebræos Servatori synchronos, sensisse. Trypho autem apud Justinum *l. c. num.* XXXII. *pag.* 129. *edit. Monach. S. Mauri* „ Scripturæ, *inquit*, gloriosum cogunt, & „ magnum expectare eum, qui regnum æternum ab antiquo dierum tamquam filius hominis accipit. „ Vester autem ille Christus, quem ita vocatis, inhonoratus, & inglorius fuit „. Vide Huetium *demonstr. Evang. prop.* IX. *cap.* LXXXIV. Sed multa in rem nostram disserit Jacobus Basnagius *Hist. Jud. Tom.* V. *cap.* X.

(2) Huet. *ibid. cap.* CIX.

(3) Huet. *ibid. cap.* CVII. *num.* V. Sed de re nota non est cur multis esse agendum censeam.

(4) Hinc accusati Judæi, quod odio in hominum genus ferrentur. Complura ex antiquis Scriptoribus, quæ huc pertinent, collegit Jacobus Elsnerus *observ. sacrar. in nov. Test. Tom.* II. *pag.* 274.

(5) Serpere hoc malum jam inde ab Antiochi tempore cœperat. Vide *lib.* I. *Machab. cap.* I. *v.* 14. *& seq. & lib.* II. *cap.* IV. *v.* 9. Extant autem multa horum similia apud Josephum.

(6) Josephus *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* I. *pag.* 870. *Tom.* I. *opp. edit. Havere.* „ Habebant Judæi „ priscis etiam temporibus tres patriæ Philosophiæ sectas, unam quidem Essenorum, alteram vero „ Sadducæorum, tertiam autem, quam profitebantur, Pharisæi nomine „. Eadem habet *lib.* II. *de Bello cap.* VIII. *al.* VII. *pag.* 960. *Tom.* II. *opp.*

bus ſempiternum fœdus iniret, hiſque proinde, non reliquis nationibus (1) arbitrarentur omnia officia præſtari oportere. In rebus ceteris differebant.

Phariſæi (2) præter ſcriptam, aliam neſcio quam legem comminiſcebantur, quam Moſi ab Angelo (3) Metratone in monte Sina ore datam fuiſſe defenderent (4). Hanc traditione in poſteros manaſſe. Eamdem ſcriptæ præferendam eſſe. Peccata omnia jejuniis, eleemoſinis, lotionibus, & ſacrificiis, quæ lege præſciberentur, expiari, delerique poſſe. Pravas animi cogitationes peccatorum numero duci non oportere. Proſpicere Deum rebus humanis, ita ut nobis libertatem aliquid agendi (5) non tollat. Animam hominis & ſpiritum eſſe & immortalem. Angelorum alios bonos eſſe, alios malos. Humana corpora reſurgere oportere. Erat præterea Phariſæorum ſumma ſuperbia. Nam ſolos ipſi ſe bene eſſe moratos exiſtimabant, ceteros deſpicatui ſic habebant, ut illis rerum omnium fidem adimerent. Pietatem oſtentabant, quo gloriam captarent, Proſelytoſque ad ſe diſciplinæ cauſſa concurrere viderent. Veſtibus oblongis utebantur, incedebantque corporis habitudine gravi. Eos deſpiciebant, qui perinde agere recuſarent. Multa de ratione explicandæ legis perverſe diſputabant.

(1) Hæc ex Joſepho, aliiſque Scriptoribus colligit Moshemius *Hiſt. Eccl. ſec.* 1. *parte* 1. *cap.* 1I. *pag.* 76. *edit. an.* 1739.

(2) Incerta ſunt hujus ſectæ initia. Adeundi Natalis Alexander *Hiſt. Eccl. vet. Teſt.* vI. *Mundi ætat. Diſſ.* 1. *art.* v. §. 11I. & Calmetius *ſingulari diſſert. de Phariſæis, Sadducæis, Herodianis, Eſſenis &c. Tom.* 1I. *Diſſertationum in nov. Teſt. pag.* 80. *& ſeqq. edit. Lucenſis*. Multa de Originibus Judaicarum factionum diſputant Nicolaus Serarius S. J. Theologus in Trihæreſio: & e Proteſtantibus Joſephus Scaliger, aliique, quos numerant Johannes Chriſtophorus Wolfius Bibliothecæ Hebraicæ *parte* 1I. *pag.* 815. *& ſeq.* & Jacobus Bruckerus *Hiſt. Critica Philoſ. Period.* 1I. *part.* 1. *lib.* 1I. *cap.* 1. *pag.* 712. *& ſeqq. Tom.* 1I. *edit. an.* 1742.

(3) De hiſce nugis Phariſæorum agit Bruckerus *l. c. pag.* 750. Adeundus etiam Natalis Alexander loco indicato. Ad Angelum Metratonem quod ſpectat, plura differit Johannes Hermannus Van Eliwlchius: *Diſſertatione inſcripta* ,, Melchiſedecus ab Henrico Hulſio minus feliciter in Henocho detectus ,,. *Tom.* 1. *Theſauri diſſert. Thologico-Philologicar. edit. an.* 1732. *pag.* 187.

(4) Traditiones, ineptiaſque Phariſæorum fuſius deſcribunt Calmetius, Natalis Alexander, & Sigonius *de Republica Hebræorum ll. cc.*; e Proteſtantibus vero Bruckerus *l. c.* Ut Druſium *de Sectis lib.* 1I. Fridericum Spanhemium *in dubiis Evangelicis*, Nicolaum *in notis ad Sigonium pag.* 421., Lundium, Cavæum, Johannem Laurentium Moshemium, Jacobum Baſnagium, Reimannum, Carpzovium; Hornium, Johannem Franciſcum Buddæum, Gundlingium, Lightfootum, Godwinum, Hottingerum, Cuneum, Leiſdekkerum, Relandum, innumeroſque alios prætermittam.

(5) Joſephus *lib.* xvIII. *Antiq. cap.* 1. ,, Cum (Phariſæi) dicant fato omnia fieri, voluntatem hominis ,, non privant ſponte agendi impetu. Quippe ſic Deo placitum eſſe, ut certo temperamento miſceretur in unum *fati* (ſic enim providentiam vocabant) decretum & ratio humana, ſi quis vellet aut ,, cum vitio, aut cum virtute accedere ,,. Atque huc ſpectant, quæ perſequitur Bruckerus *loc. cit. pag.* 752.

Denique ita sese gerebant, ut custodes rituum (1), ceremoniarum, legum videri vellent; sperabant enim fore, ut exemplo suo, quemadmodum plerosque, sic omnes, qui aliquo numero atque honore essent, ad imitationem sui incitarent, tantamque auctoritatem consequerentur, ut ipsis solum de omnibus controversiis publicis, privatisque constituere liceret.

Sadducæi (2) leges, quæ scriptæ a Mose non fuissent (3), rejiciebant. Angelos extare, animasque humanas immortales esse, & restitutionem corporum humanorum futuram inficiabantur. Nullam mentem pugnabant esse, quæ corpore vacaret. Præterea homines, quin Deus adjumento cuiquam sit, per se omnia agere. Postremo Polygamiam esse damnandam. Ita in judiciis versabantur, ut de iis, quos in scelere aliquo deprehendissent, gravissimum supplicium sumerent. Barbari, iracundi, factiosi, temerarii erant. Cum Pharisæis incredibili subtilitate de religione contendebant. Quamobrem etsi multis rebus ab Epicureis dissiderent, tamen a Pharisæis contumelia Epicurei dici consuerant (4).

Essæorum hæc erat institutio. Deum non sacrificiis, sed mente potius dicebant esse (5) colendum. Legem utramque scriptam, & traditam, non secus atque Pharisæis visum erat, retineri oportere.

(1) Josephus *ibid.* „ Tantæ sunt apud populum auctoritatis, ut quæcumque ad religionem pertineant, supplicationes, & sacrificia, hæc ex eorum interpretatione fiant. Adeo amplum testimonium virtutis eis dederunt civitates, quod iis, quæ optima essent, studuerint, tam in vita, quam oratione &c. Vide *lib.* II. *de Bello cap.* VIII. *pag.* 165. *Tom.* II. *opp.* Consule Calmetium, & Natalem Alexandrum locis indicatis.

(2) Incerta sunt omnino sectæ Sadducæorum initia. Vide Calmetium *ibid. art.* II. *pag.* 86. Johannes Lightfootus *in Horis Hebraicis ad Matth.* III. 7. *Tom* II. *opp. pag.* 273. ea in tempora Esdræ rejecit. Sed cum errorem suum cognovisset, diu post Sadducæos fuisse ortos defendit. *Hor. Hebraic. ad Act. cap.* XXIII. *v.* 8. *Tom.* II. *opp. pag.* 737. Multa, quæ ad hoc argumentum spectant, disputat Bruckerus *loc. cit. pag.* 715. *& seqq.*

(3) Consule Josephum *lib.* XIII. *Antiq cap.* X. *n.* 6. *Tom.* I. *opp. edit. Haverc. pag.* 663. *& lib.* XVIII. *cap.* I. *num.* 4 *pag.* 871. Sunt qui solum Pentateuchum probatum Sadducæis fuisse arbitrentur, ut Tertullianus *lib. de Præscript. cap.* XLV. Origenes *lib.* I. *contra Celsum num.* 49. *pag.* 365. *Tom.* I. *opp. edit. Monach. S. Mauri*. S. Hieronymus *in cap.* XXII. *Matthæi*. Confer Nicolaum Serarium *in Trihæres. lib.* II. *cap.* XXI. & Sigonium *de Repub. Hebræor. lib.* V. *cap.* XI. Richardum Simonium *H. Crit. V. T. lib.* I. *cap.* XVI. Ita quoque ex hæreticis sentiunt Th. Godwinus *Mos. & Aaron. lib.* I. *cap.* XI. §. V. Sed hoc Josephus nusquam tradidit. Præterea ab Traditionariis Hebræis objectum id numquam Sadducæis fuit.

(4) De Sadducæorum decretis, ac moribus ex instituto disputant Natalis Alexander, Calmetius, Sigonius, Serarius, aliique, quorum est paullo ante facta mentio.

(5) De Essæorum institutis, religione, ac moribus multa disserunt Josephus locis indicatis, & Philo in eo libro, qui inscribitur: *Quod omnis Probus sit liber*. Hi tamen duo Scriptores multis in rebus inter se dissentiunt. Ejus vero dissensionis hæc fortasse est caussa, quod Josephus Essænorum Palæstinorum mores perspectos magis, quam Philo haberet, qui Ægyptiorum Eremitarum ex Judæis doctrinam,

Insti-

tere. Non interire humanas animas, sed præmia, pœnasve, ita ut meruerunt, post corporis interitum, recipere. Ut sibi a dissensionibus, controversiisque caverent, utque ne quid vitii ex civium familiaritate, amicitiaque contraherent, longe ab urbibus aberant, vicosque incolebant. Nullam habebant notitiam fæminarum. Aliorum pueros sibi tradi in disciplinam curabant. Agriculturæ studebant, ut vitam sustentare possent, nec tamen quisquam agri modum certum, aut fines proprios habebat. Omnia singulis communicabantur, ne quis altero esset potentior. In patriis legibus explicandis sese exercebant, ut recte suos, suorumque mores instituerent. Eas ajebant cognosci ab aliquo, cui divinitus concessum non esset, nequire. Allegoriarum studiis magnopere delectabantur (1).

Hæ sectæ, quamquam institutis, ac moribus inter se dissiderent, tamen cavebant, ne quis suorum alteram (2) injuria, caussa religionis, lacesseret. Nam Sadducæi, & Pharisæi magno in honore erant, illi quod apud potentiores, hi quod apud populum gratia, & auctoritate plurimum valerent. Quamobrem alterutros qui læsissent, ii verebantur, ne aut optimatum, aut plebis iram in se concitarent, tantoque in honore esse desinerent.

Præter has, quas numeravimus, fuerunt aliæ minorum gentium factiones, ut (3) Hemerobaptistarum, Galilæorum, (4) Herodianorum

institutionemque noverat. Meminerunt etiam Essæorum Plinius *Hist. Nat. lib.* v. *cap.* xvii. & Porphyrius *in libris de Abstinentia*. Novos Scriptores, qui in hoc genere argumenti versati sunt, accurate recenset Johannes Christophorus Wolfius *Biblioth. Hebraica parte* II. *pag.* 817. *& seqq.*, quibus adjungi possunt Johannes Franciscus Buddæus *H. E. vet. Test. Tom.* II. *pag.* 1212. *& seqq.* Johannes Clericus *H. E. sec.* I. *&* II. *Prol. S. I. cap.* v. Eumannus *Act. Philos. vol.* III. *pag.* 504. Moshemius *Inst. Hist. Eccl. sec.* I. *part.* I. *cap.* II. §. 12. *& seqq.* & Jacobus Bruckerus *Hist. Philos. per.* II. *part.* I. *lib.* II. *cap.* I. §. xxvii. *& seqq. pag.* 757. *& seqq. Tom.* II.

(1) Josephus *lib.* II. *de Bello cap.* viii. *pag.* 165. Duos Essæorum ordines scribit fuisse, qui omnibus quidem rebus convenirent, demto decreto, quod ad nuptias celebrandas spectaret. Fuisse enim Essæorum aliquos, qui non esse a nuptiis abstinendum arbitrarentur.

(2) Ita quoque censet Johannes Laurentius Moshemius *l. c. pag.* 78.

(3) *Baptistas* vocat Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone *n.* lxxx. *p.* 178. *edit. Monach. S. Mauri*. Sed larvas ab Justino pro sectariis dari censent Bruckerus *ibid.* §. xxxi. *p.* 788. & Joh. Franciscus Buddæus *Introduct. ad Hist. Philos. Hebræor.* Verum ut novi dijudicare secus de sectis, quæ tempore Justini, & paullo ante, non resistente Tryphone Judæo, & suarum rerum perito, possint, non video. Itaque mihi alienum a vero non videtur, quod ibidem Justinus narrat, præter *Baptistas* fuisse etiam hasce apud Judæos factiones *Genistas*, *Menistas*, *Galilæos*, quod ab Juda *Galilæo*, de quo loquitur Josephus *lib.* xviii. *c.* I. *p.* 572. *edit. Haverc.* ut arbitror orti essent, aliasque etiam, quarum item est ab Eusebio facta mentio.

(4) Diversas de Herodianis sententias, post Nicolaum Serarium in Herode, enarrarunt Scriptores, quos Wolfius recenset *Biblioth. Hebraica part.* 4. *& seqq.* & *Cur. Exeg. Tom.* I. *pag.* 311. Mihi hæc esse vide-

dianorum, Karaitarum (1), quarum Epiphanius, aliique veteres meminerunt.

Cum igitur magiſtri, principeſque ſectarum, quemadmodum ſupra demonſtratum eſt, ſuperſtitioſi, perditiſſimiſque moribus eſſent, populi quoque religio (2) depravata erat, & improba ratio vivendi. Itaque Chriſtus ſervator Judæos, qui tum agebant in Palæſtina, ſimiles ovium ſtatuit fuiſſe, quæ aut nullos, aut cæcos paſtores haberent. Nam erant auri cupidi, impudentes, crudeles, ſceleſti (3), qui ne ab iis quidem lapidandis abſtinerent (4), quos ſanctiſſimum vitæ inſtitutum conſectari cernerent, ſi eorum vel facta reprehenderent, vel poſtulatis annuere recuſarent. Quamobrem ejuſmodi Civitas Judæorum tunc erat, ut cives ſævire etiam in Meſſi ım parati eſſent, efficereque, ut Danielis, ceterorumque Prophetarum oracula exitum obtinerent. Atque res ita quidem evenit. Namque Judæi in Chriſtum incredibilem in modum ſævierunt. Eum enim non ſolum negaverunt, ſed etiam in crucem agi, occidique curarunt (5). Quod ubi contigit, everſum deinceps templum, atque urbs deſtructa a Duce Romanorum fuit, tumque illi abducti in ſervitutem ſunt, ita ut cum Chriſtum rejeciſſent, populum, atque civitatem conſtituere ceſſarent. Vaſtitas perpetua porro, ac deſolatio ſequuta eſt, & Lex nova, quæ inſtituta a Chriſto erat, latiſſime

videtur veriſimilior: fuiſſe aliquos e Judæis, qui ademtam a Romanis partem Imperii Herodis hujus filiis eſſe, iniquo animo paterentur, adeoque ab Herode vocati eſſent Herodiani. Nam Harduini, qui aliquando ſcripſiſſet, Herodianos ſectam Philoſophicam conſtituiſſe, quæ Herodem Regem non Athenienſem modo, ſed etiam Platonicum fuiſſe diceret, ſententiam nihil moror. *De Num. Herodiad. pag. 97.*

(1) De Karaitis multa diſputat Johannes Morinus *l.* II. *exercit.* VII. §. VII. *&* VIII., eumque Scaligerum acriter refellat ajentem, ex Karaitis ortos Sadducæos fuiſſe, tum in eam ingreditur opinionem, ut exiſtimet VIII. primum ſeculo eam ſectam habuiſſe initium. Morinum ſequitur Richardus Simonius *Hiſt. Critic. vet. Teſtamenti. cap.* XXVIII. Hos diligenter oppugnavis, oſtenditque longe eſſe vetuſtiores Karaitas Jacobus Triglandus *Diatribe de Karæorum ſecta*. A Trigiando non diſerepat Johannes Franciſcus Buddæus *H. E. vet Teſt. Tom.* II. *pag.* 1210. Fortaſſe Karæorum nomen recentius eſt, etſi inducere animum non poſſim, ut tam recentes eſſe, quam Morinus putat, exiſtimem eos, qui ita ut Karaitæ ſentirent.

(2) Cognoſcere id quidem facile lectores poterunt ex iis, quæ Joſephus narrat *lib.* XV. *& ſeqq. Antiqu.* & quæ extant paſſim in Evangeliis.

(3) Joſephus rurſum *lib.* V. *de Bello cap.* XIII. §. 6. *pag.* 362.

(4) Itaque Judæi aliquot ante annos, quam Herodes imperio potiretur, Oniam hominem juſtum, propterea quod illis aſſentiri noluiſſet, lapidibus obrutum occiderunt. Joſeph *lib.* XIV. *cap.* II. *pag.* 684. *& ſeq.* Conſule quæ ſcribit idem ipſe Joſephus de lapidato Jacobo fratre Domini juſſu improborum judicum, & Anani Pontificis *lib.* XX. *cap.* IX. *pag.* 976.

(5) Id vero non ab Evangeliſtis ſolum, ſed etiam ab Ethnicis Scriptoribus memoriæ traditum eſt, quos numerat Petrus Daniel Huetius *Demonſtr. Evang. Prop.* III. *n.* VIII. *& ſeqq.* & Dominicus *de Colonia tom.* I. *operis* inſcripti: *La Religion Chréſtienne Autoriſée par le Temoignage des Anciens Auteurs Payens. pag.* 126. *& ſeqq. edit. an.* 1718.

tiſſime propagata (1) . Quibus rebus cognitis, intelligere omnes perfacile poterant, quam eſſet vera Chriſtiana Religio, quantaque in opinionum perverſitate Judæi verſarentur, qui cum impleta eſſe (2) omnia, quæ Prophetæ nunciarant, ab ſeque jam ſpem omnem reſtituendi templi, conſtituendæque reipublicæ diſceſſiſſe viderent, tamen quem ipſi cruci affixerunt, & cui omnes Meſſiæ notæ convenirent, Regem ſuum, atque Meſſiam eſſe confiteri noluerunt.

C A P U T I I.

De Romanæ Reipublicæ ſtatu quo tempore natus eſt Chriſtus.

§. I.

Cujuſmodi tunc eſſe debuerit.

NEque vero quæ Hebraicæ ſolum, ſed quæ etiam Romanæ Reipublicæ, totiuſque fere orbis ratio tunc eſſet futura Prophetæ cognoverant, litterarumque mandaverant monumentis. Longe namque ante, quam natus Servator Chriſtus fuiſſet, fore proſpexerant, ut inſtante magni illius, divinique Principis adventu, qui illaturus generi hominum ſalutem eſſet, ii ampliſſimum (3) imperium tenerent, quos inter cum cognationis intercederent affinitates, tum magnæ inimicitiæ exſiſterent, propterea quod regnandi cu-

(1) Ut prædictum a Daniele fuerat; quod quidem vaticinium poſt Sanctos Patres viri doctiſſimi non e Noſtris modo, ſed etiam e Proteſtantibus in Chriſtum cadere demonſtraverunt. Hos vero accurate recenſet Johannes Albertus Fabricius *lib. de Verit. Relig. Chriſtianæ cap.* xxxi. *edit. an.* 1725.

(2) Vide Juſtinum Martyrem *Dialogo cum Tryphone*, Raymundum Martinium in *Pugione Fidei*, & Petrum Danielem Huetium *Demonſtr. Evang. Propoſ.* viii. & ix. Nam alios, qui in hiſce argumentis verſati ſunt, Scriptores pene innumerabiles prætermitto.

(3) Danielis *cap.* 2. *v.* 39. *& ſeq.* „ Poſt te conſurget regnum aliud minus te argenteum: & regnum „ tertium aliud æreum, quod imperabit univerſæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum, quo„ modo ferrum comminuit, & domat omnia: ſic comminuet, & conteret omnia hæc. Porro quia vi„ diſti pedum, & digitorum partem teſtæ figuli, & partem ferream: regnum diviſum erit, quod tamen „ de plantario ferri orietur, ſecundum quod vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto. Et digitos pedum ex „ parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit ſolidum, & ex parte contritum. Quod au„ tem vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto, commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhære„ bunt ſibi, ſicut ferrum miſceri non poteſt teſtæ. In diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit „ Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur „. Conſule Petrum Danielem Huetium *Præparat. Evang. Prop.* ix. *cap.* viii. *pag.* 364. *edit. an.* 1679. Scio eſſe aliquos, qui repugnent, cenſeantque eſſe alio ſenſu oraculum explicandum; ſed hæc potior interpretatio eſt, ut Calmetius in locum mox indicatum Danielis, aliique interpretes ſacrorum Bibliorum animadvertunt.

di cupiditate ducerentur. Quamobrem dividi in factiones regnum, ejusque partem conteri oportere. Hoc imperio constituto, fore ut pax in mundum introduceretur, orireturque Bethleemi ex virgine (1) Rex (2) ille, Sacerdos (3), & Magister gentium (4) universarum, qui iniquitatem (5) delere, omnes redimere, ac regnum cæli, quod sempiternum esset futurum, inducere deberet.

§. II.

Quinam fuerit, cum natus est Christus Romanæ *Reipublicæ civilis status*.

QUÆ quidem ita, ut illi tradiderant, evenerunt. Etenim cum longe lateque propagatum esset imperium Populi Romani, ac nulla fere cogniti orbis pars esset, quæ ei aut non serviret, aut tributum, quod convenisset, non penderet; Cn. Pompejus, & Cajus Cæsar, qui affinitate (6) conjuncti erant, cum maxime omnium belli, virtutisque laude in civitate florerent, incensique desiderio regnandi (7) essent, specie tuendæ (8) libertatis, armis de (9) regno

(1) Consule locum Isaiæ *c.* VII. *v.* 14. & Ezech. *c.* XLIV. *v.* 2. 3. Justinum Martyrem *Dial. cum Tryph. num.* LXVIII. *pag.* 166. *edit. Novæ Monachor. S. Mauri*, & *n.* XLII. *& seq. pag.* 138. & *num.* LXVI. *pag.* 163. *& seq.* Origenem contra Celsum *lib.* I. *num.* XXXIV. *pag.* 352. *Tom.* I. *opp. edit. Monachor. S. Mauri*, & (ut mittam Raymundum Martinium, qui XIII. seculo floruit, scripsitque egregium opus inscriptum *Pugio Fidei* contra Judæos, & Calatinum, qui mutuatus omnia ab Raymundo Martinio insigni plagio est) ex novis Scriptoribus, quorum magnus est numerus, Petrum Danielem *Huetium Demonstr. Evang. prop.* IX. *cap.* IX. Calmetium *in dissert. Præfix. ad Comment. in Isaiam*. Et eos, qui in Isaiam commentarios ediderunt.

(2) Vide loca Prophetarum, quæ collegit Petrus Daniel Huetius *Demonstr. Evang. prop.* IX. *cap.* XCVI. *& cap.* CIX.

(3) Consule Huetium *ibid. cap.* XXVIII.

(4) Vide Huetium *ibid. cap.* XXXV.

(5) *Ibid. cap.* VIII.

(6) Plutarchum in vita Cæsaris *pag.* 714. & in vita *Antonii*, *pag.* 929. *Tom.* I. *opp. edit. an.* 1624. Suetonium in vita Cæsaris *cap.* XXVII. *pag.* 53. *edit. an.* 1714.

(7) Cicero *epist.* XI. *lib.* VIII. *ad Atticum*. „ Dominatio quæsita ab utroque est: non id factum, „ beata & honestas civitas ut esset . . . . . Genus illud Sullani Regni jampridem appetitur . . . . . Neutri σκοπὸς est ille, ut nos beati simus: uterque regnare vult „. Hæc ille de Cæsare, & Pompejo loquens. Vide Suetonium *in vita Cæsaris cap.* XXX. *pag.* 60.

(8) Sic enim Pompejus dictitabat, scriptisque etiam litteris confirmabat. Vide *epist. ad Cicer.* quæ est post XI. Ciceronis *lib.* VIII. *ad Atticum*, & aliam, quæ est ad Consules Marcellum, ac Lentulum post *epist.* XII. *lib. ejusd.* Eadem dicendi ratione est usus Cæsar, ut ex *priore ejus de Bello Civili libro* plane constat.

(9) Vide Caii Cæsaris Commentarios *de Bello Civili*. Epist. Ciceronis ad Atticum *lib.* VIII. Plutarchum *in vitis C. Cæsaris*, *& Pompeji*. &c.

gno contendere cœperunt. Pompejo pugna Pharsalica (1) superato, paulloque post (2) interfecto, Cæsar summa rerum (3) potitus, perpetui Dictatoris nomine Rempublicam aliquandiu administravit. Sed cum is quoque Bruti, Cassii, conjuratorumque (4) opera periisset, quin penitus extinguerentur, nova sunt, eaque jam acriora, ob disjunctionem animorum orta dissidia. Nam Octavianus, quem Cæsar hæredem (5) dixerat, cum Romam redisset, (6) alienum esse tempus ad ulciscendam injuriam arbitratus, initio sese continuit. Sed brevi spatio intermisso conjunctis cum Marco (7) Antonio viribus, in Brutum, & Cassium arma tulit. Horum exercitu deleto, quoniam inter eos, qui cupidi principatus, rerumque novarum sunt, pax esse diuturna non potest, Octavianus Cæsar, remoto Lepido (8) Triumviro, quum ab Antonio esset multis privatis, publicisque injuriis lacessitus, temperare sibi nequivit, quin eum bello (9) persequeretur. Magna Antonianarum partium (10) clade adeo aucta Cæsaris potentia est, ut quamvis specie libertatis gaudere civitas videretur, re tamen ipsa (11) serviret. Noverat enim Cæsar æquitate ac fide potius, quam vi, armisque contineri populum in officio posse. Quare cum veritate agere nequiret, quod suis privatis commodis studeret, simulabat probari sibi, quæ instituta a majoribus essent, velleque omnino se, ut ea omnia firma, immotaque manerent. Interea quidquid erat in Republica auctoritatis, hoc totum in se transtulerat, ut ipse unus

(1) Cæsar *extremo libro de Bello Civili*. Appianus *de Bello Civili lib.* II. *pag.* 474. Suetonius *in vita Caii Cæsaris cap.* XXXV. *pag.* 66. Lucanus, & alii.

(2) Cæsar *lib.* III. *de Bello Civili cap.* CIV. *pag.* 551. *edit. an.* 1706. Suetonius *in vita Cæsaris cap.* XXXV. *pag.* 66. *& alii*.

(3) Vide Dionem *lib.* XLIV. *in C. Jul. Cæsar. pag.* 244. *edit. an.* 1606. & Suetonium *vit. J. Cæsar. cap.* LXXVII. *& seqq.*

(4) Sueton. *in vita J. Cæsaris cap.* LXXX. *& seqq.* Eamdem rem describunt Dio, Plutarchus, aliique innumeri.

(5) Sueton. *in vita J. Cæsaris cap.* LXXXIII. *pag.* 145. Dio in extrema C. J. Cæsaris vita *lib.* XLIV. *pag.* 268. & *in Cæsare Octav. lib.* XLV. *pag.* 271.

(6) Dio *ibid.* Suetonius in O. *August. vita cap.* VIII. *pag.* 170. *& seqq.*

(7) Vide Suetonium *in vita Octav. Aug. cap.* XIII. *pag.* 178. *& seqq.* & Dionem *lib.* XLVI. *pag.* 3x6. *& lib.* XLVII. *pag.* 327. *& seqq.*

(8) Sueton *in vita Octav. Aug. cap.* XVI. Vell. Patere. *lib.* II. *pag.* 80. Dio *lib.* XLIX. *pag.* 399.

(9) Sueton. *ibid. cap.* XVII. *pag.* 187. *& seqq.*

(10) Sueton. *ibid. cap.* XVII. *pag.* 188. *& seqq.* Superavit autem Antonium apud Actium *ad d.* IV. *Non. Septemb. an. U. C.* DCCXXIII., ætatis suæ anno XXXII. Consule Dionem *lib.* LI. *pag.* 442. Orosium *lib.* VI. *cap.* XIX. Norisium *Cenotaph. Pisan. diss.* II. *cap.* VI. *pag.* 225. *& seqq. Tom.* III. *opp. edit. Veronensis*.

(11) Sueton. *ibid. cap.* XXVII. *& seqq.* Seneca *de Brevit. vitæ cap.* V. Dio *lib.* LII. *pag.* 463. *& seqq.* aliique.

unus Imperator (1), Pontifex Maximus (2), & Proconsul (3) esset. Cumque (4) tanta esset vis Tribuniciæ potestatis, ut qui eam obtineret, formidinem, metumque civibus afferret, passus non est, ut ea quisquam alius (5) potiretur. Hac tancta auctoritate cum valeret, nihil sibi esse a quoquam timendum arbitrabatur. Intelligebat enim hostium suorum futurum neminem, qui sibi rerum summam consequuto (6) resistere auderet. Quare Tiberio, atque (7) aliis, qui post Rempublicam gesserunt, exemplo fuit, ut cognoscerent quemadmodum Imperatorem sine periculo populum regere oporteret.

Interim Præsides, Procuratoresque in Provincias cum imperio mittebantur. Hi cum avidi pecuniæ essent non æquitate eas moderabantur, sed latrociniis (8), atque injustitia opprimere, ac funditus perdere studebant. Accedebat consilium amplificandorum imperii finium (9), quod in caussa erat, cur populatæ potius, atque eversæ multiplicato ære alieno, quam defensæ, adjutæque viderentur. Namque abierat illa ætas, qua imperium Populi Romani beneficiis tenebatur, quaque Senatus sociorum omnium, atque nationum refugium, ac veluti portus erat. Sed e tot tantisque malis Provincialium magnæ opportunitates exciterunt.

§. III.

(1) Suetonius *ibid. cap.* XLVII. *& seqq.* Strabo *lib.* XVII. *pag.* 577. *& seqq.* aliique.

(2) Idem *cap.* XXXI. Pontificatum suscepit *Prid. Non. Martii an.* 740. *Urb. Cond.* Tiberio Claudio Nerone, & Quinctilio Varo Coss. Vide Pighium *Annal.* III. *pag.* 521. *Ovid. Fast.* III. v. 419.

„ Cæsaris innumeris, quem maluit ille mereri,

„ Accessit titulis Pontificalis honos.

Vide Dionem *lib.* LIV. *pag.* 540. & Bosium *de Summo. Pontific. cap.* 2. *ab U. C.* 741.

(3) Namque in Provinciis imperium tenebat. Vide Dionem *lib.* LIII. *pag.* 506. & Suetonium *ibid. cap.* XLVI. *pag.* 268. & notationes Pitiscl *in eumdem locum* & M. Augustinum Campianum *de Offic. & Potest. Magistratuum Romanor. lib.* 1. §. IV. *pag.* 10. *& seqq. edit. Taurin. an.* 1724.

(4) Consule Ciceronem *lib.* III. *de legibus cap.* VIII. *& seq.*

(5) Suetonius *ibid. cap.* XXVII. *pag.* 215. *& seqq.* Dio. *l.* LI. *pag.* 457. Vide Norisium *differt.* II. *in Cenotaph. Pisan. cap.* XV. *pag.* 413. *& seqq. edit. Veron. opp. Tom.* III.

(6) Sueton. *ibid. cap.* XXVIII. *pag.* 217. Dio *lib.* LII. *pag.* 493.

(7) Vide Dionem *lib.* LIII. *pag.* 506.

(8) Erant enim plerique Verris similes, cujus scelera describit *in Actionibus in eum M. Cicero.* Sed de Præsidibus erit paullo post differendum.

(9) De hac re agit Moshemius *Hist. Eccles. sec.* 1. *cap.* 1. §. II.

§. III.

De pace quæ tunc obtinebat, cum natus est Christus.

Etenim superatis Gallis, victis barbaris gentibus, quæ ne imperia Romanorum sustinerent, defecerant, atque gravissima bella susceperant, & civili discordia sedata, Romani, quorum erat admirabilem in modum propagatum imperium, majore pace fruebantur, quam antea umquam consuessent. Etenim quod vix superiore Reipublicæ tempore bis evenerat, Cæsar orbe mari, ac terra pacato Templum Jani Quirini ter clausit (1). Nam Ægypto, Cleopatræ interitu, in potestatem Populi Romani redacta, cum Cæsar in Urbem rediisset, annoque 725. V. C. consul quintum fuisset, Janum primum (2) occlusit. Quapropter dati nummi sunt, qui fores ejus templi clusas (3) exhiberent. Biennio post, cum Augustus septi-

(1) Suetonius *in O. Aug. vita cap.* XXII. „ Janum Quirinum semel, atque iterum a condita Urbe „ memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta, ter „ clusit „. Multa de hoc Suetonii loco disputat Norisius *in Cenotaph. Pisan dissert.* II. *cap.* X. *pag.* 310. *Tom.* III. *opp. edit. Veron.* & Johannes Massonus *tract. chronolog. histor. de Jani Templo Christo nascente reserato sect.* II. *cap.* I. *pag.* 45. *& seqq. edit. an.* 1700.

(2) Titus Livius *lib* I. *Roman. hist. cap.* XIX. *pag.* 40. *edit. an.* 1665. „ Quod nostræ ætati Dii dederunt, ut videremus, post bellum Actiacum, ab Imperatore Cæsare Augusto, pace terra marique „ parta. Quod vero *vel an.* 724. *vel* 725. primum occlusæ Jani fores ab Augusto fuerint, multis ostendit Massonus *ibid. sect.* III. *cap.* I. *pag.* 60. *& seqq.*

(3) Ad annum quippe DCCXXV. refert Mediobarbus nummum, cujus posticam partem exhibet Oisellus, ut tradit Massonus *ibid. pag.* 65. estque hujusmodi *num.* I.

I.



II.



III.



Alterum generis ejusdem nummum exhibet Levinus Torrentius *comment. in Sueton. lib.* II. *cap.* XXII. Quinetiam extant nummi Augusti, post victum Antonium cusi, in quorum parte postica exhibetur templum,

mum conſul eſſet, orationem habuit ad Senatum ſeptimo idus Januarias, qua ſua in Rempublicam merita prædicavit (1), eſſeque dixit neminem aut barbarum, aut civem, qui ſeditionem movere auderet. Itaque omnes Romanos in pace, concordia, & felicitate verſari affirmavit. Ubi ille fecit dicendi finem, multis verbis rogatus a Patribus fuit, ut ſolus imperii ſummam regeret (2). Cæſar cum offerri ſibi ultro videret, quod magnopere expetiverat, committere noluit, ut quando eſſe Senatu volente poſſet, Princeps tamen eſſe in Republica (3) recuſaret. Civitates pleræque, magnos ob eam rem Octaviano honores decrerunt. Narbonenſes, ut quæ ſua (4) erga illum eſſet voluntas oſtenderent, ſtatuerunt, ut tres equites ſeptimo quoque idus januarias, qua die ipſe primum imperium orbis terrarum auſpicatus eſt, thure, atque vino ſupplicarent. Quo anno DCCXXVII. (5) V. C. bellum in Britanniam transferre voluit,

plum, & *Ara pacis*: cum inſcriptione PACI PERP. Apud Oſelium *tab*. LXXI. *num*. 12. & Antonium Auguſtinum *tab*. XV. *n*. 5. Eam ego exhibere hic volui. *fig*. 3. Atque huc ſpectant, quæ canit Ovidius 1. Faſtor. v.

„ Ipſum nos carmen deduxit pacis ad aram.
„ Hæc erit a menſis fine ſecunda dies.
„ Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
„ Pax ades: & toto mitis in orbe mane.

Ad idem fere tempus referre oportet nummum Mediceum, in quo eſt pax dextera caduceum geſtans, & anguis Aræ vel Ciſtæ inſiſtens, cum inſcriptione PAX, ut etiam cenſet Antonius Franciſcus Gorius amicus noſter vir eruditiſſimus *Tom*. 1. Muſæi *Florent*. *pag*. 53. Vide *fig*. 1. & 2.

I. II. III.



Nam conſulatus VI. *Aug*. incidit *in annum U*. C. 726.

(1) Dio *lib*. LIII. *pag*. 500.

(2) Dio *lib*. LIII. *pag*. 503.

(3) Dio *ibid*. „ Hac arte Cæſar, *inquit*, cum ſe velle Imperium deponere ſimulaſſet, effecit, ut „ ei a Senatu populoque confirmaretur.

(4) Inſcriptionem, qua hæc continentur, refert Gruterus *pag*. 229.

(5) Dio *lib*. LIII. *pag*. 512. *ad* VII. *Auguſti conſulatum*.

luit, Janumque Quirinum reſeravit. In Gallias cum veniſſet, Britanni ad eum legatos de pace (1) miſerunt. Compoſitis Britannorum rebus, confirmatiſque in officio Gallis (2), qui cum ægre ſervitutem ferrent, novis imperiis ſtudere videbantur, profectus in Hiſpaniam (3) eſt, ut Salaſſos, Cantabros, & Aſtures, qui in armis erant, Populo Romano parere cogeret. Re contra has, aliaſque gentes nonnullas, quæ rebellaverant, feliciter geſta, anno DCCXXX. (4) qui ante natum Chriſtum decimus fere, atque (5) octavus fuit, Jani fores ſecundum clauſit. Emiſſi tum quoque nummi, publicatique ſunt, qui pacem (6) in orbem terrarum inlatam fuiſſe exprimerent. Biennio fere poſt, cum expeditionem in Parthos paraſſet, ut clades Craſſi, atque Antonii (7) piaret, rurſum ei aperiendæ fores templi fuerunt. Coorta præterea eo circiter tempore pleraque bella ſunt, quæ efficiebant, ut illæ ipſæ fores diu paterent (8). Sed anno DCCXLIII. Senatus Janum Quirinum tertium (9) occludi juſſit. Interea crebri rumores afferebantur, Dacos Iſtrum flumen (10) tranſgreſſos, Pannoniam prædatum petere. Quæ res fuit impedimento, quo minus fieret, quod Senatus ſtatuerat.

(1) Dio *ibidem*.

(2) Dio *ibidem*.

(3) Vide Maſſonum *ibid. ſect.* III. *cap.* II. *pag.* 74. *& ſeqq.* qui rem veterum teſtimoniis confirmat.

(4) Oſtenditur idipſum a Maſſono *ibid. cap.* III. *pag.* 96. *& ſeq.*

(5) Verſimiliorem enim arbitror eſſe eorum opinionem, qui anno vel DCCXLVIII. vel DCCXLIX. U.C. natum fuiſſe Chriſtum defendant.

(6) Ad hanc enim ſecundam pertinere exiſtimant Mediobarbus ad A.V. 729. & Maſſonus *ibid c.* III. *pag.* 97. nummos, quos exhibet Goltzius *in Auguſt. pag.* LVII. quorum poſticæ partes ſunt hujuſmodi: *pag.* 209. *fig.* 2. 3. *& hoc loco fig.* I. *&* II.

I.



II.



III.



(7) Vide Maſſonum *ibid. c.* V. *pag.* 732.

(8) Ea recenſet Maſſonus *ibid. & ſeqq.*

(9) Dio *lib.* LIV. *pag.* 546.

(10) Dio *ibid.* Maſſonus *ibid. cap.* VIII. *pag.* 202. *& ſeqq.*

rat. His autem, atque aliis nationibus barbaris, quæ arma suſceperant victis, coactiſque maleficio abſtinere, cum Cæſar Auguſtus, Druſus, atque Tiberius in Urbem reverſi eſſent, exitum habuiſſe, quæ decreta de victoriis fuerant (1), traditum ab Dione Caſſio fuit. Atque ab anno DCCXLVIII. ad annum DCCLI., quo ſpatio temporis natum fuiſſe Chriſtum certum eſt, aut nulla, aut ſi qua uſquam bella excitata ſunt, ea neque magna, neque tam diuturna fuerunt, ut perturbare imperium poſſent, dignaque eſſent, quæ poſterorum (2) memoriæ commendarentur. Quare non ſcriptores Chriſtiani (3) modo, qui prædicta quæ fuerant a Prophetis de *Pace* ætate Chriſti futura, in exitum adducta fuiſſe defenderent; ſed Ethnici (4) quoque Auguſti tranquilla, plenaque felicitatis tempora ſummis laudibus celebrarunt.

§. IV.

(1) Dio *ibid.* ἐξ ὅσα ἐπὶ τὰς νίκας ἐψήφιστο, ἢ ἐξ ἄλλως καθήκοντα ἦν γενέσθαι, ἐπετέλεσαν *&c.* quæcumque de victoriis decreta fuerant, aut alias fieri debebant, peregerunt. Hinc Maſſonus *pag.* 206. *& ſeqq.* concludit tunc etiam, velut decretum fuerat, clauſas fuiſſe Templi Jani Quirini fores. Negat vero concludi hoc poſſe vir eruditiſſimus Philippus Venutus in graviſſima Diſſertatione gallice, atque italice ſcripta, ob quam præmium ab Academia *Antiq.* Pariſienſi obtinuit, & quæ inſerta eſt *Tom.* IV. *Diſſertationum Academiæ Cortonenſis pag.* 95. *& ſeqq.* Nolo equidem, propterea quod alio properem, inveſtigare utra ſit alteri præferenda ſententia.

(2) Conſule Noriſium *Diſſertat.* II. *in Cenotaph. Piſan. cap.* X. *pag.* 316. *tom.* III. *opp. edit. Veron.* Pagium *Apparat. ad Annal. Baronii n.* 129. Binæum *de Natali Jeſu Chriſti lib.* I. *cap.* III. §. V. & Petrum Danielem Huetium *Dem. Evang. Propoſ.* IX. *cap.* VIII. *n.* 3. Neque vero quæ contra diſputat Maſſonus *ibid. ſect.* IV. *cap.* V. tanti facienda ſunt, ut aut multa, aut magna tum bella fuiſſe evincant.

(3) Vide loca Origenis, Euſebii, Ambroſii, Hieronymi, & Auguſtini, quæ in notationibus ad ſequentem §. retuli *pag.* 214. *not.* 3.

(4) Conſule Titi Livii, & Suetonii loca, quæ ſupra exſcripſimus. Horatius *epiſt.* I. *libri* II. *v.* 250. *& ſeqq.*

. . . . . nec ſermones ego mallem
„ Repentes per humum, quam res componere geſtas
„ Terrarumque ſitus, & flumina dicere, & Arces
„ Montibus impoſitas, & barbara regna, tuiſque
„ Auſpiciis totum confecta duella per Orbem,
„ Clauſtraque cuſtodem pacis cohibentia Janum,
„ Et formidatam Parthis te Principe Romam.

Et lib. IV. *Ode* XV.

. . . . . . Tua Cæſar ætas
„ Fruges & ab agris retulit uberes,
„ Et ſigna noſtro reſtituit Jovi
„ Direpta Parthorum ſuperbis
„ Poſtibus, & vacuum duellis
„ Janum Quirini clauſit, & ordinem
„ Rectum, & vaganti frena licentiæ
„ Injecit amovitque culpas,
„ Et veteres revocavit artes.

Vide, quæ de ſe ipſo, deque Orbe terra marique pacato diſſerit Auguſtus ea Oratione, quam habuit ad Senatum *apud Dion. lib.* LIII. *pag.* 497. *& ſeqq.* In marmore Ancyrano, quo res ab Auguſto præclare geſtæ continentur, hæc leguntur:

§. I V.

Quemadmodum cum omnes Augusto parerent, constituta pace, censuque indicto, via ad ultimos usque imperii fines promota fuerint. Divino id consilio contigisse, ut facile Christiana Religio propagaretur.

ITaque cum unius viri arbitrio orbis Romanus regeretur, & pacatæ nationes essent (1), publicata a Cæsare edicta fuerunt, quibus juberetur, ut non civium (2) solum, sed sociorum (3) etiam capita censerentur. Erat enim ei magnopere curæ, ut quantum roboris, atque nervorum in imperio essent (4), cognosceret. Interim vias

CVM . A . CONDITA . VRBE . IANVM
QVIRINVM . BIS . OMNINO . CLAVSVM
FVISSE . PRODATVR . TER . ME
PRINCIPE . CLAVDENDVM . ESSE
DECREVIT . SENATVS

Celebris est Inscriptio apud Gruterum *pag.* CCLIX. quæ & elegantissima est, & digna aureo seculo Augusti. Habet autem hoc modo.

IMP. CAES. DIVI . F. AVG. PONT. MAX.
COS. XII. TRIBVNIC. POTEST. X. IMP. VIII.
ORBE . MARI . ET . TERRA . PACATO
TEMPLO . IANI . CLVSO . ET . REP. PO.
ROM. OPTIM. LEGIB. SANCTISS.
INSTIT. REFOR. &c.

Mitto cetera veterum testimonia, atque monumenta Antiquitatis, quibus exhibentur & pax constituta, & felicitas temporum illorum, & legationes gentium barbararum ab Augusto pacem petentium, quibusque confirmari res eadem potest, ne sim longior, quam oportet.

(1) Vide Dionem *lib.* LIII. *pag.* 507. *& seqq.*

(2) Consule Suetonium *in Augusto cap.* XXVII. *pag.* 216. *edit. Pitisci*: Dionem *lib.* LV. *pag.* 557. Tabulas Ancyranas, quas Leunclavius, Gruterus, & Chisullus exhibent.

(3) Consule *Evang. S. Lucæ cap.* II. Universum enim Orbem descriptum ait, atque etiam Judæos, qui propterea quod Herodi parerent, quamquam supremum dominium in Judæam Romani obtinebant, socii populi Romani dici poterant. Adeundi præterea Henricus Norisius *dissert.* II. *in Cenotaph. Pisan. cap.* XVI. §. XII. Ant. Pagius *Appar. ad crit. Baron. n.*CXXIX. Huetius D. E. *prop.* IX. *cap.* X. & Binæus *de Nat. Christi lib.* I. *cap.* III. §. V. Is tamen postremus a vulgata sententia discessit, quæ fere non Judæam solum, sed universum Romanum Orbem fuisse descriptum. Itaque merito impugnatus a Samuele Basnagio *de rebus sacris exercit. ad an.* XXXVII. *pag.* 184. *& seqq. edit. an.* 1692. & a Jacobo Perizonio *dissert. de Augustea Orbis terrarum descriptione, & loco Lucæ eam memorantis, edita Franequeræ an.* 1690. *post disquisitionem de Prætorio &c.* Ac de censu eodem agit præter innumeros alios Bartholomæus Christianus Richardus singulari dissertatione *de Censu Augusti universe indicto*, Vitembergæ *edita an.* 1704.

(4) Hinc Florus *l.* VIII. 6. Actum etiam a Servio censum hoc commodum attulisse ait, *ut ipsa se nosset respublica.*

vias aperiri, ac promoveri ad extremos uſque imperii (1) fines fecit, opportuniſque locis præſidia (2) locavit, ut omnibus iter, quocumque tandem vellent, tuto agere liceret. Perſpiciebat enim, niſi periculis, difficultatibuſque itinerum ſublatis, humani generis conſociationem conſiſtere non poſſe. Quæ omnia divino conſilio eveniſſe credendum eſt (3). Cum enim definitum divinitus eſſet, inſtaretque jam tempus, quo Meſſiam venire, Apoſtoloſque in mundum

(1) Vide Dionem *lib.* LIII. *pag.* 511. Suetonium *in Auguſto cap.*XXX. *pag.*223. *& ſeq.* & notationes Piriſci in eumdem locum. Inſcriptio Emeritenſis, cujus partem paullo ante exſcripſi ex Gruteri *p.* CXLIX. deſinit hoc modo:

..... VIAM . SVPERI
ORVM . COSS. TEMPORE . INCHO.
ET . MVLTIS . LOCIS . INTERMIS
SAM . PRO . DIGNITATE . IMPERII
LATIOREM . LONGIOREMQ.
GADEIS . VSQ. PERDVXIT.

Vide alias inſcript. *ibid.* Conſule egregium opus Nicolai Bergeri *de Publicis, & Militaribus viis &c.* e ſermone gallico in latinum tranſlatum, quod extat *Vol.* X. *Antiq Romanar. Gravii*, *pag.*1. *& ſeqq.*

(2) Adeundus Bergerus *ibid. lib.* IV. *ſect.* II. *& ſeqq. pag.* 407. *& ſeqq.* & Everardus Otto *de Tutela viar. publicar. parte* II. *cap.* IV. *& ſeqq.*

(3) Origenes *lib.* II. *contra Celſum num.* XXX. *pag.* 412. *Tom.* I. *opp. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri.* „ Deus, *inquit*, cum gentes ad (Chriſti) Doctrinam præparatas vellet, providit, ut uni Romanorum Imperatori parerent, ne ſi plures eſſent reges, genteſque eſſent a ſe invicem alienæ, difficilius Apoſtoli exequerentur id, quod illis a ſeſe præceptum fuit hujuſmodi verbis: *Euntes docete* „ *omnes Gentes.* Atque etiam conſtat Jeſum natum eſſe ſub Auguſto, qui in unum Regnum maximam „ hominum, qui in orbe terrarum diſperſi ſunt, multitudinem veluti conſociaverat. Regnorum enim „ multitudo impedimento fuiſſet, quo minus in totum Orbem doctrina Jeſu diſſeminaretur. Id efficitur tum ex iis, quæ jam diximus, tum inde maxime, quod pro patriæ defenſione bella gerendi „ neceſſitas fuiſſet, ut paullo ante Auguſti tempora, ſuperiuſque factum eſt ..... Quomodo igitur pacifica „ hæc doctrina, quæ ne inimicorum quidem injurias ulciſci permittit, potuiſſet invaleſcere, niſi toto „ orbe adventus Jeſu, placatis animis, diſſidia omnia compoſuiſſet „ ? Euſebius Cæſarienſis *lib.* I. *Præp. Evang. cap.* IV. *pag.* 11. *edit. an.* 1628. „ Divina, *inquit*, profecto, arcanæque poteſtatis id „ fuit, ut ſimulatque Verbum illius, deque ſummi unius tantum Dei, qui rebus præeſſet omnibus principatu, doctrina proponeretur continuo genus hominum ..... a multiplici Gentium dominatu vindicaretur. Præſertim cum ſexcenti olim reges ſingulis in nationibus, in urbibus autem, ac regionibus imperium infiniti reguli obtinerent, aliique populi, tyrannorum alii, alii denique plurium dominatu premerentur: cumque inde omnis generis bella, ut oportebat, exſiſterent, commiſſis inter „ ſeſe gentibus, vicinoſque populos infeſtis ſemper armis petentibus ..... At vero cum ſeſe primum „ Chriſtus oſtendiſſet, de quo Propheta olim cecinerant: *Orietur in diebus ipſius juſtitia, & abundantia pacis &c.* oraculorum veritatem continuo exitus comprobavit. Nam multiplex ille Romanorum „ principatus illico ſublatus eſt, cum Auguſtus ſub ipſum Servatoris noſtri adventum ſummam rerum unus accepiſſet „. Vide cetera quæ ſequuntur, maximeque ad rem noſtram pertinent: Similia habet Euſebius *lib.* III. *demonſtr. Evang. cap. ult.* & *lib.* VII. *cap.* II. S. Ambroſius *comment. in Pſ.* XLV. *pag.* 934. *Tom.* I. *opp. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri.* „ Hoc autem, *inquit*, eo perfecit, ut recte „ per totum Orbem Apoſtoli mitterentur. Illis quidem etiam interclusa barbaricis montibus regna patuerunt, ut Thomæ India, Matthæo Perſia. Sed tamen quo plura obirent ſpatia terrarum, in exortu Eccleſiæ poteſtatem Romani Imperii toto Orbe diffudit, & diſſidentium mentes, terrarumque „ divortia donata pace compoſuit. Didicerunt omnes homines ſub uno terrarum Imperio viventes, „ unius Dei omnipotentis imperium fideli eloquio confiteri „. Similia omnino perſequuntur S. Auguſtinus *lib.* XVIII. *cap.* XLVI. *de Civ. Dei* & Hieronymus *comment. in Iſaiam pag.* 23. *Tom.* III. *opp. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri.*

dum universum Evangelium prædicatum mittere oporteret, tollenda erant, quæ impedirent, quo id minus commode fieret. Quoniam vero ubi divisa regna sunt, inter finitimos principes excitari bella, & intermitti commercia solent, fitque etiam idipsum dissensione civili, perdifficile sane fuisset divisis imperiis, discordiave civium manente, eos, qui uni parerent, in alterius ditionem penetrare, introducereque Religionem, quæ componi cum Ethnicorum sacris nequiret. Præterea si impeditæ viæ fuissent, perpauci sese itineri commisissent, quod scirent esse plenum periculorum. Cum igitur imminente adventu Christi, tot res, tamque magnæ perfectæ fuerint, quæ numquam ante contigerant, ut eodem tempore factionibus deletis, unus omnium princeps, novæ societates comparatæ, pax constituta, faciles in omnes regiones commeatus essent, merito existimatum est, id non casu, sed singulari divini numinis providentia contigisse, ut veri Dei cognitio, quæ Judææ angustiis continebatur, Apostolorum labore, atque itineribus manaret in universum Orbem terrarum.

§. V.

De Religionibus Romanorum quo tempore natus est Christus.

INterea religiones erant Ethnicorum diversæ. Hoc conveniebant, quod non unum, sed multos esse Deos, eosque colendos arbitrarentur. Ac numina quidem sexu, poteſtate, muneribus inter se differre, esseque proinde illis adhibenda varia genera cultus, & officiorum. Gens una superare alteram impietate certatim videbatur, nullaque erat omnino, quæ propter superstitionem stultitiæ, neglectæque rationis accusari non mereretur. Sed summa erat in describendis, numerandisque diis inter eas dissensio. Neque enim iidem erant Romanis, Græcisve, atque Germanis, ceterisque barbaris nationibus numina. Namque vehementer errarent, qui Romanorum, atque Græcorum Deos in sacris reliquarum gentium reperire se posse confiderent (1).

Romani

(1) De hac re disputat Johannes Laurentius Moshemius homo e secta Lutheranorum *Hist. Eccl. sec.* 1. *cap.* 1. §. VII. Affert autem S. Athanasii insignem locum ex *orat. contra Gentes T.* 1. *opp. pag.* 25. *edit. an.* 1627. qui sic habet „ Non hine solummodo eorum (Ethnicorum) impietatem didiceris, verum „ etiam ex eo, quod in ipsis idolis discordis sententiæ sunt .... Non enim apud omnes iidem existimantur Dii, sed quot sunt gentes, totidem Deorum genera confinguntur &c. Vide quæ sequuntur; namque maxime ad rem pertinent.

Romani cum principatum in orbe terrarum obtinerent, id magnopere enitebantur, ut quo tandem cumque possent, eam, qua ipsi tenebantur (1), religionem introducerent. Magna autem inter hanc intercedebat, & Græcorum superstitionem conjunctio. Nam utrisque iidem Dii, atque eadem fere sacra (2) erant. Hoc discrepabant, quod aliarum gentium aliqua commenta Græcorum fabulis addidissent, deosque multos non (3) Etruscorum modo, sed etiam ab Ægyptiorum (4) publice adscitos colerent.

§. VI.

Liceret ne ea ætate Romanis peregrinas Religiones colere.

Religionis caussa neminem esse vexandum putabant, facileque ferebant suos peregrinis sacris initiari, modo nihil continerent, quod noxium Reipublicæ videretur. Itaque iis, qui in Urbe degebant, Ægyptiis (5), Hebræisque (6) fas erat patrios ritus privatim servare, precesque dis adhibere, quos majores eorum habendos existimaverant. Non tamen hæc semper Romanorum ratio fuit. Nam est plerumque magistratibus negotium datum, ut sacra externa fieri vetarent, & (7) sacrificulos, vatesque advenas Urbe prohiberent, omnemque disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, evertere curarent. Quod si qui erant, qui Deum aliquem ita venerarentur, ut quos respublica coleret, duci numero deorum negarent, propterea que irriderent; hi si pluribus suam doctrinam veram esse persuasissent, artificibusque, qui idola perficerent & Sacerdotibus, Auguribus, ceterisque, qui sibi victum,

(1) Nam, ut scribit Strabo, *lib.* IV. *Geograph. pag.* 189. 190., postquam barbaros quosdam Germanorum, Gallorumque ritus recensuit. „ Ab hisce rerum obscœnitatibus, fœdisque sacrificiorum, & „ divinationum ritibus mori nostro contrariis, Romani prorsus eos averterunt.

(2) Vide Dionysium Halicarnasensem *Antiq. Romanar. lib.* VII. *cap.* LXXII. *pag.* 460. *edit. Hudsoni.*

(3) Vide Lactantium *lib.* I. *Div. Instit. cap.* XX. *& notationes Cellarii in idem caput.*

(4) Lucanus *lib.* VIII. *Belli Pharf. v.* 83. *Nos in templa tuam Romanam accepimus Isin.* Receperunt enim Romani sacra Isidis, cui in Campo Martio templum constituerant. Consul. Ovid. *Amorum lib.* VIII. *pag.* 73. & Graterum *Thesaur. Inscript. pag.* 72. *& seqq.* & Dempsterum *Antiq. Romanar. lib.* II. *cap.* XXII. *pag.* 262. *& seqq. edit. an.* 1620. & Colerum ad Valerii Maximi *lib.* I. *cap.* III. Adsciscebantur autem publice Dii, Senatus auctoritate. Vetus lex apud Ciceronem in II. de legibus est: *Separatim nemo habessit Deos; neve novos, neve advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto.* Vide Tertull. *Apolog. cap.* V.

(5) Vide Tertullianum *Apolog. cap.* XXIV.

(6) Consule Philonem *legatione ad Cajum pag.* 847. *&* 864.

(7) Adeundus Titus Livius *lib.* XXXIX. *cap.* XVI.

ctum, res sacras administrando, parabant, detrimento (1) fuissent, pœnas luebant, propterea quod læsæ Religionis rei agerentur. Suppliciis quoque illi affici solebant, qui Imperatoribus rem divinam facere, eorumque imaginibus thure ac vino supplicare (2) nollent. Atque in hos, quamquam fuerint nonnulli, qui secus agerent, magno tamen numero Imperatores omnia cruciatus exempla edi oportere existimabant, ne quid (3) nova Religione in Rempublicam damni redundaret. Nihilo secius Civitatis Deos, etsi aliqui Philosophi (quorum jam Sectæ e Græcia propagari in Italia cœperant, & decreta multis probabantur) publice venerarentur, & sacrificia procurarent, pontificesque aliquando essent, tamen privatim si rejecissent, nullam noxiæ (4) pœnam ferebant.

§. VII.

Ex tot religionibus corrupti civitatis mores exsistebant.

Quibus ex rebus non minima incommoda, curruptique civitatis mores existebant. Nam qui Deum aut nullum, aut si quem ponerent, hunc generi hominum prospicere negabant (5), præter vim civilem nihil habebant, quod esse metuendum censerent. Itaque nullum scelus esse arbitrabantur, quod si clam fore confiderent, sibi non licere existimarent. Quamobrem nefariis voluptatibus implicati erant, neque sibi temperabant, quin si potuissent impune, leges, testamenta, & mortuorum voluntates, juraque vivorum evertere, atque in templa ipsa, quæ sacra ab se duci simulabant, invaderent, eaque diripere conarentur (6). Contra qui fabulis poetarum assensi, ira inflammatos, & libidine furentes

(1) Ut adversus Ethnicorum superstitionem fecerunt Christiani. Vide Epistolam *Plinii ad Trajanum de Christianis*, quam sæpe laudavimus. De hac re pluribus agit *Cornelius Van Bynkershoekius* homo de numero Protestantium *in opusculis varii argumenti*. *Opuscul.* IV. *pag.* 252. & *seqq.* *edit. an.* 1719.

(2) Vide quæ de hac re *lib.* I. *cap.* III. §. XXV. disputata sunt.

(3) Nova enim religione tolli superstitionem Ethnicam metuebant, atque ita immutatione religionis aliquid detrimenti posse rempublicam capere. Vide *Mecenatis* ad Augustum Orationem apud *Dionem lib.* LII. *prope finem*.

(4) Adeundus Cicero *lib.* I. *de Natura Deorum cap.* XXII. & quæ Vellejus paullo ante disserit apud eundem *lib. eodem*.

(5) Ut *Epicurei*.

(6) Vide Ciceronem *lib.* III. *de Nat. Deor. cap.* XXXIV. & *seqq.*

tes Deos induxerant, dederantque operam, ut eorum bella, pugnæ, prælia, odia, diſſidia, ortus, interitus, lamentationes, adulteria denique populo innoteſcerent, conſequuti hoc ſunt, ut homines ſua numina potius imitari, quam conſectari rationem (1) mallent. Ergo inſtituta plena crudelitatis in Deorum honorem ſpectacula fuerunt, ludique propoſiti, a quibus caſtitas omnis (2) abeſſet. Quin etiam concedentibus philoſophis, Romani ipſi adoleſcentulis (3) delectabantur. Exponi præterea infantes a (4) parentibus, cierique a mulieribus (5) abortus ſolebant, propterea quod nulla lege prohiberentur. Poſtremo ſumma erat perturbatio rerum (6) omnium, ac multi providebant fore, ut quæ adeo laboraret, niſi divino aliquo præſidio, conſiſtere diu Reſpublica nequiret.

CAPUT

(1) Adeundus Tertullianus *cap.* xv. *Apologetici*. Plura hujus generis reperire apud *Apologiſtas* noſtros eſt, qui proinde ſunt Ethnicos inſectati.

(2) Tertullianus Apolog. *cap.* xxxviii. „ Æque ſpectaculis veſtris in tantum renunciamus; in „ quantum originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas, cum & ipſis rebus, de quibus „ tranſiguntur, præterſumus. Nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu cum inſania circi, cum impudici„ tia theatri, cum atrocitate arenæ, cum vanitate xyſti &c. „ Similia ceteri noſtri Apologiſtæ ſcripſerunt. Sed de Ludis Romanorum adeundi Onuphrius Panvinius *lib. de Ludis Circenſibus*, & *lib. de Ludis Secularibus*. Julius Cæſar Balengerus *lib. de Circo Rom. Ludiſque Circenſibus &c.* Marquardus Freherus in *Cecropiſtromachia*, *antiqua duelli gladiatorii ſculptura &c.* Quæ opuſcula continentur *tom.* ix. *Theſauri Antiq. Romanar. Gravii*.

(3) Cicero *lib.* 1. *de Nat. Deor. cap.* xxviii.

(4) Extat Gerardi Noodtii liber inſcriptus „ Julius Paulus, ſeu de Partus expoſitione, & nece apud „ veteres. *Lugd. Batav. an.* 1710.

(5) De hac ipſa re agit Noodtus *ibid. cap.* xi.

(6) Vide Cyprianum Epiſt. ad Donatum 1. *pag.* 4. *& ſeqq. edit. Oxon. an.* 1682. De Romanorum perverſis moribus multa ex veteribus monumentis collegit Cornelius Adamus: *Exercit. de malis Romanorum ante Prædicationem Evangelii moribus ad Rom.* 1. *v.* 18. *ad* 32. quæ quinta eſt inter Exercitationes editas Groningæ *an.* 1712. Sed is auctor plurima contra Eccleſiam Romanam, ut mos Proteſtantium eſt, turbat, contra atque veritas poſtulet.

CAPUT III.

Qui ſtatus aliarum gentium ea ætate, qua Chriſtus eſt natus, fuerit.

§. I.

Quemadmodum Romani ſubactis variis gentibus, earumque ditionibus in provincias redactis, curaverint, ut illa Romanis ſacris aſſueſcerent.

INterea Romani quas regiones aut jure belli, aut alia quacumque ratione ſubegerant, in Provincias redigere conſuerant. Omnes provinciæ, etſi nomine conveniebant, pari tamen conditione non erant. Nam quarum erant aliqua in rempublicam merita, hæ ſane æquiore imperio utebantur, ceteræ duriore premebantur (1) ſervitute. Itaque vectigal quibuſdam impoſitum erat, aliæ nullum ſolvebant (2), quamquam opportuno tempore auxilia populo Romano præſtarent; nonnullæ præter morem patriis legibus vivebant. Iis, quæ bello victæ fuiſſent, libertas, cui omnes natura ſtudent (3), adimebatur. Quare jure ac legibus commutatis, ſecuribus ſubjiciebantur. Quoniam vero ſuperatæ vi nationes contineri in officio ſine armis, arma autem ſine ſtipendiis, ſtipendia denique ſine tributis parari ulla non poſſe cognorant, exercitus in provinciis (4) locabant, magnamque vim pecuniæ tributi, ſtipendiive nomine imperabant. Cumque devictis nationibus patriis legibus ſeſe regere minime liceret, Romani ad eas præſides cum imperio mittebant, quibus bella & inferendi, & inlata defendendi jus (5) eſſet. Præter hos Procuratores quoque Pro-

(1) Conſule Johannis Sibrandæ *Diſſertationis de Statu Judææ Provinciæ cap.* I. quod eſt *De Statu Provinciarum*. (2) Vide eumdem *ibidem*.

(3) Critognatus Oratione ad Æduos apud Cæſarem *lib.* VII. *de Bello Gallico c.* LXXVII. *p.* 283. *edit. an.* 1706. „ Romani, *inquit*, quid petunt aliud ..... niſi invidia adducti, quos fama nobiles, poten- „ teſque bello cognoverunt, horum in agris, civitatibuſque conſidere, atque his æternam injun- „ gere ſervitutem? Neque enim ulla alia conditione bella geſſerunt. Quod ſi ea, quæ in longin- „ quis nationibus geruntur, ignoratis, reſpicite finitimam Galliam, quæ in provinciam redacta, ju- „ re, & legibus commutatis, ſecuribus ſubjecta, perpetua premitur ſervitute.

(4) Vide Suetonium in vita C. *Cæſaris cap.* XXV. Eutropium *lib.* VI. *cap.* XIV. §. V. Dionem Caſſium *lib.* LXII. *pag.* 701.

(5) Conſule Tacitum Annalium *lib.* II. *cap.* LVI. Et ex novis Scriptoribus Johannem Sibrandam *l. c. num.* XV. *& ſeqq.*

vincias regebant, qui equites, aut liberti (1) erant, quibus onus imperatas pecunias exigendi, exque jure, veluti privatis, controversias disceptandi incumberet. His quandoque extra ordinem potestas fiebat, ut loco Præsidum essent, ac milites haberent, bellumque, si erat necesse, contra hostes populi Romani gererent. Cum hæc esset conditio Provinciarum, Romani, ut paullo ante demonstratum est, id maxime curabant (2), ut earum incolæ secum sacrorum similitudine convenirent. Quare natum tertium quoddam genus religionis est ex antiqua earum gentium, & Romanorum superstitione conflatum. Namque plurimi ad commodum, & utilitatem reipublicæ interesse Romani arbitrabantur, si barbara quædam, & plena crudelitatis (3) sacra, quibus plerique populi assueverant, sublata essent, omnesque inter se jungerentur societate religionis. Itaque persuadere victis populis nitebantur, eorum Deos a Romanorum numinibus voce, minime vero re discrepare, uti jus sacrum, quod in Urbe (4) obtinebat, illis non vi, sed libertate (5) imponerent. Quamobrem nominibus Romanis peregrinos Deos vocabant, varietatemque aliquam, quæ inter sua, aliorumque populorum sacra erat, quasi parvi interesset, negabant curari oportere. Difficile id quidem initio, plenumque periculi esse videbatur, quod sacerdotes, qui perspicerent, quo doli Romanorum spectarent, deterrere plebem possent, quo minus assentiretur. Quare his qui sacris præessent, partim metu inlato, partim concessis honoribus, silentium imponebant, factumque temporum progressione fuit, ut victi victorum ceremonias ita colerent, ut eas, quæ suorum propriæ essent, minime esse negligendas existimarent. Itaque cum vetere superstitione Dea Gallis esset, (6) quam

(1) Adeundi Dio Cassius *lib.* LIII. *pag.* 506. & *lib.* LVII. *pag.* 619. & Tacitus *lib.* XII. *Annal. cap.* XXXII. quo loco de Peligno Procuratore Cappadociæ loquitur, & *lib.* XIV. *cap.* XXXII. ubi agit de Cato Deciano Britanniæ Procuratore, & *Historiar. lib.* I. *cap.* XI. & LXX. & *lib.* II. *cap.* LVIII.

(2) §. V. *capitis superioris*.

(3) Vide Strabonem Geograph. *lib.* IV. *pag.* 189. & *seqq.*

(4) Agit de hac re Joh. Laurentius Moshemius *H. E. sec.* I. *cap.* I. §. XVIII.

(5) Nam alioqui difficile erat a sua religione barbaros abducere. Etenim recte est ab Dionysio Halicarnasensi animadversum *lib.* VIII. *Ant. Rom. cap.* LXX. *pag.* 456. *Tom.* I. *edit. Oxoniensis* „ Deos „ & religionem (tam a Græcis, quam a Barbaris) diutissime custodiri, nihilque in his quemquam im- „ mutare audere, propterea quod omnes iræ Deorum metu retineantur.

(6) Apud Gruterum *Thesaur. Inscript. pag.* XL.

ARDOINNAE .....

M. QVARTINIVS . M. F. CIVES . SABINVS . REMVS

MILES . COH. VII. PR. ANTONIANAE . P. V. V. L. S.

Est hoc item animadversum a Moshemio *l. c.*

quam Arduennam dicerent, quamque nemoribus, aquis, feris, venationibus præſidere arbitrarentur, Romani, qui hanc ſuæ Dianæ ſimilem eſſe cernebant, ei genti perſuaſerunt, Dianam ab Arduenna minime diſcrepare. Galli, qui in ea re quidquam fraudis latere ne ſuſpicabantur quidem, conjunctis nominibus, quam ante Arduennam, eam *Dianam Arduennam* appellaverunt. Quod ipſum in ceteris plerisque Provinciis evenit. Neque victi ſolum, ſed victores etiam a provincialibus ſacra quædam mutuati ſunt, ex qua re tot peregrinæ in Urbem ſuperſtitiones inductæ ſunt.

§. II.

Cujus generis Dii nationum eſſent.

DEorum, quibus nationes cultum adhibebant, diſcrepans erat origo, & ratio. Nam pleræque Soli (1), Lunæ (2), ceteriſque (3) ſideribus divinos honores haberi oportere putabant, quod ex his multa in hominum vitam commoda permanarent. Non deerant populi, qui (4) montes, amnes, arbores, terram, mare, ventos, atque etiam morbos, & vitia in Dis ponerent. Initio illi genios, quos haſce res curare (5) putabant, venerabantur. Sed fluxu temporum rude, atque imperitum vulgus diſtinguere res ab geniis, qui præeſſent rebus non valeret, omnia turbavit, Deorumque numero duxit, quæ anima, & ſenſu vacarent. Principes tamen omnium fere nationum Dii homines fuerant, qui cum rerum geſtarum gloria floruiſſent, eaſque beneficiis auxiſſent, digni viſi ſunt, quibus honores (6), cultus, preceſque adhiberentur. Negarunt id quidem nonnulli, imprimiſque Philoſophi; ſed cum eorum interpretationes, atque ſententiæ confictæ eorum arbitratu ſint, ut ne mortuos colere viderentur, atque ſecum illæ, cumque vetere Hiſtoria vehementer pugnent, perſuaderi nemini prudenti poſſunt.

§. III.

(1) Multis de cultu Solis apud pleraſque Gentes diſſerit Gerardus Johannes Voſſius *lib.* II. *de Orig. Idololatr. cap.* I. *& ſeqq.*

(2) Idem *lib. eod. cap.* XVIII. *& ſeqq.*

(3) Idem *ibid. cap.* XXII. *& ſeqq.*

(4) Idem *ibid. cap.* LIX. *& ſeqq. & lib.* III. *cap.* I. *& ſeqq.*

(5) Ita etiam cenſet Moshemius *l. c.* §. IX.

(6) Hoc pacto de Diis Gentium loquuntur Juſtinus, Tatianus, Athenagoras, Theophilus, Tertullianus, Minucius Felix, Arnobius, Theodoritus, ceterique Patres, qui Apologeticos libros contra Ethnicos ediderunt.

§ III.

De Deorum colendorum apud Ethnicos ratione.

Cultus Deorum variis ritibus, victimis, ſacrificiis, ceremoniiſque abſolvebatur. Ceremoniæ, rituſque ridiculi, nugarum pleni, & magnam partem turpes (1), obſcœni, & crudeles erant. Victimarum, atque ſacrificiorum diſcrepans eſſe ratio conſuerat, quod ita diverſa Deorum munera, officia, naturas poſcere cenſerent. Multi (2) beſtias, homines etiam nonnulli populi pro victimis (3) immolabant, adminiſtriſque ad ea ſacrificia ſacerdotibus utebantur, quibus demandatum onus rebus ſacris præſidendi eſſet, curandique ne quid perverſo ordine ageretur. Hi ſuis commodis cum ſtuderent, religionem quæſtu, utilitateque privata metiebantur. Ergo populum dolis, maliſque artibus decipiebant, idque apud aliquas nationes conſequuti ſunt, ut a bello abeſſe conſueſcerent, neque tributa una cum reliquis penderent, omniumque rerum haberent immunitatem. Præterea cultus Deorum, univerſaque religio certis locis, ædibus (4), atque temporibus continebatur. Perraro Deos extra templa, in quibus degerent, vim ſuam exerere Ethnici putabant. Rurſus quod multis negotiis impediri numina judicarent, ea ſuam operam quocumque tempore hominibus, auxiliumque dare negabant poſſe. In templis ſtatuæ, ſignaque Deorum collocabantur, quibus qui ſacra facerent, ſupplicare jubebantur. Deos cum aut hominum, aut beluarum quarumdam ſimiles eſſe dicerent, tales in ligno, ære, aut lapide exprimi cura-

(1) Bachanalia, Eleuſinia, & convivia in Deorum templis poſt rem ſacram fieri ſolita cogirene, qui flagitia Ethnicorum in colendis Diis explorata habere deſiderant. Conſule Commentarium Bynkershoekii *in Senatuſconſultum Marcianum diſſ.* I. *opuſc. de religione Peregrina &c.* & Livium *lib.* XXXIX. *cap.* XIV. XVII. & XVIII. De Eleuſiniis adeundus Tertullianus *Apolog. cap.* VII. & e novis Scriptoribus Meurſius *in opere de hoc argumento*, ex quo ceteri acceperunt, qui poſt de Eleuſiniis loquuti ſunt. De conviviis videndus Tertullianus *cap.* XXXIX. *Apolog.* ceterique noſtri Apologiſtæ. Quod attinet ad ludos gladiatorios, qui certe religioſi erant, conſule Scipionem Maffejum *degli Anfiteatri lib.* I. *cap.* I. *pag.* 3.

(2) Vide Johannem Saubertum *de ſacrificiis veterum a Thoma* Crenio rurſum *editum Lugduni Batavorum an.* 1699.

(3) Vide *Saubert. ibid. cap.* XXI. *pag.* 455. & Hieronymum Columnam *ad fragmenta Ennii pag.* 29. Negat Henricus Morinus, ullum populum tam barbarum fuiſſe, qui homines ſacrificaret, vetерumque teſtimonia in dubium revocat. *Hiſt. des Inſcr. & des Belles Lettres Tom.* I. *pag.* 55. At ſi hæc ratio negandi valebit, neſcio ulla ne res in hiſtoria ſit, quam negare non liceat.

(4) Pleraque in hanc rem affert Moshemius *l. c.* §. XI.

curabant, quales eos mente confinxerant. Hæc ſigna præſentia numinum honorari, nobilitarique arbitrabantur. Accedebant ceremoniæ quædam occultæ, quæ in populis, qui ad orientem ſolem ſpectarent imprimis obtinebant, & quæ myſteria dicebantur. Horum ſpectatores, participeſque ii tantum erant, qui fidem ſuam ſacerdotibus probaviſſent, iiſque ſacris initiari paſſi eſſent, quæ plena erant moleſtiæ, atque pœnarum. Initiatis quidquam eorum, quæ viderant, in vulgus efferre non licebat, niſi præſens vitæ periculum adire vellent. Etſi ea omnibus explorata non erant, cognitum tamen eſt, multa in ipſis agi conſueſſe, quæ honeſtati, ac pudori adverſarentur (1).

§. IV.

Univerſæ ei religioni nullum inerat ad virtutem incitamentum.

ITaque cum ejuſmodi Ethnicorum omnium ſuperſtitiones eſſent, excitare neminem valebant ad colendam virtutem, atque ſanctitatem morum. Dii, Deæque, quibus (2) ſacrificia offerebantur, quoniam homines flagitiis inſignes fuerant, ſi ad rem ullam, ad vitia quidem certe, atque improbitatem exemplo ſuo inducere mortales poterant. Sacrorum antiſtites, qui ſceleratis moribus erant neque auctoritate, neque præceptis, neque monitis quemquam hortabantur ad recte inſtituendam vitam. Quæ de (3) præmiis, pœniſque ſempiternis diſputabant, partim referta fabulis erant, partim excogitata ad alendam improbitatem. Ergo qui ſapientiores videri volebant, hæc omnia, quæ ſunt de felicitate (4), cruciatibuſve ſempiternis, & ſine quibus conſiſtere pietas non poteſt, rejiciebant. Quamobrem ut apud Romanos, ita apud exteros majore parte homines omni vitiorum genere implicabantur. Qui ingenii facultate præſtabant, cognorant Deorum religionem inanem, & plenam ſuperſtitionum eſſe. His, ut ab ſententia deterreren-

(1) Erant tamen nonnulli populi, qui templis carerent, Deoſque ſub dio, atque in lucis colendos eſſe arbitrarentur. Hujus generis erant Perſæ, Galli, Germani, atque Britanni.

(2) Moshemius *ibid.* §. xv.

(3) Multa de his diſſerit Thomas Bartholinus Danus *lib. de Cauſſis contemtæ a Danis Gentilibus mortis lib.* II. *pag.* 306.

(4) Ita Cicero in Tuſculanis, Juvenalis Poeta, & Philoſophi Epicurei, iique omnes, qui ſuſtulerant Providentiam.

terrerentur, ostenta primum atque prodigia sacrorum Præsides (1) opponebant, quæ in templis, & ad statuas Deorum quotidie evenire prædicarent. Ad oracula deinde, divinationemque confugiebant, qua futura, quæ sine numine Deorum immortalium prospici nequire dicerent, hominibus manifestari nugabantur. Sed oracula vel fraude Sacerdotum, vel malorum Dæmonum (2) artibus fundi solebant. Quocirca ludibrio a philosophis quibusdam exponebantur.

§. V.

De Philosophorum apud Græcos religione.

Apud Græcos pleræque erant sectæ sapientum, quos Philosophos appellabant. Horum pars religiones Ethnicas non probabat; sed ut ne invidia vulgi (3) laboraret, Deos, quos publice colebat, privatim tollere conabatur. Multa erant ab his præclare de superstitionum vanitate, deque officiis moribusque hominum disputata. Philosophorum autem nemo ante Christum fuit, qui de divinis (4) rebus castigate sentiret, statueretve, quæ esse recta vivendi disciplina deberet. Fuerunt ex iis, qui Deum nullum esse habendum (5) arbitrarentur. Nam qui ab Epicuro Epicurei (6) sunt appellati, etsi Deos ponerent, quos nobis antecepta cognitione perspectos esse censerent, creasse tamen eos quidpiam, prospicereve rebus nostris inficiabantur. Itaque verbo ponebant, re autem vera funditus Deum tollebant. Omnia ad voluptatem referri oportere ajebant, negligendamque esse virtutem, quæ componi cum voluptate non posset. Non deerant qui de rebus omnibus dubitarent,

(1) Vide *Lactant. institut. lib.* II. *cap.* VII.

(2) De hac re agam alio loco opportune.

(3) Sic enim sese gerebant Cicero, aliique plures Romani, atque Græci Philosophi, qui Socratem imitati, etsi de Diis secus atque vulgus sentirent, tamen idolis, ut ne in vulgi invidiam incurrerent, sacrificabant, eosque reprehendebant, qui contra agere auderent.

(4) Videsis quæ de illorum placitis sunt a Cicerone *in* 1. *de Natura Deorum*, a Diogene Laertio *in Vitis Philosophorum*, a Plutarcho *de Placitis Philosophorum*, a Pseudo-Origene *in Philosophumenis*, a Minucio Felice *in Octavio*, a Lactantio *in Divinis Institutionibus*, & recentiore memoria a *Stanlejo Hist. Phil.* & Bruckero *Hist. Phil.* memoriæ commendata. Non enim est otium, ut in singulis recensendis operam consumam.

(5) De Pseudo-Philosophis Atheis, si qui fuerunt, differunt *Joh. Fr. Buddeus in hist. Atheismi*, & Reimannus *hist. ejusd. arg.*

(6) Vide Ciceronem *lib.* I. *De Natura Deor.* Gassendum *de vit. & Philosoph.* Epicuri, & Bruckerum *hist. Phil. lib.* II. *part.* II. *cap.* XIII.

rent, ſcirique nequire ſintne, an nulli ſint dii, moriantur ne, an perpetuo animi humani vivant, ac deceatne virtutem potius, an vitia conſectari defenderent. Atque hi dividebantur in ſectas duas, quarum una ſic veritatem latere diceret, ut ne veriſimilem quidem rem ullam eſſe arbitraretur. Hæc a Pyrrhone (1) *Pyrrhoniana* vocata eſt. Altera ſpeciem aliquam veri nobis apparere facile (2) patiebatur, modo ne quid quiſquam certo ſciri poſſe contenderet. Hæſit huic *Academica* appellatio. Erant Epicureorum, atque Academicorum ſectæ, quo tempore natus eſt Chriſtus, latiſſime propagatæ, ita ut in orbe Romano qui dignitate, auctoritateque aliqua valerent, alterutram fere omnes profiterentur. Perpauci enim Stoici, aut Peripatetici erant. *Peripatetici*, qui Ariſtotelem auctorem ſequebantur, plura de Deo, de anima, deque officiis ſtatuebant, quæ humano generi magnam utilitatem afferre non poſſent. Nam Ariſtoteli Deus (3) nullus niſi principium motus mundi machinæ fuit, quod omnia cum in motum cieat, ipſum tamen maneat immotum, nulliuſque rei, quæ infra lunæ (4) cælum ſit, curam gerat. Qua in re parum a Deo Ariſtotelis diſcrepat Epicuri Deus, qui nec haberet ipſe, nec cuiquam alteri exhiberet negotium. Peripatetici de animæ ſempiterna vita nihil certi definiebant. Providentia autem ſublata, ac revocata in dubium humanorum animorum immortalitate, nihil ſupererat, quod tradi de moribus, de officiis, de pietate, ac religione recte poſſet. *Stoici* Zenonis (5) ſectatores erant, nomenque a porticu, quæ στοά græce vocatur, ceperant. His Deus erat ignis incredibili ſubtilitate per univerſum orbem fuſus, ſapiens tamen, atque ita proſpiciens humanis rebus, ut omnibus bene cuperet. Ducebatur tamen neceſſitate, ita ut nihil, niſi quod lex æterna ferret, moliri, agereque, nulla bonis præmia dare, maliſve ſupplicia inferre poſſet. Animos aliquamdiu, poſteaquam corpore ſint ſoluti, vivere, poſtremoque interire. Ergo ta-

Tom. I. F f metſi

(1) Vide Laertium, Sextum Empiricum, eoſque, qui de Scepticis egerunt, quoſque laudat Bruckerus *lib.* II. *part.* II. *cap.* XIV.

(2) Hi Arceſilæ, & Carneadis Sectatores erant, ac Mediam, Novamque Academiam conſtituebant, de quorum decretis agit copioſe Bruckerus *lib.* II. *part.* II. *cap.* VI. *ſect.* III. *& ſeqq.*

(3) Fuerunt enim qui dubitarent Atheus ne Ariſtoteles fuerit. De quo argumento extat ſingularis Georgii Walkii diſſertatio. Sed de decretis Ariſtotelis, ejuſque aſſeclarum multis diſputant Franciſcus Patricius *in diſquiſitionibus Peripateticis*, Stanlejus *in H. Phil.* & Bruckerus *lib.* II. *part.* II. *cap.* VII. *ſect.* I. *& ſeqq.*

(4) Bruckerus *ibid. pag.* 820. *& ſeqq. Tom.* I.

(5) De Stoicis agunt Laertius, Cicero, Plutarchus, & ex novis Johannes Albertus Fabricius, Stanlejus, Hornius, & Bruckerus *lib.* II. *part.* II. *cap.* IX. *ſect.* I. *& ſeqq.* aliique.

metsi præcepta bene, integreque vivendi darent, tamen sublatis præmiis, atque immortalitate perpetua animorum, id quoque tollebant, quod homines ad virtutem colendam, ejusque fructum ferendum incitaret. *Platonici*, qui Platonem (1) Aristotelis magistrum consectabantur, & qui Academiam veterem colebant, numen sempiternum dari pugnabant, idque jam summa potestate, & sapientia præstans, a quo universitas rerum ornata, animique hominum immortales creati sint. Bonos præmiis, malos suppliciis, cruciatuque affici oportere. Interea Plato infinita scientia diminuit Deum, certoque spatio, ac loco conclusit, quin indigna hæc esse numinis natura, & majestate animadverteret. Multa de animis, & dæmonibus præterea disputavit, quæ mirifice ad superstitionem augendam conducerent. Ejus moralis disciplina vitiis abundabat. Imprimis aliam esse populi, aliam excellentium ingeniorum institutionem scripsit. Nam his jussit, ut magnopere curarent iterum conjungi cum Deo, a quo veluti dissecti, abscissique sint, quæ res, ut ab illo præcipiebantur, quin sapientiores mortales efficerent, plurimum conferre ad stultitiam solebant. A populo nihil præter vulgaria officia poscebat, multaque plebi permittebat, quæ cum honestate, atque virtute pugnarent. Atque hæc de Sectis, quæ tum vigebant, cum natus est Christus, dicta sunto (2).

§. VI.

De religione Ægyptiorum.

Sacra Ægyptiis partim communia omnium, partim propria quarumdam provinciarum erant. *Propria* generum variorum erant, propterea quod nulla lege cautum esset, ne qua civitas quos vellet Deos veneraretur, eosque ritibus, qui sibi placuissent, coleret. *Communes* dii, qui principes habebantur, homines fuerant, qui rebus aut præclare, aut flagitiose, improbeque gestis,

(1) Platonis doctrinæ commoda & incommoda plerique exponere tentarunt. Joh. Laurentius Moshemius *H. E. sec.* 1. *cap.* 1. §. XXVIII. neminem ad sua tempora accurate in hoc argumento esse versatum scribit. Mihi vero nunc diligenter illud esse persequutus videtur Bruckerus *par.* II. *lib.* II. *H. Phil. cap.* VI. *sect.* 1. *& seqq.* quamquam & is nonnulla peccat, quæ facile tamen confutari possint

(2) Vide Bruckerum *Hist. Phil. per.* II. *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* II. *sect.* 1. *quæ est de Philosophis Gentilibus sub Imperatoribus Romanis*. .

gestis , apud suos laudem meruissent , habitique immortales essent . In his Serapis , Osiris , Typhon , Isis numerabantur . Accedebant *Sol* , *Luna* , atque pleraque alia sidera , bestiæ quoque , & plantæ nonnullæ, quibus divinos honores adhibebant . Nihil erat in utrisque sacris liberale , honestumve ; immo vero plura reperiebantur , quæ turpia , obscœna , & absurda essent . Bestiarum cultus noxius erat reipublicæ (1) . Cum enim aliqui populi eas occiderent , quæ ab aliis consecratæ essent , bella religionis caussa oriebantur , magnamque in provincias inferebant partem incommodorum .

§. VII.

De religione Persarum .

Persæ etsi olim Zoroastris scita , institutionesque observabant , cum tamen Verbum Divinum humanam sibi naturam conjunxit , a vetere doctrina , disciplinaque defecerant . Qui doctiorum numero ducebantur, hi unum supremum Deum ponere videbantur, duosque præterea minores , quorum alter boni , alter mali origo esset , atque illum quidem *Arimanium* , hunc *Oromasdem* appellabant . Erant hæc nomina virorum , qui apud ipsos aliquando vixerant . Summum Deum Mithram vocabant, qui rex fuerat , eumque in sole velut in imagine cerni arbitrabantur . Plebs solem *Mithram* esse dicebat , tantique faciebat , ut eo majorem ullum Deum ne cogitari quidem posse defenderet. Soli duos illos Arimanium,& Oromasdem jungebat , atque alios fortasse , quorum est ab antiquis scriptoribus prætermissa memoria (2) .

(1) De religione Ægyptiorum pluribus disputant Johannes Baptista Casalius in Opere *de Sacris Ægyptior. Roman. & Christianor. ritibus* , & e Protestantibus Joh. Laurentius Moshemius a. Radulphi Cudworthi *systema intellect. Tom.* 1. *pag.* 415.

(2) Eos , qui de religione Persarum veterum scripserunt , nominat Moshemius ad Radulphi Cudworthi systema *Intellectuale Tom.* 1. *pag.* 249. & 327. Multo plura complexi sunt , quæ ad rem eamdem pertineant , Thomas Hydæus Anglus in celebri opere *de religione veter. Persarum*, & Bruckerus *lib.* II. *Hist. Phil. cap.* III. *Tom.* 1. *pag.* 143. & *seqq.*

§. VIII.

De Populorum, qui ad septemtriones spectabant, superstitione.

QUI Galliam, Germaniam, regionesque ceteras, quæ ad septemtriones pertinent, incolebant, operam imprimis dabant, ut gentes reliquas belli laude superarent (1). Quare nihil prætermittebant, quod conducere ad eam rem posse videretur. Itaque uti suos cives ad artem omnem belli incitarent, Deos consecrarunt, qui hujusmodi moribus vixissent. Soli præterea divinos honores tribuebant, erantque, qui nonnulla alia sidera venerarentur. Sacrorum ministris Galli Drudibus utebantur (2), qui summa obtinebant apud populum auctoritatem; rebus divinis intererant, sacrificia publica, atque privata procurabant, religionesque interpretabantur. De omnibus fere controversiis publicis privatisque constituebant, & si quod erat admissum facinus, si cedes facta, si de hæreditate, si de finibus controversia erat, iidem decernebant, & præmia, pœnasque inferebant. Si quis aut privatus, aut publicus eorum decreto non stetisset, sacrificiis interdicebant, quod genus pœnæ apud eos gravissimum erat. Illi quibus ita erat interdictum numero impiorum, ac sceleratorum habebantur, omnesque aditum eorum, sermonemque defugiebant, iisque petentibus nullum jus reddebatur, neque honos aliquis communicabatur. Druidibus unus præerat, qui summam apud eos haberet potestatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis dignitate excelleret, succedebat. Si plures erant pares, suffragio Druidum unus adlegebatur; nonnumquam etiam de principatu armis contendebant. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habebatur, considebant in loco consecrato. Huc omnes, qui controversias haberent, conveniebant, eorumque judiciis, decretisque parebant. Disciplina Druidum in Britannia (3) reperta, atque inde in Galliam translata esse dicebatur. Imprimis hoc volebant persuadere: Non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios; atque hoc maxime ad virtutem excitari putabant, metu mortis neglecto. Multa præterea de Deorum vi ac potestate disputa-

(1) Vide Strabonem *lib.* IV. *Georg. pag.* 188.
(2) Jul. Cæsar *lib.* VI. *de Bello Gallico cap.* 13.
(3) Cæsar *ibidem*.

ſputabant, & juventuti, quæ illis ſeſe tradidiſſet in diſciplinam, prodebant. Duces bellorum Druidum amicitiam expetebant, quo facile multitudini dominari poſſent. Barbari item erant populi, ſævi, crudeles, rapaces, ita ut eorum aliqui reperirentur, apud quos latrocinia nullam infamiam haberent, quæ extra fines cujuſque civitatis fierent, quod ea juventutis exercendæ, ac deſidiæ minuendæ cauſſa fieri prædicarent (1).

§. IX.

Quam fuerit neceſſe, ut ea ætate divinus ille Doctor gentium univerſarum veniret, qui tot malis mederetur.

QUÆ reliquarum gentium ſacra, qui mores, & quæ inſtituta eſſent, longum eſt dicere. Hoc certum eſt, verſari illas in pari ignoratione divinarum rerum, & improbitate vitæ conſueſſe. Ex qua re intelligi facile poteſt, quam eſſet opus divino illo magiſtro, qui *expectatio omnium nationum* eſſet, quique turpiter errantes, vitiiſque implicatos homines inſtitueret, doceretque, quid ſentiendum, & quid agendum cuique eſſet; Neque enim virtute viri alicujus, qui ingenii facultate præſtaret, deterreri a ſuperſtitione, & pravitate morum ceteri poterant, cum etiam qui ſapientiæ laude florebant, hi maxima in perverſitate ſententiarum, vitæque turpitudine verſarentur.

CAPUT

(1) De Gallorum, & Germanorum Religione quæ a Cæſare, Cornelio Tacito, Strabone, aliiſque dicta ſunt, collegit, Illuſtravitque Bruckerus *lib.* II. *cap.* IX. *Tom.* I. *Hiſt. Phil. pag.* 314. *& ſeqq.* Conſuli etiam poterunt Martinii opus *de la Religion des Gaulois*, & Pelloutierus *Tom.* XXIX. *Bibliotheca Germanica art.* XIII. ..... *pag.* 206. Et Joh. Georgius Frikius *diſſert. de Druidibus*, quæ edita eſt Ulmæ *an.* 1731. aliique, quos *ibid.* nominat Bruckerus.

CAPUT IV.

De Origine ac Propagatione Christianæ religionis in Palæstina cum Christus Servator inter homines ageret.

§. I.

Homines sanctos, qui jam usque ab initio hujus Universitatis rerum, etsi non voce, re tamen Christianos fuisse.

OPportuno igitur tempore Verbum divinum humanam sibi naturam conjunxit, venitque in mundum, eamque religionem, atque disciplinam intulit, qua non modo salus, atque felicitas sempiterna animis concessa est, sed etiam maxima commoda invecta in civilem hominum societatem. Quamquam enim qui ante floruerant sapientes, pii, sanctisque moribus homines, nonnisi (1) fide in Messiam venturum, virtuteque passionis, mortisque ejus futuræ amici esse Dei meruerunt, tamen hi exiguo numero fuerant, neque tanti valere poterant, ut ceteros ad veram religionem, virtutemque colendam a superstitione, atque improbitate traducerent. Hi vero cum ea, qua dictum est, *fide* in Christum venturum, (namque hunc Messiam, quem Judæi præstolabantur esse ostendimus) salvi tandem, beatique perpetuo ut essent, impetrarint, reipsa Christiani fuerint necesse est, tametsi non appellarentur hoc tanto nomine.

§. II.

(1) *S.* Augustinus *lib.* XVIII. *de Civ. Dei cap.* XLVII. *Tom.* VII. *opp. edit. Monach. S. Mauri.* „ Divinitus, *inquit*, provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse „ potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad spiritalem Jerusalem. Quod „ nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est *unus mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus*; qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, ut una eademque per ipsum fide, omnes in Dei civitatem, in „ Dei domum, Dei Templum prædestinatos perducat ad Deum. Consule S. Thomam Aquinatem III. *part. quæst.* LXI. *art.* III. *ad* 2. & 2. 2. *quæst.* II. *art.* II.



230

gico veterum Patrum ...

(5) Consule Petrum Danielem Huetium *Demonstrationis Evang. prop. ix. cap. v. pag. 356. edit. an.* 1679.

§. II.

De ortu Christi in oppido Bethleemo, deque iis, qui primi omnium Messiam, ac regem a Prophetis prænunciatum esse cognorunt.

Ergo ut genus hominum errare desineret, definito divinitus tempore, cum Octavianus (1) Cæsar Augustus imperium teneret Populi Romani, regnoque Judææ Herodes (2) alienigena potiretur, anno circiter a condita hac rerum universitate (3) quater millesimo Verbum Divinum, Deus ipsum, & quamquam distinctum *hypostasi*, seu *persona* a Patre, ejusdem tamen atque Deus Pater naturæ, humanam carnem, atque animam sibi conjunxit, & homo factum virtute, operaque Spiritus Sancti, ex Deipara Virgine nasci voluit, cui nomen Maria erat, florebatque singulari laude sanctitatis. Duxerat ea ex genere Davidis (4) originem, ut quod divini Vates prospexerant, Messiam e J dæ, ac Davidis posteris nasci oportere (5), exitum in Christo habuisse cognosceretur. Maria cum Nazarethi, quod oppidum est Galileæ Provinciæ, ageret, ab Archangelo Gabriele,

(1) Jam hoc constat ex Evangelio *S. Lucæ cap.* II. Quare Sanctus Irenæus *lib.* III. *contra Hæreses cap.* XXI. *al.* XXV. *pag.* 216. *edit. Parif. Monach. S. Mauri*, natum esse Christum ait „ circa primum „ & quadragesimum annum Augusti Imperii „. In eamdem sententiam venit Tertullianus *lib. adversus Judæos cap.* VIII. Quo loco „ videmus, *inquit*, quoniam quadragesimo, & primo Imperii Augusti, quo „ nascitur Christus &c. Sed de re testata atque explorata non est necesse, ut plura esse dicenda putem. Fuerunt autem, qui quærerent, cur non ante Messias venisset. Quæ etsi inepta quæstio erat, quod hominum proprium non sit legem Deo præscribere ullam, tamen explicata, ut fieri humanitus potuit, a multis est, quos recenset Johannes Albertus Fabricius *in delectu argumentorum, & syllabo scriptor. de religione Christ. cap.* XX. *pag.* 676.

(2) Id quoque patet ex *Evangelio Matthæi cap.* II.

(3) Circiter dixi propterea quod variæ de anno, quo Christus est natus, sint, interque se dissidentes Chronologorum sententiæ, quas fere omnes numerat Johannes Albertus Fabricius *Bibliogr. Antiq. cap.* VII. §. IX. *pag.* 187. *& seq.* Nos Usserianam epocham indicavimus, ut quæ plerisque videatur esse ad veritatem propensior.

(4) Manifestum est, Christum e Tribu Juda fuisse. *Paul. ad Hebr.* VII. *v.* 14. & quidem e Davidis stirpe. *Evang. Lucæ cap.* I. *v.* 32. *&* 69. *Act.* II. *v.* 30. XIII. *v.* 23. *ad Rom.* I. 3. II. *Tim.* II. *v.* 8. Quare Davidis filius communi populi voce proclamatus fuit. Matth. XXI. 9. 15. & alibi. De Genealogia Christi præter Scriptores, qui de Mysteriis, & annis Christi commentarios ediderunt, singularibus Dissertationibus egerunt *Petrus de Marca Diss.* I. *de Stemmate Christi pag.* I. *& seqq. edit. varior. Opusc. an.* 1681. Calmetius *de Genealog.* J. C. *præfixa comment. in Evang. Matthæi*; Bollandiani ad diem XIX. Martii *T.* III. *mens. Mart. pag.* 10. *& seqq.* & ex Protestantibus, ut ceteros prætermittam, Jacobus Ottiugerus duabus Dissert. *de Genealogia* J. C. quæ insertæ sunt *Thesauro novo Theologico Philolog. T.* II. *edit. Batava an.* 1732. Atque hi quidem, quæ fuerint de Stemmate Christi Genealogico veterum Patrum sententiæ, demonstrarunt, ut opus non sit easdem iterum recensere.

(5) Consule Petrum Danielem Huetium *Demonstrationis Evang. prop.* IX. *cap.* V. *pag.* 356. *edit. an.* 1679.

briele, qui missus ad eam nuncius a Deo fuerat, intellexit electam se divino consilio ex omni æternitate fuisse, ut conciperet opera Spiritus Sancti, ac pareret Dei filium, qui Jesus vocari deberet, & magnus futurus, atque regnum Davidis patris sui perpetuo retenturus (1) esset. Erat ea Josepho castissimis moribus, incredibilique vitæ integritate viro desponsata, itaque cum eo manebat, ut eodem consentiente, quam ipsa Deo (2) vovisset, coleret (3) virginitatem. Josephus cum prægnantem alvo fœtum continere videret eam, cujus notitiam numquam habuisset, clam domo excedere (4), sponsamque deserere constituerat. Sed ab Angelo, qui noctu sese illi conspiciendum dederat, jussus ne quid mali de Virgine integra suspicaretur, utque injuria (5) abstineret, deterritus a suscepto consilio est, decrevitque domi consistere. Interea edictum a Cæsare fuit, ut quemadmodum in Provinciis plerisque factum fuerat, ita (6) Judæorum, qui Herodi socio Populi Romani, parebant, capita censerentur. Erat autem necesse, ut quisque in civitatem, quæ patria fuisset majorum suorum, abiret (7), quo suum nomen in tabulas referri curaret. Quare Josephus, qui Bethleem ita origine erat, Nazaretho una cum sponsa discessit, Bethleemumque, ut profiteretur, contendit. Eo cum pervenisset, neque hospitio a quoquam exceptus esset, coactus fuit in stabulo, quasi in diversorio (8), morari. Ibi cum Maria puerum peperisset, neque, ob paupertatem, locum ullum aptiorem haberet, in quo infantem reclinaret, eum in præsepi, quod nacta in stabulo est, caussa requietis (9) posuit. Sequuta deinceps prodigia sunt, quæ

(1) S. Lucas *cap.* I. *Evang. v.* 26. *& seqq.*

(2) Vide S. Thom. III. *part. q.* XXVIII. *art.* IV. *&* *Natal. Alex. Hist. Eccl. sect.* I. *cap.* I. *art.* 3.

(3) Confer *Just. Mart. Dial. cum Tryph. n.* LXVI. Tertullianum *adv. Jud. c.* IX. Origenem *l.* I. *contra Celsum*. Eusebium *lib.* VII. *Demonstr. Evang.*, & e novis Petrum Danielem Huetium *Demonstr. Evang. prop.* IX. *cap.* IX. & Augustinum Calmetium *Dissert. in locum Isaiæ: Ecce Virgo &c.* præfixa *comment. in Isaiam*.

(4) Vide Origenem *lib.* I. *contra Celsum n.* XXXII. *pag.* 350. *T.* I. *opp.* quo loco calumnias Celsi adversus Virginem Sanctissimam excogitatas refellit. Adeundi etiam Interpretes *in cap.* I. *Evang. Matthæi v.* 19. *& seqq.* Extat etiam Francisci Burlugi *de Παραδειγματισμῷ sponsæ adulteræ disputatio gemina*, sed iis in disputationibus homo a nostris sacris alienus nonnulla contra *Vulgatæ editionis* lectionem turbat.

(5) Vide *Evang. Matthæi ibid.*

(6) Vide quæ de censu capite superiore dicta sunt.

(7) S. Lucas *cap.* II. *Evang.*

(8) *Ibid.*

(9) Quare Christiani non novi modo, sed etiam veteres, ut memoria retinerent, quæ jam usque ab ortu suo Christus Servator passus pro genere hominum esset, eum jacentem in præsepio in picturis exhibuerunt. Vide Aringhum *lib.* III. *Romæ Subterraneæ cap.* XXII. *pag.* 615. & 617. Bollandianos de

quæ Lucas Evangelistes monumentis mandavit litterarum (1). Visi enim per aera Angeli fuerunt, qui gloriam Deo canerent, & pacem bonæ voluntatis hominibus nunciarent. Cumque pastores quidam prope ex eo loco abessent, & Angelum clarissima luce circumfusum vidissent, qui natum illis Servatorem esse significaret, atque indicia commonstraret, quibus eum cognoscere liceret, decreverunt Bethleemum contendere, ut oculis, quæ audierant, intuerentur. Ubi ad stabulum venerunt, cognorunt eum, qui in tam humili loco jaceret, puerum divinum esse, quem Prophetæ scripserant & Messiam, & pauperem (2) futurum. Itaque cum eum venerati essent, Deoque laudem dixissent, propterea quod sese adeo demittere voluisset, quo generi hominum salutem afferret, in ovile redierunt donorum cælestium, & alacritatis pleni. Hi viri tam humili loco nati *primitiæ Christianismi* fuerunt. Quare mirum est extare hac ætate Christianos, qui ita dites, ac nobiles colant, ut pauperes, atque abjectæ fortunæ homines, quasi indignos communione sacrorum despicentur. Octavo die infans circumcisus fuit, quod implendæ, non solvendæ legis caussa venisset. Quod de stabulo diximus, deque extrema rerum omnium inopia, quam pati Servator Christus, dum natus est, voluit,

de Ephemerid. Mosc. pag. LVI. *& seq. Tom.* I. *Maji*. In antiquo vitro, quod extat in Museo Victorio res eadem expressa est. Ejus figuram, quam ligno incidi curavit, illustravit, mihique deinde dedit Eques Franciscus Victorius vir eruditissimus, hic apponi volui.



Vitri antiqui magnitudo.

Vide præterea vetera monumenta, quæ proferunt Aringhus *Tom.* I. *Romæ Subterraneæ lib.* II. *cap.* X. *pag.* 299. & *pag.* 395. *Tom.* II. *pag.* 355. 615. 617. & vir Clarissimus Johannes Bottarius in egregio opere inscripto *Pitt. e Scult. &c. T.* I. & II.

(1) S. Lucas *ibid.*

(2) Vide Petrum Danielem Huetium *Demonstr. Evang. prop.* IX. *cap.* LXXXVII.

tam fuit pervulgatum, ut id non Christiani solum prædicarent; sed etiam Ethnici confiterentur, locumque indicarent, in quo natum esse dicerent Deum Christianorum (1). Præterea de nominibus Josephi, ac Christi tempore Augusti in tabulas relatis, cum a Cyrino censa Judæorum capita fuerunt, quæ quidem tabulæ a Romanis conservarentur, traditum nonnihil memoriæ a Tertulliano vetere imprimis scriptore (2) fuit.

Bethleemi cum adhuc Maria esset, Magi ex Oriente Hierosolymam venerunt, qui ubinam esset natus Rex Judæorum (3) sciscitarentur. Novum enim sidus in cælo conspexerant, quod afflatu, instinctuque divino cognorant indicium regis esse, quem divini vates venturum aliquando prædixissent. Itaque stellam viæ ducem sequu-

(1) Origenes *lib. 1. contra Celsum n. 11. pag. 367. T. 1. opp. edit. Monachorum S. Mauri* post allatum *e cap. v. Prophetiæ Micheæ v. 2.* locum *de Messia Bethlecmi nascituro*, hæc habet: „ Hoc „ vaticiniam nulli fanatico, nulli impostori, nulli eorum, qui se cælitus venisse prædicant, ut ait „ Celsi Judæus, accommodaveris, nisi is demonstretur in Bethleem natus, aut alius forte dixerit, & „ Bethleem egressus ad regendum populum. Jam si quis hoc Micheæ vaticinio, historiaque in Evan„ gelio a Jesu discipulis scripta minime contentus, ultra quæsierit quidpiam aliud, quo persuadeatur „ Jesum in Bethleem natum esse, is recogitet in Bethleem monstrari speluneam, in qua natus est, „ & in spelunca præsepe, ubi est fasciis obvolutus, quæ omnia consentanea sunt narratæ in Evangelio „ de ortu ejus Historiæ. Atque hoc in locis illis pervulgatum est, atque etiam apud fidei hostes cele„ bratum, in illa spelunca natum esse eum, quem Christiani adorant, & admirantur Jesum „. Vide quæ sequuntur. Extat Henrici Krauseni *de Christi loco Natalitio in Urbe Bethleem ad Matth. 11. cap. 11. Dissertatio*, in qua recensentur Justini Martyris, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Eusebii, aliorumque testimonia de loco, in quo Christus est natus.

(2) Et a Justino Martyre, & a Johanne Chrysostomo, quos laudat Huetius *prop. 11I. Demonstr. Evang. n. 1v. pag. 24. edit. an. 1679.*

(3) De Magis qui essent, & ex qua regione venissent, variæ sunt scriptorum, interque se dissidentes sententiæ. De qua re consuli possunt magnus Baronius ad *an. 1. n. xxx.* Calmetius *Dissert. de Magis, qui Jesum adoraturi venerunt, præfixa Comment. in Evang. Matthæi*. Thomas Vincentius Monelia vir eruditissimus & Magister meus, & in Pisana Academia publicus SS. Litterarum Professor *Diss. de annis Christi p. 30. & seqq.* Natalis Alex. H. E. sec. 1. E protestantibus etiam plerique fuerunt, qui operam in eo argumento illustrando collocarint, inter quos numerari possunt Christophorus Cellarius *Dissert. de Magis &c.* & Laurentius Benedictus Triebel *de Magis post Jesum in templo repræsentatum advenientibus ad Matth. c. 11. v. 1.* cui tamen multu turbanti assentiri non possum. Johannes Fridericus Miegiaa *de Stella a Magis conspecta ad Matth. 11. v. 2.* M. Balth. Stolbergius *Dissert. de Magis ad Matth. 11. v. 1.* & M. Dan. Rhodenus *Dissert. de primis Salvatoris veneratoribus Magis ad Matth. 11. v. 1.* Huic autem rei ne ipsi quidem Scriptores Ethnici fidem Historiæ negaverunt. Itaque Chalcidius Platonicus Philosophus *in Comment. in Timæum Platonis pag. 325. edit. Joh. Alb. Fabricii T. 11. opp. S. Hippoliti*. „ Est quoque, *inquit*, alia sanctior, & venerabilior Historia, „ quæ perhibet ortu Stellæ cujusdam, non morbos, mortesque denunciatas, sed descensum Dei ve„ nerabilis ad humanæ conservationis, rerumque mortalium gratiam. Quam Stellam cum nocturno „ itinere suspexissent Chaldæorum profecto sapientes viri .... quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, „ repertaque illa majestate puerili, veneratos esse, & vota Deo tanto convenientia nuncupasse &c. Scio Fabricium in ea opinione versari, ut Chalcidium Christianum fuisse putet. At si hoc in Chalcidii commentario, nihilque ethnicum præterea reperiretur, non equidem Fabricio resisterem. Verum cum tot habeat, quæ ethnica omnino sunt, non intelligo, cur in Christianis potius Chalcidius sit, quam in Gentilibus numerandus. Vide Dominici *de Colonia Soc. Jesu Theologi opus de la religion Chrét. Autorisée par le Temoignag. des Ancient Auteurs Payens. Tom. 1. part. 1. cap. vi. §. 1. pag. 196. & seqq.*

ſequuti (1), iter ad Principem Judææ urbem direxerant; cumque prope abeſſent, ſeque privatos ſtellæ conſpectu vidiſſent, Herodem regem poſtremo adierunt rogatum, quo in oppido ortus magnus ille Rex Judæorum eſſet, cujus expectatione gentes univerſæ tenerentur. Intuitos namque ſe in Oriente ejus ſidus fuiſſe dixerunt, atque ob eam rem munera attuliſſe, eumque adoratum veniſſe. Ubi Herodes intellexit, quid rei eſſet, convocatis Sacerdotum Principibus, qui periti decretorum religionis eſſent, percuntatus ex illis eſt, quo tandem in oppido naſci oportere Chriſtum arbitrarentur. Illi conſultis oraculis Prophetarum, nullum dubium eſſe reſponderunt, quin Bethleemo profectus Meſſias, omnes gentes deinceps ad ſeſe convertere deberet. Rex hac oratione audita, concilium dimiſit. Magos deinde ſecreto vocari ad ſe juſſit. Quæſivit diligenter ex ſolis, quo primum tempore ſtellam vidiſſent? Cum omnia accepiſſet, quod ſibi a novo rege metueret, ſatis eſſe cauſſæ putabat, quare eum interfici juberet. Sed prius quam quidquam conaretur, hortatus Magos eſt, ut abirent, & cum puerum inveniſſent, certiorem ſe ejus rei facerent. Sibi enim eodem eſſe religionis cauſſa veniundum. Illi Hieroſolyma egreſſi, rurſum viſa ſtella (2), hanc ſequuti ſunt præeuntem. Paullulum cum e domo, ubi puer degebat, diſtarent, conſiſtere ſtellam immotam, domoque imminere animadverterunt. Igitur ibi eſſe infantem rati, eo intrarunt, nactique ipſum cum matre, divinos ei honores adhibue-

(1) S. Matth. *cap.* II. *Evang.*

(2) Chriſtiani veteres, cum ea, quæ Evangeliis continentur, memoria tenere vellent (moveri autem imprimis homines imaginibus ſolent, ut rerum facilius recordentur) hoc quoque quod de ſtella, deque Magis erat, Sarcophagis inſculpſerunt. In Sarcoph. Marmoreo effoſſo e Vaticano Cœmeterio, allatoque ab Aringho *Tom.* I. Romæ Subterr. *pag.* 295. & a Bottario *Tab.* XXII. *delle Pitt. e Scult. &c. Tom.* I. illuſtrato, exhibentur Magi opertis capitibus pileis Phrygiis, a Tertulliano *lib. de Orat. cap.* XXI. quo loco de tribus pueris in fornace Babylonis agit, *tiaris* appellatis. Eodemque modo exprimuntur apud eumdem Bottarium *Tab.* XXI. Non diſcrepat ratio veſtitus, & operimenti capitis, quam repreſentat nummus antiquus, qui extabat in Muſeo Cardinalis Boncompagnii, primumque Lelii Paſqualini fuerat, & cujus ectypon in collectaneis MSS. Peireſcii Harduinus vidit, eſtque illius ſimilis, cujus nos ſchema exhibuimus ſupra *pag.* 211. *fig.* III. Miror autem quid ſit, quod hoc genus veſtis plebejum, & capitis tegumentum ruſticanum viſa ſit Harduino fuerit. *Comment in cap.* II. *Evang. Matth. pag.* 23. Nam Paridis quoque in marmoribus antiquis, & Priami in picturis *Cod. Virgilii Vatic. Bibl.* capitibus hoc tegmen impoſitum cernitur. Vide *Bottar. l. c. Tom.* I. *pag.* 87. Eodem autem capitis integumento tres pueri Babylone damnati exhibentur apud eumdem *Tab.* XLIII. LXXXII. Atque hinc ego ſuſpicor, multo antiquiorem XIV. ſeculo nummum hunc eſſe, contra atque viſum eſt Harduino. Nam XIV. & inſequentibus ſeculis coronas imponi in Magorum capitibus, non pileum Phrygium; Magumque unum Æthiopis facie exhiberi a pictoribus, & ſculptoribus conſueſſe, teſtata res eſt. Nummus autem ſic Magos exprimit, ut in antiquis illis Sarcophagis, aliiſque etiam allatis ab Aringho *Tom.* I. & II. *Roma ſubterranea* exprimuntur. Vide Johannis Triſtani a S. Amante *Epiſtolam ad Jacobum Sirmondum edit. Pariſ. an.* 1650. *pag.* 41. & *ſeqq.*

buerunt, ac deinde munera (1) obtulerunt. Post divinitus moniti, ut ne ad Herodem redirent, commutato itinere, in Patriam redierunt. Hi Magi primi Ethnicorum fuerunt, qui ad nostra sacra accederent.

Quadragesimus jam instabat a partu dies, quo tempore Mariam Bethleemo secedere (2), ac Hierosolymam, quo ceremoniis de purificatione puerperæ lege præscriptis lustraretur, accedere oporteret. In urbem ergo cum se contulisset, postque in templum venisset, Annam Prophetiden, Simeonemque senem invenit, qui ambo multa de puero, quem illa gestabat, prædixerunt, Deoque gratias egerunt, propterea quod sibi concessisset, ut ante quam interissent, Redemtorem Israelis intuerentur. Eo ritu peracto Josephus, & Maria cum puero Nazarethum in Galilæam redierunt. Biennio fere post quam stella Magis apparuerat, Herodes, cum extrema ægritudine laboraret, sibique interitum imminere cognosceret, in Judæos, quos sibi esse infestos arbitrabatur, sævire constituit. Quare accersitis ad se primoribus civitatis, eos in circo clausit, atque ubi decessisset, sorori, ut occidi curaret (3), jussit; memorque rerum earum, quas a Magis acceperat, bimulos infantes Bethleemitas omnes eodem fere tempore interfecit (4), quo in filium Antipatrum animadvertit, qui ei conjurationi suspectus erat. Quamobrem ut Pastores, Magi, Simeon, atque Anna *Christianorum*; ita infantes Herodis jussu interempti *Martyrum primitiæ* fuerunt.

§. III.

(1) In mox allatis Sarcophagis, inque aliis duobus, quos refert Vir eruditissimus Bottarius *l. c. Tab.* XL. *&* XXXVII., ut & in nummo Magi offerentes munera exhibentur. In postremis tamen duabus tabulis discrepans est habitus Magorum ab eo, quem exhibent priores duæ, & nummus. Magi in omnibus tres tantum cernuntur. Quæ res confirmat vulgatam traditionem S. Leoni Magno probatam. De Magorum donis adeundi Interpretes *in cap.* II. *Matthæi*. Johan. Daniel Major e numero Protestantium edidit brevem exercitationem: *De Mirrha Christo a magis oblata*. Ac tres in ceteris Sarcophagis, picturisque, quas ab aliis primum, tum ab Aringho, postremoque a Bottario publicatas fuisse novimus, Magi comparent. Consule Aringhum *Tom.* II. *pag.* 117. 143. 159. 351. 395. *& Tom.* I. *pag.* 325. 333. 321. 587. 615. 617. & Bottarium *Tom.* I. *&* II.

(2) Lucas *cap.* II. *Evang. v.* 22. *& seqq.* Sunt qui ante Hierosolymam ad ceremonias de purificatione explendas Mariam venisse, quam Magi Bethleemum pervenissent, putent. Quibus Tillemontius videtur accedere. *Nota* 12. *in vita J. Chris. Tom.* I. *Mem. Hist. Eccl. pag.* 450. *& seqq. edit. Paris. an.* 1693. Mihi vero multo aliorum opinio, qui contra sentiunt, videtur esse ad veritatem propensior. Nam quemadmodum aliter componi possint, quæ Lucas tradit de reditu Nazarethum post purificationem, cum his, quæ de reperto Bethleemi a Magis puero Matthæus prodidit, non intelligo.

(3) Vide Josephum *lib.* XVII. *Antiq. cap.* VI. *pag.* 846. *edit. Haverc.*

(4) Quid caussæ fuerit, cur Josephus hujus rei nequaquam meminerit, ostendit Bernardus Lamius *Appar. in concord. Evang. part.* I. *cap.* XI. §. IV. *pag.* 93. *& seqq. edit. Paris.*

§. III.

De baptismo, & prædicatione, & miraculis Servatoris Christi, deque hominum multitudine, quos ad suam religionem colendam adduxit.

Duodecimo suæ ætatis anno Christus una cum Matre, & Josepho, quo viro ille ceu Patre utebatur, Hierosolymam venit, quod ita diei festi (1) consuetudo posceret. In templum cum ascendisset, doctoresque legis invenisset, qui de rebus religionis disceptarent, ita cum iis egit, ut omnes tantam inesse in adolescentulo doctrinam mirarentur, (2) quantam ne in doctissimis quidem viris umquam agnovissent. Namque hoc ille indicium eorum esse voluit, quæ post ipsi, cum constitutum a Patre tempus extitisset, agenda erant. Reversus deinde Nazarethum privatus illic versatus est, quoad attigit tricesimum ætatis annum. Ergo anno xv. Imperii Tiberii Augusti, cum Pilatus Procurator Judææ Provinciæ esset, & Herodes Antipas Herodis Magni filius Tetrarchiam Galilææ (3) obtineret, (quo tempore Johannes Baptista, qui missus (4) divi-

(1) *S. Lucas cap.* II. *Evang. v.* 42. *& seqq.*

(2) Hoc item Christiani veteres picturis exprimere consuerunt, ut earum aspectu in memoriam revocarent, quæ pro salute hominibus restituenda Christus gessisset. Itaque in Cœmeterio S. Agnetis via Nomentana in cubiculo secundo Christus duodenis cum doctoribus legis disputans cernitur. Consule Aringhum *lib.* IV. *cap.* XXXVII. *pag.* 195. *Rom. Subterr. Tom.* II.

(3) Vide *S.* Lucam *cap.* III. *Evangelii*. Dissident inter se Chronologi de anno, quo ad baptismum Christus accessit. Sunt qui XXVI. æræ vulgaris anno id evenisse censeant. Non desunt qui XXVII. Alii vel XXVIII. vel XXIX. vel XXX. vel XXXI. æræ ejusdem baptizatum fuisse arbitrantur. Mihi Monelia Magistri mei viri clarissimi probatur sententia, qui *Diss. de Annis Christi cap.* IV. *& seq.* anno XXVIII. ineunte Christum a Johanne baptismo fuisse perfusum defendit, Gravesonum, Bernardum Lamium, Natalem Alexandrum, aliosque, qui in alias abierunt opiniones, refellens.

(4) De Johannis Baptistæ vocatione, victu, vita, officio, & morte præter Interpretes Scripturarum, & Baronium consuli etiam ex Orthodoxis poterunt Bernardus Lamius *Apparat. Chronol. in Concord. Evang. part.* II. *cap.* VIII. *& seqq.* Tillemontius *Mon. H. E. Tom.* I. *edit. cit. pag.* 86. *& seqq. & pag* 507. *& seqq.* Multis etiam de Johanne Baptista disserunt Hermannus Witsius *in vita Joh. Bapt. observat. Hist. & Critic. illustr. Tom.* II. *Miscell. Sacror. edit. an.* 1712. *p.* 467. *& seqq.* Christophorus Cellarius duabus *Differt. de Vit. & carcere & supplicio Joh. Baptist.* atque ut ceteros missos faciam, Paulus Rabius: Dissertionibus *de Victu & amictu Johan. Baptistæ* inserta *citat. Thesaur. Philolog. Theol. & T.* II. *pag.* 222. *& seqq. edit. a.* 1732. Conradus Samuel Schurzfleiskius *diss.* inscripta: *Joh. Ermazon.* & M. Balthassar Stolbergius *diss. de Amict. & Victu Joh. Bapt.* Quod ad Christum attinet, qui baptizari ab Johanne voluit, antequam ad Evangelium prædicandum accessisset, majores nostri, ut hujus etiam mysterii facile reminiscerentur, oculis id subjicere aut insculpendo marmoribus, aut pingendo, aut incidendo annularibus lapidibus, ac nummis statuerunt. Consule Aringhum *Tom.* I. *pag.* 381. *& Tom.* II. *pag.* 395. quo loco refert ectypon tabulæ marmoreæ, quæ e sacris Cœmeteriis Christianorum effossa fuerat. In ea Johannes Christum per immersionem, ac per infusionem, ut ajunt, baptizans cernitur veste pellicea indutus, cujusmodi ea est, quæ a Matthæo *cap.* III. *v.* 4. & Marco *cap.*

divinitus fuerat, ut adesse Messiam nunciaret, omnes hortabatur, ut suorum criminum pœnitentiam agerent) Christus, qui certo sciret, instare

cap. II. *v.* 6. describitur, exhibeturque in nummo æreo Musei Victorii, & gemma cujus item ectypon refert doctissimus eques Victorius in egregio opere inscripto: *Nummus æreus veterum Christianorum commentario explicatus p.* 68. Nobis & numinum, quem æri incidi Victorius curavit, & gemmam referre hoc loco placuit. Etsi autem vetera hæc monumenta esse nemo jure inficiari posse videatur; quo tamen tempore elaborata fuerint, ne suspicari quidem possum.





Gemmæ antiquæ magnitudo.



instare diem illum, quo prodire in publicum, atque docere, instituereque mortales deberet; accessit ad Johannem, ab eoque in Jordane flumine baptizatus, & Patris, Spiritusque Sancti testimonio, ut erat reipsa, filius Dei declaratus, secessit in locum quemdam desertum, ut jejunio (exemplo enim nobis in rebus omnibus, quæ ad recte vivendum pertinent, esse volebat) sese ad prædicandum pararet. Cumque quadraginta dierum spatio nihil gustasset (1), in publicum processit, agressusque est Evangelium promulgare. Itaque viros aliquot abjecto, atque humili loco natos delegit, quibus indidit nomen discipulorum. His ille suorum operum, prodigiorumque testibus utebatur, ut cum ipse migrasset in cælum, peragrare Orbem terrarum, ac testificari, quæ vidissent, convertereque ad veram religionem mortales possent. Interea contigit, ut in Cana vico Provinciæ Galilææ nuptiæ celebrarentur. Cum eo Christus rogatu illorum, ad quos pertinebat, cum matre, ac discipulis una venisset, vinumque defecisse cognosset, precibus matris inductus fuit, ut adferri ad se hydrias sex (2) aqua plenas juberet. Ubi ministri, quod jussi fuerant, fecerunt, Christus singulari prodigio aquam in vinum transmutavit, consequutusque est, ut qui aderant hominem illum esse a Deo missum intelligerent, & discipuli in religione confirmarentur. Hoc primum prodigium a Christo patratum fuit. Nazaretho deinde profectus Capernaum (3), quod item oppidum est Galilææ Provinciæ in finibus Nephtalimi, & Zabulonis, venit; nunciareque aggreditur proximum esse cælorum regnum, hortarique mortales, ut sibi prædicanti assentiantur. Percrebrescebat in dies ejus (4) celebritas, & fama, magnusque proinde numerus hominum

(1) Tentatus fuisset a diabolo victorque fuisset, de qua tentatione, & victoria legendi Interpretes *in Matth. cap.* IV *& Lucæ cap.* IV. *Evang.* Extat Johannis Danielis Majoris hominis de numero Protestantium *Scrutinium Satanicæ Cosmodixeos, seu Regnorum mundi Christo a diabolo monstratorum*, insertum *Tom.* II. *Thesaur. Philolog. mox citati pag.* 141. *& seqq. & Andreæ Gothofredi Ammon tentator Satanas confutatus a D. N. J. Chr. in conflictu, ibid. pag.* 159. *& seqq.*

(2) Cujusmodi hæ Hydriæ essent, quantumque vini continerent, vix cognosci potest, cum mensurarum ejus temporis obscura sit ratio. Itaque Interpretes *in cap.* II. *Evang. Johann.* in varias abeunt sententias, quarum nonnullas numeravit *Johannes Tabingius dissert. de Sex Hydriis in Kana Galilæa*. Sed is auctor, ut Protestantes solent, nostræ communionis homines insectatur, ita scilicet, ut fit, sine ulla caussa. Christiani veteres hoc quoque prodigium, ut memoria retinerent, seque ut Deum, qui nos in admirabile lumen suum tot prodigiis vocavit, laudare excitarent, exprimi in sculptis lapidibus, pictisque imaginibus curarunt. Vide Aringhum *Tom.* I. *pag.* 313. 613. 615. *Tom.* II. *pag.* 163. 399. In vetustissima Sede Pontificum Ravennatum (quod nos exhibere hoc loco voluimus, quod monumentum septimo seculo non esse recentius putant Bacchinius *in Append.* ad Agnellum, & Johannes Bottarius vir clarissimus *Præf. Tom.* II. *delle Scult. &c. pag.* XV.) hoc idem prodigium insculptum cernebatur.

(3) *Matth. cap.* IV. 13. *& seqq. Johan. cap.* II. 12.

(4) *Lucas cap.* IV. *Evang. v.* 14. *& seq.*

minum ad eum audiendum concurrebat. Miraculo ad Genesarethanum (1) stagnum patrato, inductisque Petro, Andrea, Johanne, atque Jacobo, uti se, relictis omnibus, quæ possiderent, sequerentur, Capernaum redit, & synagogis (2) frequentans, virum quemdam a diabolo vexatum sanat. Galilæam deinde lustrat (3), & in synagogis Provinciæ quid sentiendum, quidque sit agendum summa libertate, dicendique vi, atque gravitate docet.

Interea confluunt undique ad eum ægri petitum, ut illos curet, reque impetrata domum læti revertuntur. Augebatur multitudo quotidie hominum, qui non e Galilæa modo, sed e Judæa etiam, ac regionibus, quæ trans Jordanem sunt, veniebant, ut disserentem audirent, & ex eo commodi quidpiam, atque utilitatis caperent. Contigit autem die quadam, ut Christus quemadmodum consuerat, in montem instante (4) nocte, solus oratum ascenderet. Mane vocatis ad se discipulis, duodecim ex iis delegit, quibus indidit nomen Apostolorum. Descendit post in locum, ubi magnus numerus hominum erat, explicavitque qui tandem illi sint.

(1) *Matth. cap. IV. v. 1 & seqq. Marc. cap. I. v. 16.* Lucas *cap. V. v. 1. & seqq.* Hoc prodigium expressum in vetere eburnea tabella a Christianis, exhibent Bonarrotius *observ. in Numism. Maximi Moduli Musei Carpinei pag. 395.* & Petrus Franciscus Fogginius vir clarissimus, *initio operis de Itinere & Apostolatu S. Petri*. Est vero hujusmodi



Atque hoc quidem prodigium hac figura exhiberi multis ostendit Fogginius *ibid. exerc. XX. pag. 490. & seq.*

(2) Marcus *cap. I. v. 2. & seqq.* & Lucas *cap. IV. v. 31. & seq.*

(3) Matth. *cap. IV.* Evang. *v. 23. & seqq.*

(4) Matth *cap. V. v. 1.* Marci *cap. III. v. 13. & seq.* Luc. *cap. VI. v. 12.*

ſint, qui dici jure felices, ac beati poſſint. Sermonem deinde ad diſcipulos convertit, eiſque ſignificavit, quibus moribus vivendum illi eſſet, qui ipſius imitator, veruſque diſcipulus eſſe vellet. Ne arbitrarentur veniſſe in mundum eo conſilio ſe, ut legem ſolveret. Nihil namque de ea detractum iri, donec quæ erant a Prophetis nunciata, exitum haberent. Darent operam, ut perfectione Scribas, atque Phariſæos ſuperarent. Præterea inſtitui præcepta ab ſe quædam dixit, quæ longe meliora Moſaicis eſſent. In eleemoſynis deinceps, in oratione, in jejunio qui ſit obſervandus modus, & quam ſtultum ſit divitiarum ſollicitudine teneri, docuit. Hac oratione dicta e monte deſcendit, atque in leproſum incidit, qui ab eo ſalutem (1), ut ſibi redderet, flagitaret. Hunc cum prodigio curaſſet, Capernaum rediit, rogatuſque ab ethnico Centurione eſt, ut verbo efficeret, ne ſervus, qui ſibi carus imprimis eſſet, animamque ageret, moreretur. Chriſtus Centurionis fidem miratus abſens puerum ſanavit (2), verſuſque ad populum fore dixit, ut ex Oriente, atque Occidente ethnici venirent, & veritatem agnoſcerent, ac regnum cælorum raperent. E ſynagoga profectus, in domum Simonis Petri (3) venit, cumque ejus Socrum jactari febri vidiſſet, juſſiſſetque, ut cruciari æſtu ceſſaret, ſubito febris diſceſſit. Veſpere multos ei a dæmone agitatos obtulerunt, quos facile liberavit. Diluculo (4) ſurgens, abiit in deſertum locum, cumque turbæ ſuperveniſſent, eumque ne diſcederet, obſecrarent, reſpondit, velle ſe ſuo muneri ſatisfacere. Namque eſſe gentes alias, ad quas ſe prædicatum Evangelium accedere oporteret. Quare iter aggreſſus eſt, Provinciamque perluſtrans populum docere cœpit. Multa deinde miracula patravit. Etenim mari, ac ventis (5) imperans, tempeſtates ſedavit, dæmones ex energumenorum corporibus expulit, & paralyticos, dæmoniacoſque (6), & languoribus variis affectos, ac mulierem, quæ (7) ſanguinis fluxu laborabat,

(1) Matth. *cap.* VIII. *v.* 1. *& ſeqq. Marci cap.* I. *v.* 40. *& ſeqq. Luc. cap.* V. *v.* 12. *& ſeq.*

(2) Matth. *cap.* VIII. *v.* 5. *Luc. cap.* VII. *v.* 1. *& ſeq.*

(3) Matth. *cap.* VIII. *v.* 14. *& ſeqq. Marc. cap.* I. *v.* 29. *& ſeqq. Luc. cap.* IV. *v.* 38. *& ſeqq.*

(4) Marc. *cap.* I. *v.* 35. *& ſeqq. Luc. cap.* IV. *v.* 42. *& ſeqq.*

(5) Matth. *cap.* VIII. *v.* 23. *& ſeq. Marc. cap.* IV. *v.* 35. *& ſeqq. Luc. cap.* VIII. *v.* 22. *& ſeqq.*

(6) Matth. VIII. 28. *& ſeqq. Marc. cap.* V. 1. 20. *Luc. cap.* VIII. *v.* 26. *& ſeqq.* Vide etiam *Matth. cap.* IX. *v.* 1. *& ſeqq. Marc.* V. *v.* 21. *& ſeq. Luc. cap.* VIII. *v.* 40

(7) Matth. *cap.* IX. *v.* 20. *& ſeqq. Marc. cap.* V. *v.* 26. *& ſeqq. Luc. cap.* VIII. *v* 43. *& ſeqq.* Hoc item prodigium Majores noſtri pingi, inſculpive lapidibus curabant, ut virtutem Chriſti in memoriam revocarent. In pleriſque Sarcophagis cernitur mulier fimbriam Servatoris Chriſti tangens, quorum ectypa poſt Aringhum ediderunt Bottarius, aliique. Vide *Aringhum Rom. Subterr. pag.* 329. 333. 427. 613. 615. *T.* I.

ſanavit. Archiſynagogi filiam, quæ deceſſerat, e mortuis (1) excitavit, cæciſque duobus, qui orabant, ut eorum miſereri (2) vellet, videndi facultatem reſtituit. Ubi hi diſceſſerunt, adductus ad Jeſum mutus quidam fuit, qui a malo ſpiritu vexabatur (3). Atque Chriſtus ejecto malo dæmone, reſtitutaque muto loquendi poteſtate, tantæ admirationi populo fuit, ut omnes ante ea tempora neminem fuiſſe, qui ſimilia fecerit, prædicarent. Phariſæi, de qua hominum factione ſupra demonſtratum eſt, cum eſſe aliquem in republica, qui plus ipſis valeret, iniquo animo paterentur, dandam ſibi operam eſſe putarunt, ut modis omnibus aut tollerent, aut extenuarent calumnia, quam ille merito eſſet exiſtimationem conſequutus. Ergo non virtute divina, ſed artibus principis diabolorum ejici ab eo dæmonia dictitabant. Tam enim erant manifeſta prodigia, quæ patrabat, ut cum negari non poſſent, in malam partem ab improbis (4) raperentur. Sed Chriſtus, qui noverat ipſe ſe, nihil Phariſæorum calumnias morabatur. Interea Civitates, & Pagos peragrabat, atque in ſynagogis docens, non modo verbis, ſed prodigiis (5) etiam veritatis inimicos redarguebat, doctrinamque ſuam admirabilem in modum confirmabat.

Erat autem populus ſumma (6) in rerum divinarum ignoratione, neque ducem ullum, paſtoremve habebat, qui ſibi curam ejus inſtituendi ſumeret. Jeſus, qui turbam jacentem videbat, quantiſque in malis verſaretur, cognorat, ad eos, quos ſibi ſocios delegerat, converſus, quam illi meſſem colligere poſſent (7) oſtendit. Poſt duodecim Apoſtolos ad ſe vocat, eiſque dæmonas ejiciendi, morboſque omnes curandi poteſtatem facit. Apoſtolorum autem nomina (8) hæc erant. Primus Simon, cui Chriſtus indidit cognomen Petri, propterea quod petra Eccleſiæ, ac veluti fundamentum futurus eſſet; alter Andreas Simonis ejuſdem frater; tertius Jacobus,

(1) Matth. *cap.* IX. *v.* 18. *& ſeqq. Marc. cap.* V. *v.* 21. *& ſeqq. Luc. cap.* VIII. *v.* 41. *& ſeqq.*

(2) Matth. *cap.* IX. *v.* 27. *& ſeqq.* Hoc item prodigium majores noſtri in picturis, ſculptiſque lapidibus expreſſerunt. Vide *Aringhum pag.* 329. *Tom. I.*

(3) Matth. *cap.* IX. *v.* 27. *& ſeqq.*

(4) Itaque præſtigiis dæmonum ea fieri jactabant. Horum deinceps exemplum imitati & ceteri Judæi, qui nobis infeſti erant, & Ethnici plerique fuerunt. Vide quæ diximus *lib.* I. *cap.* III. §. XXII. *pag.* 154. *& ſeqq.*

(5) Matth. *ibidem*.

(6) Matth. *ibid. v.* 36.

(7) Matth. *ibid. v.* 38.

(8) Marc. *cap.* III. *v.* 13. *& ſeqq. Luc. cap.* VI. *v.* 12. *& ſeqq.*

bus; quartus Johannes, qui duo Zebedæo Patre orti erant (1); quintus Philippus; sextus Bartholomæus; septimus Thomas; octavus Matthæus, qui ante fuerat ex ordine publicanorum; nonus Jacobus Alphæi; decimus Taddæus; undecimus Simon Chananæus; duodecimus Judas Iscariotes appellabatur (2). Ergo Christus Apostolos, ut vis nominis (3) postulat, binos Evangelium prædicatum mittit. Interea ne ad Samaritas, aut ad Gentium regiones divertant, cavet. Nam Israelitas, qui lapsi in errorem, aut in scelus aliquod fuissent, primos omnium, ut qui ad populum Dei electum spectarent, ad bonam frugem converti (4) oportere. Id quibus modis, quibusque operibus possit fieri, docet. Hortatur præterea, ut in domo, in quam fuerint ingressi, aliquamdiu maneant, & pacem habitatoribus precentur. Quod si qui erunt, qui dicto audientes esse recusarint, obstinatos ut deserant, utque se alio conferant, jubet. Sciant se futuros ut agnos (5) in medio luporum. Itaque fore, ut in synagogas, & concilia ducantur, flagellisque coram principibus, ac regibus cædantur, sintque hoc modo testes veritatis doctrinæ, atque virtutis illius, a quo essent Apostoli electi, & nominati. Ne timeant eos, qui omnia cruciatus exempla edere in corpus possunt. Hos enim quidquam detrimenti inferre animis nequire. Deum vereantur, cui summa corpus, atque animam puniendi potestas inest. Cum hæc, aliaque multa in eam sententiam dixisset, abiit civitatibus nunciatum adesse cælorum regnum. Eodemque tempore Apostoli in publicum prodierunt, multisque oppidis, vicisque peragratis, suis civibus, qui implicati errore,

 ac

(1) Hos Christus *Boanerges* vocavit. Id autem eo fecit, ut adluderet ad Aggæi Prophetæ locum e *cap.* II. *v.* 7. *Et ego commovebo cælum, & terram, mare, & aridam &c.* Nam *Boanerges* commotionem proprie significat.

(2) Christiani veteres in Sarcophagis (consule Aringhum *lib.* III. *cap.* III. *pag.* 425. & Bottarium *Scult. e Pittur. tavola* XVI. XVIII. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVIII. XXX. LI. Aringhum *lib.* II. *cap.* X. *pag.* 301. 307. 311. 281. 282. *& lib.* IV. *cap.* XVIII. *pag.* 143.) & Picturis (quæ in Cœmeteriis Urbis cernuntur, ut in Cœmeterio Callisti apud Aringhum *lib.* III. *Romæ Subterraneæ cap.* XXII. *pag.* 569. & *lib.* IV. *cap.* XXXVII. *pag.* 277. *Tom.* II.) non modo figura humana, verum etiam agnorum, atque columbarum symbolis, figurisque, ut cernere licet in Sarcophago eruto e Cœmeterio Vaticano, & aliis relatis ab Aringho *lib.* II. *cap.* X. *pag.* 293. *&* 307. *lib.* IV. *c.* XVIII. *pag.* 143. *Tom.* II. & in cruce, cujus nos schema exhibuimus *lib.* I. *cap.* I. §. 9. *pag.* 67. (Consule quæ diximus *ibid.*) Apostolos exprimere consuerant, ut numerum eorum, resque quas gessissent, memoria facilius tenerent.

(3) De voce Apostoli erit eo loco, ubi de forma Reipublicæ Christianæ agetur, opportune dicendum. De Patria quoque cujusque Apostoli e codice Regio editum opusculum est post Chronicon Paschale *pag.* 438. Sed in eo multa sunt fabulosa, ut alio loco patebit.

(4) Matth. *cap.* X. *v.* 1. *& seqq.* Marc. *cap.* VI. *v.* 7. *& seqq.* Lucas *cap.* IX. *v.* 1. *& seqq.*

(5) Vide quæ dixi *lib.* I. *cap.* I. §. IX. *num.* 2. *pag.* 65. *& seq.*

ac vitiis essent, auctores, ut pœnitentiam agerent fuerunt. Quam rem facile sunt consequuti, quod non oratione modo uterentur, sed (1) etiam agitatos a dæmone liberarent, eosque, qui infirma valetudine essent, oleo ungentes sanarent, omniumque propterea oculos ad se converterent (2).

Interea Christus cum magnam esse multitudinem hominum cerneret, qui recta institutione indigerent, ut ante exemplo Jacobi filiorum duodecim Apostolos elegerat, ita numerum senum magni synedrii æquans, septuaginta duos discipulos novi fœderis præcones designat, utque se præcedant hortatur. Velle se dicit, bini ut eant; se autem illos deinde consequuturum (3). His datis mandatis, eos ab se dimittit. Naimum erat oppidum, quod a Thabore monte millia passuum duo circiter distabat. Eo ille consulto venit. Noverat enim unigenitum cujusdam viduæ filium interisse, eoque se conferre statuerat, ut cum in sepulcrum corpus efferretur, adolescentem e mortuis inspectantibus turbis excitaret, atque hoc modo mortalibus qua ipse virtute præstaret, & quis esset habendus ostenderet. Itaque cum propius ad portam (4) oppidi accessisset, viduamque suum casum lamentantem vidisset, eam primum monuit ut ne fleret, tum versus ad pueri corpus, ei ut reviviseret, præcepit. Ubi populus surgere adolescentem, ac deinde loqui, restituique matri a Christo vidit, rei magnitudinem admiratus, Prophetam illum, quem expectarat, venisse confessus est, curavitque ut tanti prodigii celebritas in universam Judæam manaret (5).

Johannes Baptista his rebus cognitis, quæ nisi virtute divina, fieri nullo modo aut natura, aut arte poterant, ut auditoribus suis consuleret, reque ipsa vera esse, quæ de Christo (6) dixerat, demon-

(1) Marcus *ibid. v. 50. & cap.* VII. *v.* I. *& seqq.*

(2) Marcus *ibidem*.

(3) Lucas *cap.* X. *v.* I. *& seqq.*

(4) Nam sepulcra Hebræorum extra Urbes erant.

(5) Lucas *cap.* VII. *v.* II. *& seqq.*

(6) Non enim ipse, quasi dubitaret, hoc fecit. Nam satis manifeste ante, quid de Christo sentiret, significaverat. Fateor fuisse aliquos veterum, qui Johannem, posteaquam testificatus est, Christum esse Messiam, hæsitasse putarent. Atque horum antiquissimus fuit Tertullianus, qui *lib. de Præscript. cap.* VIII. *Johannem de illo certum esse desiisse* scribit. Contra sapienter S. Hieronymus *in Evang. Matth. cap.* XI. „ Non quasi ignorans interrogat, *inquit*; ipse enim ceteris ignorantibus „ demonstraverat, dicens: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: & Patris vocem audierat „ intonantis, *hic est filius meus dilectus, in quo complacui*; sed quomodo Salvator interrogat, ubi „ sit positus Lazarus, ut qui locum sepulcri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem, & viderent „ mortuum resurgentem; sic & Johannes interficiendus ab Herode discipulos mittit ad Christum, ut „ per hanc occasionem videntes signa, atque virtutes, crederent in eum, & magistro interrogante di- „ sce-

monstraret; duos ad hunc discipulos misit quæsitum, is ne esset Messias, an alius expectandus Judæis esset. Christus, ut a tanto viro ad se missis nunciis satisfaceret, operibus primum, prodigiisque coram illis patratis, quantum ipse virtute posset ostendit, tum ad Johannem, ut redirent, præcepit, eique significarent, claudis gressum, cæcis visum, mortuis vitam ab se restitui solere. Cognosci enim hinc facile poterat, talem eum, qui hæc ageret, esse, qualem ipse se esse prædicaret. Igitur discipuli legatione bene gesta ad magistrum redierunt, ut quæ audierant, viderantque exponerent. Quo tempore Christus conversa ad turbas oratione, Johannem summopere laudavit. Etenim cum eum Prophetis prætulisset, tum Eliam, & Angelum affirmavit esse, quem Messiæ viam paraturum Veteris Testamenti Vates prædixissent. Itaque mortalium nullum aut fuisse, aut esse, qui Baptistæ illi virtute præcelleret. Nam Pharisæos, ac legis peritos, qui consilium Dei neglexissent, neque ab Johanne baptizari curassent, quorumnam tandem similes esse populus, aut qua ratione reduci eos ad virtutem colendam posse arbitraretur? Contemptum ab illis Johannem (1), ac si agitatus esset a malo dæmone, propterea quod parce, ac duriter vitam ageret. Nunc contra, cum cernant Christum & pane, & vino uti, & comiter cum peccatoribus, ac publicanis, ut eos sibi devinciat, versari; ferre hoc illos graviter, filiumque Dei, ut voracem, ut potatorem, ut sceleratorum amicum insectari contumelia, ac lædere solere. Cumque de Johannis sanctitate, deque improbitate Pharisæorum fecisset dicendi finem, invectus in civitates est, quæ etsi ipsum se audierant de pœnitentia, de virtute, de Regno Dei sapientissime disserentem; resipiscere tamen recusarant. Ergo Corozaitas (2), Bethsaiditas, & Capernaitas impri-

„ fecerent „. Ac miror excidere illud Tertulliano potuisse, ut dubitasse arbitraretur, post visa tot prodigia, eum, quem *lib.* IV. *contra Marcionem cap.* XXXIII. *Antecursorem*, *&* *Præparatorem viarum Domini* appellat. Majores nostri, ut recte Johannem functum honore *Prodromi* fuisse memoria tenerent, non modo in pictis tabulis, sed in gemmis etiam ejus effigiem exprimi curarunt. Gemmam ejusmodi refert vir eruditissimus Eques Victorius *in dissert. de Nummo æreo &c. pag. 68.* cujus ætatem definire non audeo, & in qua exhibetur Præcursor dextera manu extensa, ac tenente librum clausum, in quo agnus hastatam Crucem gestans cubat, qui sane agnus Christum exprimit ab Johanne agnum peccata mundi tollentem appellatum. Vide supra *pag.* 238.

(1) Matth. *cap.* XI. *v.* 7. *& seqq.* Luc. *cap.* VII. *v.* 24. *& seqq.*

(2) Matth. *cap.* XI. *v.* 20. *& seqq.* Luc. *cap.* X. *v.* 13. *& seqq.* Perverse a quibusdam vox Corazin dividitur in χώρα ζὶν, quasi *Regio Zin*. Christus enim non χώρας *regiones*, sed πόλεις *civitates* reprehendit. *Matth.* XI. *v.* 20. inter quas est Corazin, vel Corozaim. Bethsaide est illa *vo-*

na

primis (1) appellat. Graviter eos accusat, quod neque verbis, neque prodigiis tam opportuno tempore moveri voluerint, ut sibi hortanti morem gererent, flagitiisque abstinerent. Quod si pergant peccare, sciant se extremo judicii die, quam non solum Sydonii, atque Tyrii, sed etiam Sodomitæ puniti fuerint, graviorem noxiæ pœnam esse laturos.

Interim septuaginta duo discipuli (2), quos supra demonstravimus, re feliciter gesta, ad Christum reverterunt, & quæ fecissent, & ut sibi malos spiritus subjecissent exposuerunt. His ille commonefactis, ut lætarentur, non quod dæmonas repressissent, sed quod in libro æternæ vitæ descripti essent, gratias egit Patri, quod simplicibus viris, quales discipuli erant, manifestasset, quæ latebant homines, qui prudentum numero ducebantur. Hortatus deinde omnes, ut ad se accederent, sibique jugum novæ legis, quod suave est, imponi paterentur, profectus alio est, ut docendi munus obiret. Quo tempore cum in Pharisæum quemdam incidisset, qui ab eo postularet, ut domum ejus venire, atque manducare apud se vellet, Christus, etsi mores ejus generis hominum non probabat, tamen Simoni (nam Pharisæo illi id nomen erat) morem gessit, ingressusque domum discubuit. Erat in ea civitate mulier, cujus pudicitiæ fama vehementissime (3) laborabat. Hæc ubi intellexit, Jesum apud Simonem manere, Spiritus Sancti virtute incitata, subi-

nationis domus, unde *venatores*, *&* *piscatores* (*Jerem.* XVI. 16.) venerunt. Hanc illam esse ferunt, quam Philippus Trachonitidis Tetrarcha multis novis ædificiis ornatam, mutato nomine τῇ Ἰουλίᾳ θυγατρὶ τοῦ καίσαρος ὁμώνυμον *Juliæ filiæ Cæsaris cognominem* fecerit, *&* *Juliadem* appellarit. Vide Josephum *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* II. *al.* III. *Tom.* I. *edit. Haverc. pag.* 871.

(1) Erat Urbs Galilææ, ut Corazim, & Bethsaida. *Luce* X. 13. *Matth.* XI. 13. *Johann.* VI. 17. Copiosa, & tabernis frequens. Quoniam vero in ejus oppidi synagoga Jesus sæpe populum instituebat, *Joh.* VI. 50. ibique habitabat, *Marci* II. 1. ἰδία πόλις *propria urbs* illius dicta est. *Matth.* IX. 1. *&* XVII. 24. Ibi pleraque Christus miracula patravit.

(2) Luc. *cap.* VIII. *v.* 17. *&* *seqq.*

(3) Luc. *cap.* VII. *v.* 36. *&* *seqq.* Bernardus Lamius veterem multorum opinionem sequutus hanc peccatricem eamdem atque Mariam Magdalenam, & Lazari sororem esse defendit, singulari *dissert. adjecta concord. Evang. pag.* 636. Veterem autem dixi, quod in eam esse videatur propensior Tertullianus *lib. de Pudicit. cap.* XI. testeturque Origenes *Homilia* XXXV. *in Matthæum*, multos ante se fuisse, qui de una eademque muliere, quæ alabastrum ungueri attulerit, Evangelistas omnes fuisse loquutos. Negari tamen nullo modo potest, quin & multi, & veteres etiam, imprimisque Orientales Patres a Peccatrice Magdalenam, & sororem Lazari diversas mulieres fuisse arbitrari sint. Consule Origenem *loc. cit.* Auctorem *Constitut. Apostolicar. lib.* III. *cap.* VI. Chrysostomum *homil.* LXI. *in Johannem* *&* *homil.* LXXXI. *al.* LXXX. *in Matth.* Quamobrem S. Ambrosius *in Luc cap.* XXXI. in ancipiti rem esse statuit. Itaque sapienter *Natal. Alexander H. E dissert.* XVI. neutram sententiam cum scriptura pugnare contendit. Ab initio seculi XVI. Jacobus Faber Stapulensis edito libello erroris eos accusavit, qui peccatricem eamdem atque Magdalenam, & sororem Lazari esse defenderent. Fabro assensus Jodocus Clyctoveus, anno 1518. rursum ejus opusculum typis commisit, idemque fecit anno 1519.

ſubito commutato vitæ ſtatu, acceptoque vaſe unguenti pleno, ad Simonis ædes accurrit, ac paſſis crinibus, flenſque lacrimis primum rigat, tum capillis tergit, poſt oſculatur, poſtremoque pedes Servatoris Chriſti unguento linit, qui pedes nudi erant, quod Hebræi depoſitis ſoleis accumbere ſolerent. Mirabatur Simon quid eſſet, quod cum Jeſus Prophetæ nomen, exiſtimationemque conſequutus eſſet, tum quibus moribus ea viveret mulier, ignoraret. Servator, qui omnes omnium hominum cogitationes perſpectas habebat, comiter ex Phariſæo quæſivit, uter debitorum vehementius fœneratorem diligeret, illi ne cui minus, an alter cui plus condonaſſet? Cumque Simon reſpondiſſet, eum, cui plus eſſet conceſſum, tum Chriſtus recte, inquit, judicaſti; deinde vituperata ruſticitate Phariſæi, quod neque oſculum ingredienti ſibi in ædes dediſſet, neque unxiſſet oleo caput, ut mos Hebræorum erat, & collaudata muliere, quæ multo plus feciſſet, quam hoſpitis officium poſceret, eam, quæ adeo dilexiſſet, a peccatis abſolvit, domumque ſuam, ut in pace rediret, juſſit.

Proximum erat Judæorum (1) Paſcha (2), quo inſtante, lege ſancitum erat, ut Judæi omnes Hieroſolymam peterent, rituſque perficerent, quos Moſes præſcripſerat. Jeſus qui tot admirandis operibus eum ſe Galilæis (3) probarat, quem Prophetæ dixerant Meſſiam futurum, in principem Judææ urbem aſcendere decrevit, ut cultum religionis a Phariſæis, Scribis, Sacerdotibuſque vitiatum, ac pene deletum reſtitueret. Obtinuerat ea apud Judæos abuſio, ut non modo oves, boves, columbas, ac cetera animalia, quæ immolare

no 1519. addita priore, ac ſecunda defenſione adverſus Marcum Grandivallenſem Canonicum Victorinum, qui Fabrum acriter ob eam rem inſectatus fuerat. Atque eo quidem tempore de una muliere peccatrice Magdalena, a ſorore Lazari Johannes Fiſſcherus Cardinalis Roffenſis tres libros ſcripſit, edique curavit Pariſiis anno 1519. Cumque Lutherus ea ætate ſuos errores propagare conaretur, eſſetque proinde Orthodoxis novitas quæque ſuſpecta, dijudicata in ſchola Pariſienſi Fabri ſententia, atque damnata eſt. Sed lapſu temporum, cum multi nihil periculi ex ea opinione metuendum eſſe arbitrarentur, fuerunt, qui non unam, ſed tres mulieres diverſas fuiſſe Peccatricem, Magdalenam, & Lazari ſororem dicerent, quin tamen injuria laceſſerent eos, qui contra eſſe ſentiendum putarent. Atque ita quidem ſeſe geſſerunt Louvetus, qui anno 1636. librum de eo argumento, Academia Pariſienſi probante, publicavit, Eſtius, Buleugerus, aliique, quos numerat Auguſtinus Calmetius ſingulari diſſertatione *in Tres Marias*, quæ præfixa eſt *ejus Commentariis in Evang. Lucæ pag. 451. Tom. VII. edit Lucenſis*. Is ipſe Calmetius *l. c.* recenſet etiam eos, qui recens contra ſcripſerunt.

(1) Hoc primum a Chriſto, poſtquam Evangelium prædicare cœpit, celebratum Paſcha fuit anno, ut arbitror 28. Æræ Chriſtianæ.

(2) Johann. *cap.* II. *v.* 23. *& ſeqq.*

(3) Præter interpretes Sacrorum Bibliorum, qui in Evangelia commentarios ediderunt, oſtenderuntque, quæ fuerint res præclare a Chriſto in Galilæa geſtæ, Johannes Franciſcus Buddeus homo de numero Lutheranorum an. 1728. ſingularem edidit diſſertationem, quæ inſcripta eſt: *Galilæa rebus geſtis, & miraculis Chriſti clara.*

molare fas erat, in templo venderent, ſed ibidem etiam trapezitas haberent, qui commodo populi pecunias commutarent. Id cum fieri ſine crimine læſæ religionis non poſſet, vehementer Chriſtum commovit, qui e funiculis flagello facto (1), mercatores e templo expulit, menſaſque trapezitarum evertit, atque æs projecit, ac vultu compoſito ad ſeveritatem, eis, qui columbas venderent, præcepit, ut inde ſe, reſque ſuas auferrent, ac domum Dei injuria afficere ceſſarent. Judæi, qui præſto aderant, moleſteque tulerant diſperſa omnia unius viri arbitrio fuiſſe, Chriſtum communi conſilio adorti, qua id auctoritate fecerit, rogarunt. Nam ſi Propheten ſe, aut Meſſiam haberi vellet, ſignum aliquod ut ederet, petierunt, quo miſſum illum divinitus eſſe cognoſcerent. Chriſtus, qui ſciret, fore, ut homines mali, ne viſis quidem prodigiis, pertinacia deſiſterent, ad eorum poſtulata myſterio reſpondit, templum ut everterent (ſuum autem corpus indicabat templi (2) nomine), facturum enim ſe, ut tridui intervallo reſtitueretur. Viſum id Judæis abſurdum fuit, ut qui non perciperent, quemadmodum tam magna ædes, quæ quadraginta annorum (3) ſpatio perfici nequiviſſet, triduo e fundamentis reſtitui, abſolvique poſſet. Quare illum deſeruerunt. At Chriſtus, cui exploratum erat, qui eſſent reverſuri ad ſanitatem, coram eis, qui ſane multi erant, admiranda opera patravit, utque ſibi crederent, effecit. Poſteaquam elatum in populum eſt, quam Jeſus virtute poſſet, Nicodemus vir nobilis imprimis e ſecta Phariſæorum, quod a ſuis metueret, clam ad ipſum nocte acceſſit, eique ſeſe tradidit in diſciplinam, quem propter prodigia, divinitus datum eſſe hominibus magiſtrum confitebatur. Commodiſſimum viſum Chriſto eſt homini explicare, quid cuique opus ad ſalutem conſequendam eſſet. Ergo credendum eſſe omnibus reſpondit, eſſe Filium Dei (4) ſe, qui idcirco venerit, ut morte ſua genus humanum redimeret, aſſereretque in libertatem. Neminem vero cælorum poſſe regno potiri, qui baptiſmo initiari, inque Spiritu Sancto renaſci noluerit. His, aliiſque rebus,

(1) Johann. *ibidem*.

(2) Johann. *ibidem*.

(3) Johann. *ibid. v.* 20. „ Dixerunt ergo Judæi „ quadraginta, & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud „? Quorum verborum ſenſus huc recidit: quadraginta & ſex anni fluxerunt, ex quo rurſum extrui templum hoc cœpit, quod nondum perfectum eſt (nam diu poſt abſolutum fuit), & tu trium dierum intervallo illud reſtitues? Conſule Thomam Vincentium Monelliam virum clariſſimum, & Magiſtrum meum *differt. de Annis Chriſti pag.* 53. *&* 79. *& ſeqq.*

(4) Johann. *cap.* III. *Evang. v.* 1. *& ſeqq.*

bus, quæ eodem pertinerent, dictis, diremtum colloquium est. Post Christus, cum Sabbato per agros, in quibus essent matura frumenta transiret, ejusque discipuli, propterea quod esurirent, spicas evellerent, ac manibus confricarent, ut educto frumento famem sustentare possent; itemque alio sabbato in Synagoga virum, cujus arida erat manus, sanasset, utrumque autem factum ob diem festum Pharisæi invidia ducti reprobarent; multis hos verbis (1) increpavit, monuitque acriter, ut respicerent ipsi se, quamque graviter peccarent in legem, quæ de observando sabbato scripta erat, cognoscerent. Nam scirent præterea filium Dei, qui legis, dieique festi (2) dominus sit, abrogare legem posse, peccare non posse. Cum hæc ita essent acta, una cum Apostolis duodecim gravissima itinera suscepit, ut doctrina, atque exemplo suos homines institueret. Erant ei itinerum sociæ Maria Magdalene, Johanna uxor Chusæ Procuratoris Herodis, & Susanna, aliæque optimis moribus mulieres, quæ cum ejus opera aut convaluissent, aut liberatæ a dæmonum infestatione fuissent, tum eum more Judaico sequebantur, omnibusque (3) rebus, quæ necessariæ ad victum essent, juvabant. Ergo Christus cum multa oppida peragrasset, in vicum quemdam venit, & a Martha, atque Maria (4) sanctissimis Lazari sororibus, hospitio exceptus, quæ optima via colendæ virtutis esset ostendit.

(1) Matth. *cap.* XII. *v.* 1. *& seqq.* Marc. *cap.* II. *v.* 25. *& seqq.* Lucas *cap.* VI. *v.* 1. *& seqq.* Is vero Evangelista sabbato secundo primo idipsum evenisse narrat. Itaque magnæ inde sunt ortæ de sabbato δευτεροπρώτῳ inter eruditos viros altercationes. Sabbatum hunc diem illum esse putat Bernardus Lamius *lib.* III. *cap.* III. *Harm. Evang. pag.* 214. qui incidebat in hebdomadam primam e septem illis hebdomadibus, quæ numerabantur a secunda Paschatis die ad Pentecosten. Alii contra pugnant. Vide præter eos, qui in Lucæ Evangelium commentarios publicarunt, S. Isidorum Pelusiotem *lib.* III. *epist.* ex. S. Epiphanium *Tom.* 1. *pag.* 453. & e novis scriptoribus Pagium *ad an. Christi* XXX. *num* 3. Josephum de Voisin *tractatu de Sabbato Deuteroproto*, Petavium *ad Epiphan. Tom.* 2. *pag.* 65. *& seqq.* Johannem Harduinum *Operum Selectorum pag.* 628. *&* 402. Salomonem Van Tillium *differt. de vero, & justo tempore Sabbati Deuteroprotu edita anno* 1708. Johannem Feischmuthum *differt. de Sabbato Deuteroproto*, & Henricum Mullerum *differt. de Sabbato Deuteroproto*; quorum tamen omnium de ea re variæ sunt, interque se dissidentes sententiæ.

(2) Extat Joh. Andreæ Danzii *de Curatione Christi Sabbatica Dissertatio*, quæ inserta est Tomo secundo Dissertationum *Theologico Philologicar. pag.* 194. *edit. an.* 1732.

(3) Lucæ *cap.* VIII. *v.* 1. *& seqq.* Recte Bernardus Lamius *in* III. *Har. Evang. lib. cap.* V. *pag.* 227. *edit. Paris.* „ Jesum sequebantur, *inquit*, more Judaico ..... Mulieres, viduæ præsertim, solebant „ magistris necessaria suppeditare. Hunc morem secuti sunt Apostoli. S. Hieronymus *in Matth.* XXVII. „ Consuetudinis Judaicæ, *inquit*, fuit, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, ut mulie- „ res de substantia sua victum, atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc, quia scandalum face- „ re poterat in nationibus, Paulus abjecisse se memorat. Dicit enim ipse, numquid non habemus pote- „ statem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli faciunt? Ministrabant autem Domi- „ no de substantia sua, ut meteret earum carnalia, cujus ille metebat spiritualia. Non quod indige- „ ret cibis Dominus creaturarum, sed ut typum ostenderet magistrorum, quod victu, & vestitu ex „ discipulis deberent esse contenti.

(4) Luc. *cap.* X. *v.* 38. *& seqq.*

Inde ubi discessit, rogatusque a discipulo, nescio quo, fuit, ut quemadmodum Johannes (1) fecerat, ita ipse quoque suos rationem orandi doceret, annuit, & formam precum proposuit, quæ sic habet: *Pater noster, qui es in Cœlis &c.*

Dum Christus in Judæa moraretur, nossetque jam advenisse tempus, quo sui discipuli ad aquam accedere, ac baptizare deberent, in eum se locum (2) recepit, ubi hoc fieri commodum posse perspiciebat. Id ubi Judæi intellexerunt, contineri non poterant, quin eo magno numero procurrerent, baptismoque initiarentur. Qua re cognita auditores Johannis, magistrum conveniunt, nunciantque, ad eum, qui ab se laudatus esset, cuique testimonium perhibuisset, magnum hominum concursum fieri, omnesque fere id eniti, ac laborare, ut ab eo baptizari curent. Johannes nihil horum conquestiones moratus, quæ ante de Christo dixerat, confirmat, additque eos, qui Jesu filio Dei assentiri, ac parere nollent, excludi e regno cælorum, ac perpetuo perire oportere. Nihilo secius Pharisæi invidentia incitati, quod multo plures ad Jesum, quam ad Johannem accedere viderent, sæpe in eum impetum faciebant, quibusque contumeliis (3) possent, insequebantur.

Itaque ne continenter altercationibus detineretur, Christus confirmatis oratione his, qui baptizati fuissent, consilium redeundi in suam Provinciam cepit. Igitur Samariam, qua iter (4) erat in Galilæam, contendit. Sichar (5) erat oppidum Samaritanorum, in quo puteus erat juxta prædium, quod oppidani a Jacobo Patriarcha datum filio Josepho fuisse dicerent. Eo cum pervenisset Jesus, defessusque ambulando esset, considendum sibi esse censuit. Hora circiter sexta diei mulier quædam eodem se ad aquam hauriendam contulit. Eam ut Christus vidit, opportunum nactus ad Samaritas recte instituendos tempus, rogavit, ne sibi bibendi copiam negaret. Mulier mirata quæsivit ex eo, quid esset, quod Judæus Samaritidem alloqueretur, ab eaque vas ad bibendum posceret.

(1) Luc. *cap.* XI. *v.* 1. *& seqq.* (2) Joh. III. *v.* 22. *& seqq.*

(3) Johann. *cap.* IV. *v.* 1. *& seqq.*

(4) Johann. IV. *v.* 4. *& seqq.* Nam *Samaria media est inter Judæam, & Galilæam.* Josephus *lib.* III. *c.* III. *de Bello Jud. pag.* 223. *T.* II. *edit. Haverc.* Ἡ δὲ Σαμαρεῖτις Χώρα, μέση μὲν τῆς Ἰουδαίας ἐστὶ καὶ τῆς Γαλιλαίας. Consule Relandum Palæst. *lib.* 1. *cap.* XXXI. *pag.* 167. *& seq. edit. Veneta an.* 1746.

(5) Sic enim ludibrio ab Judæis appellabatur. Nam Samaritæ Sichem vocabant. Ac Judæi quidem *Sichar* dixerunt, quasi ea urbs ebriorum esset, propterea quod Samaritæ velut inebriati schisma conflassent. Atque erat Sichem Urbs Regum Israelis, quod Hieroboamus Regiam ibi collocasset, atque sedem fixisset. *Joseph. lib.* VIII. *Antiq. cap.* VIII.

ret . Nam gens utraque magnis inimicitiis jam usque a multo tempore dissidebat . Jam noverat Christus hoc initium esse, quo mulieris, ejusque civium saluti prospiceret. Quamobrem continuo respondit: excusationi locum ei esse, ut quæ nesciret quo cum loqueretur, & ageret. Etenim eam, si quis ipse esset, & quantum auctoritate valeret, cognosceret, alius generis aquam ab illo fuisse petituram, qua sine dubio perpetuo servaretur. Nam ab aqua, quam ipsa e puteo hauriret, reprimi quidem aliquanto sitim posse, extingui autem omnino non posse. Contra ei, quam ipse haberet, tantum inesse virium, ut his, qui ea uterentur, sempiternæ saluti (1) esset. Sed ne cunctaretur, domum rediret, suumque virum ad puteum secum duceret. Negavit mulier, ubi suum virum nominari audivit, ullum sibi maritum esse. Erant omnia Christo explorata. Quare vere, inquit, dixisti carere te viro. Nam quinque tibi olim viri fuerunt. Nunc qui est, alienus est scilicet, non tuus. Samaritis ut intellexit perspecta Servatori esse, quæ ipsa gessisset, confessa est, videri quidem sibi eum Prophetæ facultate excellere. Sed ne omnino assentiretur, hoc impediebat, quod ille Judæus esset; Judæi autem a Samaritis dissentirent, propterea quod illi in Carizimo monte, hi vero Hierosolymis locum esse defenderent, in quo uno legis ritus, ceremoniasque perficere liceret. Jesus eam ut missa hæc faceret hortatus, quod salutem ex Judæis futuram constaret esse, fore tamen adjunxit tempus, quo neque in monte Carizimo neque Hierosolymis, sed ubique terrarum Deum, qui spiritus est, in spiritu, & veritate coli oporteret. Ad hæc mulier respondit, scire se, quod Christus Messias venerit. Ex eo se, suosque omnia cognituros, quæ credere, atque agere necesse esset. Namque, ut supra demonstratum est, percrebuerat fama, quæ ferret, instare adventum liberatoris generis humani. Quibus rebus dictis, cum Christus continuo sumsisset, se illum esse Messiam, quem gentes præstolarentur, mulier (2) relicta hydria ad suos abiit nunciatum, invenisse hominem se, qui sibi omnia, quæ ipsa gesserat, significasset, rogatumque, ut secum una ad puteum venirent, & nun is esset Christus cognoscerent. Hoc accepto nuncio, Sicharitæ ma-

(1) Christiani veteres ne hujus colloquii memores esse facilius possent, quo iis, qui in se credidissent, tantam felicitatem esset pollicitus Christus, Samaritidem cum eo loquentem expresserunt modo in picturis, modo in sculptis lapidibus, cujusmodi monumenta vetera imprimis affert Aringhus *Rom. Subterranea Tom. I. pag. 297. 553. & Tom. II. pag. 167.*

(2) Johan. *cap. IV. Evang. v. 1. & seqq.*


gno numero ad Christum concurrerunt, cumque eum loquentem audissent, immutati adeo animis sunt, ut non solum perplures ejus doctrinam sequuti fuerint, sed etiam obsecrarint, ut ibi manere ne gravaretur. Multa erant in caussa, quamobrem ille plus biduo Sichar consistere non posset. Ergo secundo die graviter, ut credere quidem par est, commonefactis oppidanis (1), ut in fide perseverare, atque imperata facere studerent, discessit in Galilæam. Eo cum redisset, reguli cujusdam filium in Cana vico ejus Provinciæ, de quo alio loco diximus, sanavit, multaque (2) prodigia præterea fecit, quæ cum enunciata in vulgus essent, vehementer in eum invidiam, iramque Pharisæorum, atque Herodianorum concitaverunt. Quamobrem agere communi consilio cœperunt, ut rationem, modumque aliquem invenirent, quo ipsum perderent. Christus cognita eorum voluntate, ad mare magna cum hominum multitudine, qui eum e Galilæa, & Judæa sequuti erant, secessit. Quem in locum non Judæi modo, & Galilæi, sed etiam Idumæi, Tyrii, atque Sidonii, quæ duæ postremæ gentes adhuc idolorum superstitione detinebantur, confluere (3) consuerant, propterea quod fama accepissent, esse illum admirandorum operum auctorem. Interea omnes, qui ad se venirent, salutemque peterent, aut infirma valetudine laborantes, aut vexatos a malis spiritibus homines sanabat, dæmonesque increpabat, quod eum antequam ipse vellet, fiilium Dei altissimi esse prædicarent. Quo tempore cognitum est, quo tandem Isaiæ oraculum de judicio gentibus nunciando, deque earum *spe in Messia* (4) *nomine* pertineret. Jam opportune domum redierat, cum a turba ita pressus, ac pene obsessus fuit, ut illi, discipulisque ne manducandi quidem spatium daretur. Itaque cum languere (5) videretur, fuerunt, qui ne vires eum deficerent, timerent. Quamobrem ne magistro deessent accurrerunt. Turba paulisper remota, curatum est, ut ille liberiore aere frueretur. Dæmoniacus (6) erat in media turba, cujus inimicus generis humani ita oculos, linguamque impedierat, ut neque videret,

(1) Hæc prima multorum Samaritarum ad religionem Christianam conversio fuit.
(2) Joh. *cap.* IV. *v.* 43. *& seqq.*
(3) Matth. *c.* XII. *v.* 14. *& seqq.* Marc. *cap.* III. *v.* 6. *& seqq.*
(4) Isaias *cap.* XLII. *v.* 2.
(5) Marc. *c.* III. *v.* 20. *& seqq.* Vulgatus habet „ Et cum audissent sui, exierunt tenere eum; „ dicebant enim, quoniam in furorem versus est „. Græca sic habet: ὅτι ἐξέστη. Itaque verti possunt: *quoniam deliquium passus est*.
(6) Matth. *c.* XII. *v.* 22. *& seqq.*

deret, neque loqui posset. Hunc sui Christo tunc obtulerunt orantes, ut ne posthac exagitari hominem pateretur. Quod ille orantibus morem gessisset, rursum in se Pharisæorum odium commovit. Quare ut ei invidiam conflarent, non virtute Dei, sed Beelzebubi principis dæmoniorum præstigiis hæc illum facere jactabant, quæ admiranda prima specie (1) viderentur. Jesus concione advocata temeritatem, improbitatemque suorum reprehensorum accusavit, quod de iis rebus judicare auderent, quas neque intelligerent ipsi, neque componi posse, ut quæ pugnantes inter se essent, constaret. Quemadmodum enim satanam expelli ab satana censerent? An conjunctos aut scelerum, aut bonorum societate confligere inter sese, suamque rempublicam evertere studere arbitrarentur? Nossent regnum, quod divisum in factiones sit, diu consistere nequire. Quare satanæ imperium eversum iri, si satanas satanam expellere conetur. Dei ergo, non Beelzebubi nomine ab se dæmonia reprimi, cogique e corporibus excedere confiterentur. Sin minus, scirent non esse eorum peccatum delendum, qui in prava sententia perseverare, ac proinde in Spiritum Sanctum blasphemare pergerent. Nam quod signum e cælo poscerent, ut ad fidem ejus dictis adjungendam inducerentur, cognosceret populus, generationi malæ, cujusmodi erant Pharisæi, nisi signum Jonæ Prophetæ, aliud præterea ullum dari non oportere. Nam (2) ut Jonas


(1) Matth. & Marc. *capp. cit.*

(2) Matth. *cap.* XII. *v.* 38. *& seqq.* Luc. *cap.* XI. *v.* 29. *& seqq.* De pisce, deque tribus diebus, quibus in ejus ventre Jonas fuit, videndi qui commentarios in hunc locum Matthæi scripserunt. Extant præterea Francisci Baringii viri e numero Protestantium *de Ceto Jonæ, de tribus diebus, & tribus noctibus, & de corde terræ* Dissertationes tres, quæ sunt insertæ *Thesauro Theologico-Philolog.* T. II. *edit. an.* 1732. *pag.* 217. *& seqq.* De ceto eodem agunt præterea Samuel Bochartus *in Hierozoico*, aliique, quos brevitatis caussa prætermitto. Cum signum Jonæ Prophetæ Pharisæis dandum Christus dixisset, quibus quidem verbis mortem, resurrectionemque suam post triduum futuram indi-



Jonas tribus diebus, totidemque noctibus in ventre piscis fuit, ita filium hominis in ventre terræ eodem intervallo temporis futurum. Fore præterea, ut Ninivitæ in judicio genus hoc pervicacium hominum condemnarent, quod illi Jonæ prædicanti pœnitentiam auscultassent, hi contra filio Dei, qui multo sanctior, longeque virtute excellentior Jona esset, hortanti parere detrectarent. Dici

carat; majores nostri ut oculis utriusque Mysterii symbolum subjicerent, Jonam, qui figura Christi fuit, non solum in pictis tabulis, sculptisque sarcophagis, sed etiam in lucernis, vitrisque expresserunt, modo dormientem sub umbra cucurbitæ, ut in cœmeteriali lapide, quem Aringhus *lib* v. *cap.* xxii. *pag.* 506. & Bottarius *Pitt. & Scult. della Roma sotterran. Tav.* xlii. *pag.* 191. exhibet, estque similis figuræ, quam dedimus pagina superiore; & in ceteris apud Aringhum *lib.* ii. *cap.* x. *pag.* 325. 335., in picturis cœmeterialibus apud Aringhum *lib.* iii. *cap* xxii. *pag.* 533. 551. 585. 587. & *lib.* iv. *cap.* xiv. *pag.* 71. 97. 105. 109. 119. *cap.* xxvii. *pag.* 187. 201. 211. 275. & *cap.* xxxvii. *pag.* 331. & in lucerna fictili, quæ extat in museo Victorio, quamque refert vir clarissimus Eques Victorius *pag.* 53. *Operis de Septem Dormientibus*, quæ est hujus figuræ similis:



Dici vix potest quam libenter populus Christum de hisce rebus egregie differentem audiret. Quare fuerunt e turba, qui illi plaudere sæpe consuessent. Ac mulier quædam, quæ tum aderat, contineri non potuit, quin exclamaret (1), beatam esse illam, quæ ventre eum gestasset. At ille, qui nosset propinquitatem cum virtute conjunctam maximi esse habendam, eam vero sine virtute nihil prodesse; a Maria autem sanctissima matre sua felicius corde, atque animo se, quam carne fuisse gestatum; non negavit eam esse felicem, sed esse illam propterea imprimis, ceterosque futuros ejusmodi

& denique in vitris, cujusmodi illud est, quod extat in eodem museo, exhibeturque ab Equite Victorio *ibid. pag.* 55. estque hujusmodi;



modo ab tempestatem, quæ ipsius caussa coorta erat, e navi in mare præcipitem a nautis actum, ut in sarcophagis apud Aringhum *lib.* I. *cap.* X. *pag.* 325. 327. *&* *lib.* II. *cap.* XXII. *pag.* 613. 617. 619. *&* *lib.* IV. *cap.* XVIII. *pag.* 143. *&c.* & picturis cœmeterialibus apud eumdem *lib.* III. *c.* XXII. *p.* 633. *&* 587. modo voratum ab ceto, atque ex ceti ore prodeuntem, ut in sarcophagis relatis ab eodem *lib.* II. *cap.* X. *pag.* 335. *lib.* III. *cap.* XXII. *pag.* 613. 615. 617. *lib.* IV. *cap.* XXV. *pag.* 167. *cap.* XLII. *pag.* 355. & in picturis cœmeterialibus, quas Aringhus exhibet *lib.* III. *cap.* XII. *pag.* 533. *T.* I. 587. 621. *&* *lib.* IV. *c.* XIV *pag.* 105. 119. *c.* XXVII. *p.* 187. 201. 211. Consule Bottarium *Pitt. e Scult. &c.*

(1) Lucæ *cap.* XI. *v.* 12. *&* *seqq.* Vide Bernardum Lamium *lib.* II. *cap.* XVI. *concord. Evang. p.* 243. Maldonatum in hunc S. Lucæ locum, aliosque Interpretes Evangelii Lucæ.

di affirmavit, qui audire verbum Dei, idque custodire studerent. Cum hæc in oppido gesta essent, Chistusque ad se concursum ex omnibus civitatibus fieri videret, ad mare rursum processit, ascendensque in naviculam, quod magna multitudo hominum convenisset, docere (1) populum cœpit. Propositis parabolis de homine seminante, de zizaniis, quæ una cum tritico crevissent, de grano sinapis simili regno cælorum, de fermento abscondito in tribus satis farinæ, de pretiosa margarita, & de sagena in mare projecta, exque omni piscium genere congregante, finem dicendi fecit. Inde Nazarethum (2) migravit, in quo ille oppido educatus fuerat. Sabbato in synagogam ingressus more suo docere primum cives suos cœpit, tum cum legere vellet, librumque explicasset, incidit in Isaiæ Prophetæ locum, qui est de Spiritu ungente Messiam, mittenteque Evangelium prædicatum. Hæc verba ubi legit, consedit, tamque perspicue demonstravit, eadem in se fuisse completa, ut omnes, qui aderant, ejus sapientiam, virtutemque admirarentur. Sed quoniam quis ille esset, quibusque parentibus uteretur plerique cognorant, neque percipiebant, quo tandem modo ejus conditionis vir consequutus tantam virtutem, tamque magnam eruditionis facultatem (3) esset, verebantur ne decipi, si ei assentirentur, possent. Interea ille, quæ exponere cœperat, prosequutus, mirari eos fortasse, dixit, quid esset, quod cum tot prodigia ab illo esse in aliis civitatibus facta intellexissent, nulla tamen Nazarethi, quod oppidum Patriæ loco ei erat, patrari ab ipso cernerent. Sed mirari desinerent. Nullum enim Prophetam in honore apud cives suos (4) fuisse. Quare quæ Prophetæ admiranda fecerint, ea facta plerumque esse apud alienos. Hic subitam commutationem animorum videre licuit. Nazareni ira inflammati, quod sibi his verbis injuriam esse inlatam arbitrarentur; impetu facto, eum in summum jugum montis conducere, indeque dejicere (5) tentarunt. Christus, qui nisi vellet, ferre infortunium nullum poterat, occultavit miraculo se, ita ut nemo illum, etsi in media turba esset, intueretur. Post curatis aliquot miseris, quorum infirma erat valetudo, profectus in finitimas civitates est. Ibi cum doceret, sibique

(1) Matth. *cap.* XIII. *v.* 1. *& seqq.* Marc. *cap.* IV. *v.* 1. *& seqq.* Luc. *cap.* VIII. *v.* 4. *& seqq.*
(2) Matth. XIII. *v.* 53. *& seqq.* Marc. *cap.* VI. *v.* 1. *& seqq.* Luc. *cap.* IV. *v.* 16. *& seqq.*
(3) Matth. XVI. *v.* 55. *& seqq.* Marc. *cap.* IV. *v.* 3. *& seqq.* & Luc. *c.* V. 22. *& seqq.*
(4) Iidem *ibid.*
(5) Lucas *ibid.* *v.* 20. *& seqq.*

que Pharisæos adversari (1) cerneret, eorum impudentiam compressit, moresque improbos coarguit, quod cum pietate carerent, pietatem tamen simulare pergerent. Converso deinde ad discipulos sermone, monuit, ut sibi a Pharisæis caverent, utque ne ab iis, qui periculum minarentur, metuerent. Præterea longe abesse a vitio avaritiæ curarent. Nam si qua re egerent, scirent Patrem illis numquam defuturum. Interea pauperibus auxiliarentur, ut possent, castitatem servarent, vigilarent, pacem, atque virtutem colerent. Denique ne vererentur. Pusillum eos gregem esse, cui dandum esset sempiternum regnum. His rebus gestis, quod festus dies sortium (2) instaret, Hierosolymam venit. Piscina erat in urbe, quæ *Probatica* (3) dicebatur. Porticus ibi quinque visebantur, in quas se claudi, cæci, debilesque multi deferri curabant. Nam interdum admirabilem in modum agitari (4) ab Angelo aqua solebat. Quo tempore si lavari miseris licuisset, certum erat, eos sanitatem esse consequuturos. Eas porticus cum Christus invisisset, conspexissetque in quadam porticu hominem, qui triginta & octo annos gravissimo morbo conflictatus esset, quæsivit ex eo, convalescere ne vellet? Id ille se vehementer optare dixit; sed hominem sibi esse nullum, qui in aquam inferret, dum erat commota Angeli opera. Nam quum ipse per se conaretur, alios ante descendere consuesse, sibique spem omnem salutis recuperandæ tollere. Jesus, ut hæc audivit, ægroto, ut surgeret, utque inde grabatum suum auferret, domum-

(1) Luc. *cap.* xii. *v.* 35. *& seqq.* & *cap.* xiii. *v.* 1. *& seqq.*

(2) Joh. *cap.* v. *v.* 1. *& seqq.* Scio esse aliquos, qui quatuor Paschata fuisse a Christo celebrata pugnent, atque hunc diem festum Johanni memoratum inter ea numerent. Sed vereor, ut errent. Nam si Pascha fuit, cur dies festus, sine adjuncto *Pascha*, vocatus ab Johanne est, qui cum diem hunc nominat, *Pascha* vocat, ut ab aliis diebus festis distinguat? Itaque assensus Bernardo Lamio sum, qui diem eumdem festum *Sortium* putat fuisse. *Concord. Evang. l.* iii. *c.* xxii. *pag.* 271.

(3) Johann. *cap.* v. *v.* 1. *& seqq.* ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα. *Est autem Hierosolymis apud probaticam piscina.* Piscina a vulgato *Bethsaida* dicitur. Sed Græci codices Evangelii Johannis habent βηθεσδὰ *Bethesda*. Regio in urbe Hierosolyma fuit, quam Josephus βεζεθὰ *Bezetha* vocat, ubi pecuarium, seu ovium forum erat. Ex ovibus autem nomen regio acceperat ex Hebræo *Beth-hazon*, quæ vox *locum ovis* significat, derivatum. Græci autem ovem πρόβατον dicunt: quare vox προβατικὴ versa a vulgato *probatica* est latine. Vide Interpretes Evangelii Johannis. Extant præterea Dissertationes *de Piscina Bethesda* M. Michaelis Arnoldi *insert. Thes. Theolog. Philolog. T.* iI. *pag.* 374. *edit. an.* 1702. & M. Davidis Weudeleri *ibid. pag.* 378. *& seqq.* & Johannis Conradi Hottingeri *edit. Tigur. an.* 1705.

(4) Fuerunt, qui vulgi opinione scripta hæc ab Evangelista fuisse mentirentur. His silentium Josephi, & Philonis negotium exhibuit. Sed non animadverterunt, multa ab Historicis ethnicis fuisse etiam prætermissa, quæ unus aliquis memoraverit, nec tamen obinde revocari in dubium solere. Itaque Johannes vera dixit. Nam si vulgi opinione ductus fuisset, habuissent profecto Christiani Judæos in ea re repugnantes. At constat objectum hoc prodigium illis fuisse a nostris, nec tamen umquam negatum. Consule *Tertull. Adv. Judæos cap.* xiii. Quo tempore primum agitari aqua cœperit incertum est. Verisimile est non diu ante ortum Christi cœpisse.

domumque (1) suam abiret, jussit. Continuo atque dicta hæc fuerunt, convaluit ille, sublatoque grabato ambulare cœpit. Dies erat Sabbati. Pharisæi qui indigne ferrent, die festo quemquam hæc agere (nam omnis eorum disciplina neglecta animi sanctitate externis ritibus perficiebatur) cogitabant quibus modis Christum interficere possent. Ergo hunc communi consilio aggressi percuntantur, qua auctoritate hæc facere, legemque violare (2) auderet? Cumque Jesus, *Patris auctoritate*, respondisset, illi ira inflammati eo gravius in eum vindicandum statuunt, quo ipse se Deo æquare pergeret. Interea quæ disputat, audiunt, ut si quid ei excidat, quod minus castigate de lege, de Mose, de Prophetis dictum esse videatur, extemplo ad Judices deferant, eumque extremo supplicio affici curent. Christus, quo nemo castigatius loqui poterat, propterea quod non homo solum, sed Verbum (3) etiam Deus sit, etsi cognitas eorum cogitationes habebat, tamen quod dixerat de Patre suo, cujus voluntate omnia agebat, confirmat, presentesque acriter reprehendit, quod Johanni de se loquenti, & Mosi, quem legislatorem agnoscerent, adhibere fidem renuissent. Quod si a quo esset missus scire averent, cogitationem ad prodigia converterent, quæ ipse perficere consuesceret. Sed esse sibi exploratum, homines, quales Pharisæi essent, qui Deum non diligerent, qui gloriolam aucuparentur, qui denique essent perversissimis moribus, ne mirabilibus quidem rebus moveri, convertique ad sanitatem velle. Eodem tempore crebri ad Herodem Galilææ Tetrarcham rumores affere-

(1) Hoc prodigium apud Majores nostros tanta in celebritate erat, ut perplura monumenta in cœmeteriis præsertim extent, in quibus paralyticus *grabatum* bajulans exhibetur. Vide *Sarcoph. relat. ab Aringho lib. II. cap. x. pag. 315. Tom. I. Roma Subterran. & pag. 323. 333. & lib. III. cap. III. pag. 427. 621. 623.* & vitrum antiquum, quod extat in Museo Victorio, referturque ab eruditissimo viro Equite Francisco Victorio *lib. de Monogr. Christi pag. 1.* quodque nobis exhibere hoc loco placuit.



De hoc tam illustri prodigio, quod ne Judæi quidem revocare in controversiam poterant, extat singularis Godefridi Olearii *Dissert. edita Lips. an.* 1706. Consule rursum Aringhum *lib.* III. *c.* XXII. *p.* 541. *lib.* IV. *cap.* XIV. *T.* II. *pag.* 75. *cap.* XXXVII. *pag.* 331.

(2) Johann. *ibid. & seqq.*

(3) Johann. *cap.* V. *v.* 17. *& seqq.*

ferebantur de Jesu Galilæo, qui tot admiranda opera patraret (1). Id ubi Tetrarcha intellexit, dubitare cœpit, num excitatus a mortuis Johannes esset, quem ipse in vincula conjecisset, atque interfici jussisset. Nam Herodes Philippi fratris vivi uxorem in matrimonio habebat, patique nequiverat, ab Johanne id sibi negari licere (2). Jesus, qui cognorat, hæc opprimendi sui caussa ab Herode investigari, maturandum sibi censuit, ut Tetrarchia excederet. Quo tempore Apostoli, quos iterum ad Evangelium prædicandum miserat, magnis confectis itineribus ad eum redierunt, & quæ docuissent (3), quemque laborum fructum tulissent, exposuerunt. Christus eos cohortatus, ut in sejunctum locum se reciperent, cibumque sumerent, (quod ob populi multitudinem, ubi ille erat, cuiquam ne manducandi quidem spatium daretur) paullo post inde silentio egressus, deprehensaque navi, eoque impositis Apostolis in oppositam desertam regionem pervenit, quæ ad Herodis ditionem minime pertineret. Id est desertum Bethsaidæ. Qua re cognita homines maximo numero eodem, ut consuetudo ferebat, ex omnibus oppidis, vicisque concurrerunt, quos docere, quæ ad regnum Dei spectarent, instituit, & languidos, ut convalescerent, fecit. Jam nox instabat, cum Apostoli ad Jesum accedunt, atque obsecrant, populum ut dimittat, inque proximum oppidum, vicosve abire, victumque quærere jubeat, quo famem sustinere possit. Nam in deserto loco, nisi abscedat, fore ut omnis inte-

reat.

(1) Matth. *cap.* xiv. *v.* 1. *& seqq.* Marc. *cap.* vi. *v.* 14. *& seqq.* Lucae *cap.* ix. *v.* 7. *& seqq.*

(2) Summa erat Johannis apud Judæos existimatio. Ea res non Evangelistarum modo, sed etiam Josephi auctoritate constat, qui *lib.* xviii. *Ant. Judaic. cap.* v. *al.* vii. *pag.* 883. *edit. Haverc.* hæc habet: „ Erant quidam e Judæis, qui existimarent, Dei ira periisse exercitum Herodis, qui justas pœ„ nas ob interfectum Johannem cognomento Baptistam dabat. Hunc enim Herodes necari jussit ἀγα„ θὸν ἄνδρα *bonum virum*, Judæisque præcipientem, ut virtutem colentes, justitiaque inter se, „ atque erga Deum pietate usi, ad baptismum accederent &c. „ Caussam autem cur Herodes Johannem occidi jusserit, hanc indicat Josephus *ibid. pag.* 884. *Metuisse* nempe Tetrarcham, *ne tanta hominis auctoritas ad defectionem quemquam incitaret*. Atque hæc fortasse inanis ratio sparsa in vulgus ab Herode fuit, ut aliqua ratione admissum ab se facinus tegeret. Vera fuit, quam Evangelistæ indicant. Sacris Scriptoribus assentitur Josephus Gorionides *cap.* lxiii. *Hist. Hebraic.* Occisum namque Johannem scribit, *quod* Herodi *dixisset*, *illicitum tibi assumere uxorem fratris tui Philippi in matrimonium*. De Josephi loco sunt, qui dubitent genuinus ne, an spurius sit, quasi vitio Christiani alicujus adjunctus Antiquitatibus Judaicis fuerit. At Origenes, aliique Veteres imprimis Scriptores Johannis factam ab Josepho mentionem fuisse ferunt. Itaque Daubuzio, aliisque eruditissimis viris, quorum extant in extremo II. *Vol. Ant. Josephi edit. Haverc.* Opuscula assentior, affirmantibus esse genuinum. Sed Willelmum Wistonum etsi probem, dum idipsum statuit, tamen in *Tract. Anglice scripto* vi. *Dissert. de textu Jos. &c. Lond.* 1734. *Josephum Christianum Hebraizantem fuisse* ex eorum numero, quos Ebionitas vocant, scribenti inducere, ut assentiar, animum non possum.

(3) Matth. xiv. *v.* 13. *& seqq.* Marc. vi. *v.* 30. *& seqq.* Luc. ix. *v.* 10. *& seqq.* Johann. vi. *v.* 1. *& seqq.*

reat. Jesus turbas se dimissurum negat. Hoc enim onus ab se discipulis imponi ait, ut ipsi populo prospiciant, utque ne fame pereat, curent. Puer ibi forte fortuna erat, qui panes quinque habebat hordeaceos (1), piscesque duos. Nunciatum id Christo ab fratre Simonis Petri Andrea fuit. Sed is sufficere eos ad quinque millium hominum multitudinem alendam, ne suspicari quidem se posse dixit. Tum Christus, esse sibi curæ, ut sint satis, ostendit. Nam Apostolis præcepit, ut turbas discumbere juberent. Quod cum factum esset, Jesus acceptis panibus quinque, duobusque piscibus in cælum suspexit primum, tum gratias egit æterno Patri. Panibus, piscibusque divisis, partes Apostolis dedit, ut tantum cuique eorum, qui consedissent, quantum quisque vellet, tribuerent. Ubi saturati omnes fuerunt, tum Jesus ad discipulos conversus: colligite, inquit, fragmenta, ne pereant. Nam hoc ille studebat, ut quod esset ab se prodigium factum turbæ perspicerent, sibique prædicanti, se esse Messiam, crederent. Apostoli quod jussi sunt faciunt, collectisque quinque panum, & piscium duorum fragmentis, duodecim ex iis cophinos (2) implent. Quod ut populus animadvertit, vociferatur, Christum eum Prophetam esse, quem venturum in mundum vates tradidissent. Agi præterea apud eos cœptum de Jesu rege constituendo. Quare inde ille abscedere decernit, quod regnum in terra nullum obtinere velit. Itaque adhortatus discipulos, ut navim ingrediantur, seque præcedant, ipse in proximum montem (3) oratum ascendit. Non longe aberat navis Capernao, cum tanta tempestas subito coorta est, ut ea cursum tenere non posset. Ergo adversa nocte navis in altum provecta, fluctibus magno cum Apostolorum periculo complebatur. Christus, qui eos laborantes videbat, quarta vigilia ad eos contendit. Ergo cum mare pedibus calcans ad navim propius accessisset, discipuli rati phantasma aliquod esse (nam aquis inambulare neminem ante conspexerant) perturbati vehementer, ac timore affecti clamarunt. Jesus, qui eos agitari diutius nolebat, bono animo ut essent, jussit. Qua re audita Petrus posteaquam magistrum orasset, ut sibi

(1) Matth. *cap.* xiv. *v.* 15. *& seqq.* Marc. *c.* vi. *v.* 34. *& seqq.* Luc. *cap.* ix. *v.* 12. *& seqq.* Joh. *c.* vi. *v.* 8. *& seqq.*

(2) Hoc etiam tam singulare prodigium Christiani veteres exprimi in sculptis lapidibus, atque picturis curarunt. Consule Aringhum, qui refert Sarcophagos marmoreos repertos in *cœmeter. Romæ*, & in quibus exhibetur idem prodigium *lib.* II. *cap.* x. *pag.* 289. 291. 297. 313. 325. *lib.* III. *c.* III. *pag.* 449. *lib.* III. *cap.* XXII. *pag.* 613. 615. *lib.* IV. *cap.* XXV. *pag.* 161. 163.

(3) Matth. xiv. *v.* 15. *& seqq.* Marc. *cap.* vi. *v.* 45. *& seqq.* Joh. vi. *v.* 15. *& seqq.*

ſibi ad eum inambulando aquis accedere liceret, idque jam a Christo facile impetraſſet, in aquam deſcendit; ſed veritus, ne ob (1) vim fluctuum opprimeretur, propterea quod dubitaſſet, mergi cœpit. Quamobrem Chriſtum obſecravit, ut ſibi præſidio eſſe vellet. Ille extenſa manu ſalvavit, ac deinde, quod dubitaſſet, redarguit, navimque aſcendit, utque extemplo ventus ceſſaret, effecit. Id ut nautæ viderunt, mirati tanti viri poteſtatem, cui mare, ac venti parerent, ad eum venerunt, Deique filium eſſe confeſſi, adorarunt. Ita namque rebus præſentibus movebantur, ut quæ acta ante fuiſſent, eorum oblivifcerentur. Exciderat ſcilicet illorum memoria, quod de multiplicatis panibus in deſerto viderant. Egreſſi e navi plerique omnes Chriſtum cognorunt, miſſiſque ad omnem circum regionem nunciis, eum adeſſe ſignificarunt. Ea re intellecta quotquot febri, aut morbo aliquo laborabant, ad eum deferri curarunt, quibus omnibus ſanitatem, ut miſericors erat, reſtituit. Cumque oppida, vicoſque circumcurſaret, non modo eos, qui ad ſe acceſſiſſent, verbo, ſed tactu etiam veſtium ſuarum ſanabat. Interea turbæ, quæ trans (2) mare conſtiterant, cum Jeſum navigaſſe Capernaum cognoſſent, nacti in littore naves, atque opportunum ad transfretandum tempus, ſolverunt, ac brevi Capernaum appulerunt. Neque enim longius abeſſe ab eo poterant, a quo ſaturatæ ſine labore fuiſſent. Chriſtus ab eis rogatus, quando Capernaum veniſſet,

(1) In veteri annulari onyche, qui vix ungaia humanæ menſuram æquat, navicula in medio mari fluctibus agitata nautæ laborantes, & Chriſtus aquis inambulans, Petrumque ne mergatur ſuſtinens repræſentantur. Summo navis malo, ubi vela contracta cernuntur (non enim aſſentior Hieronymo Aleandro *Comment. de Navi Eccleſiam referente &c. edit. Romæ an.* 1626. & Aringho *lib.* v. *cap.* IX. *Roma Subterr. pag.* 475. ajentibus arcam Noemicam in ſummo malo exhiberi, cum id ne veriſimile quidem videatur, ut recte animadvertit clariſſimus Eques Franciſcus Victorius *Diſſert. de Monogr. SS. Nominis Jeſu pag* 57. *& ſeq.*) columba inſidet. Super Chriſti, & Petri capita litteræ viſuntur græcæ IHC ΠET, quæ *Jeſum*, ac *Petrum* ſignificant. Subter navim jacet piſcis magnæ molis. Quas quidem figuras *piſcis*, *navis*, atque *columbæ* in annulis exhibere primi Chriſtiani ſolebant, ut eſt a Clemente Alexandrino *lib.* III. *Pædag. cap.* XI. traditum. Ejus gemmæ iconem, quam ſupra *pag.* 115. exhibuimus, rurſum nobis hic exhibere placuit.



(2) Johann. VI. v. 22. *& ſeqq.*

veniſſet, cognita earum voluntate, quin ad ea, quæ ipſæ quærerent, reſpondiſſet; quæritis, inquit, me, non quod inducti ſignis, atque prodigiis ad quærendum (1) ſitis, ſed quod vobis manducandi copia ſit facta. Eſſe panem vitæ ſe, quo qui veſcatur, is numquam interire poſſit. Quæ verba magnæ contentioni occaſionem dederunt. Non enim perſpiciebant Judæi quemadmodum panis vitæ e cælo delapſus is eſſet, quem ortum ex Maria eſſe cognoſcerent. Nihilominus Chriſtus eos, qui carnem manducare, ſanguinemque filii Dei bibere recuſarent, non eſſe potituros æterna vita, confirmat. Id vero magnæ fuit offenſioni Judæis. Quin etiam nonnulli, qui ei ſeſe dediderant, utque magiſtrum conſectabantur, eumdem deſeruerunt. Jeſus advocatis duodecim, percuntatus eſt, numquid & ipſi abire vellent? Negavit Petrus deſeri a ſe, atque a collegis eum poſſe, qui verba vitæ æternæ haberet, quemque ſcirent Chriſtum Dei filium haberi oportere. Confirmatis deinde in officio Apoſtolis, quorum tamen unum prædixit proditorem, & diabolum futurum, Capernao diſceſſit. Atque hæc circa Paſcha anni 29. æræ vulgaris, ut noſtra ſert opinio, contigerunt, quod ſecundum prædicationis Chriſti fuit.

Eodem fere tempore cum ab iis, qui ſecum eſſent, Judæis nunciari ſibi audiſſet, animadverſum a Pilato in Galilæos quoſdam eſſe, qui neſcio quid peccaſſent, non eos modo reſpondit, neve illos decem & octo, quos turris Siloe oppreſſiſſet, verum etiam omnes, qui pœnitentiam agere noluiſſent, perpetuo eſſe perituros. Interim ex conſuetudine diebus ſabbatis in (2) ſynagogis docebat, & lan-

(1) Tam erant manifeſta prodigia, quæ Chriſtus patrabat, ut ne ab inimicis quidem revocari in controverſiam poſſent. Itaque eo confugiebant Pharisæi, ut alias ſæpe animadverti, ut præſtigiis ea eſſe annumeranda contenderent. Quod cum traditum memoriæ ab Evangeliſtis fuerit, tum eſt ab SS. Patribus, imprimiſque a Juſtino Martyre *Dialogo cum Tryphone n.* LXIX. *pag.* 68. *edit. Monach. S. Mauri*, Judæis exprobratum. Itaque Celſus apud Origenem *lib.* I. *n.* LXVIII. *pag.* 382. *edit. Mon. S. Mauri T.* I. Phariſæorum reſponſo ad debilitandum, quod ex miraculis concluditur, argumentum, eſt uſus; quem Celſum proinde *pag. ead. ſeqq.* refellit Origenes. Hujus autem mores eſt imitatus Julianus Imperator, ut eſt memoriæ a Cyrillo Alexandrino Epiſcopo *lib.* VI. *contra Jul. pag.* 191. commendatum. Sed non eſt cur hoc loco de veritate miraculorum Chriſti diſſeram. Nam occupata jam inde a multo tempore a majoribus noſtris hæc provincia eſt, fueruntque etiam recentiore memoria clariſſimi viri, qui in eo genere ſumma cum laude laboraverint; inter quos numerandi Abbas Houttevilleus in egregio Opere *de la Religion prouvée par les faits. Pariſ.* 1722. P. Merſennus Minimus *Comment. in Geneſ. pag.* 457. *& ſeqq. &* 573. *& ſeqq.* Petrus Daniel Epiſcopus Abrincenſis *propoſit.* XI. *pag.* 825. & P. Merlinus *Diſſertation ſur les Miracles contre les Impies edit. an.* 1742. E proteſtantibus etiam plerique de hoc eodem argumento ſcripſerunt, ut Jacobus Batalerius in *Vindiciis Miraculorum. Amſtel. an.* 1674. ut Johannes Weſſelius *Diſſert. de Miraculis Lug. Bat. an.* 1716. ut Auguſtinus Gerdeſius *Diſſert. de Miraculis cap.* VI. ut Iſaacus Jaquelotius *Diſſert. ſur l' Exiſt. de Dieu pag.* 651. *& ſeqq.* ut Hermannus Witſius *Diſſert. tribus in Meletem. Leidenſibus* V. VI. VII. *Lugd. Batav. edit. a.* 1703.

(2) Luc. *cap.* XIII. *v.* 1. *& ſeqq.*

languidos, ægrotosque, si qui se obtulissent, curabat. Irati erant Judæi Christo, quod sabbati, ut ipsi putabant, rationem nullam habere videretur. Itaque Archisynagogi, & qui aderant Pharisæi in populum acriter invehebantur, propterea quod sex dies cum in hebdomade quaque sint, quibus opus exercere fas esset; tum die festo accedere in Synagogam, salutemque petere auderent. Contra hos Christus respondit, in aliis, quæ recte fierent, ne hi condemnarent, quæ in se damnari minime paterentur. Cur enim ægrotis, quod salutem sabbato & peterent, & obtinerent, crimini verterent? An ipsi bovem, aut asinum solvi die festo, ducique ad aquam non ferrent? Quamobrem igitur filios Abrahæ insectarentur, qui non bestiæ cuiquam, sed sibi sanitatem restitui optarent. Desinerent ergo hypocritæ maledicere, permitterentque miseris, qui aliqua premerentur calamitate, auxilium ab eo petere; qui ferre posset.

Itinere Hierosolymam (1) instituto, propterea quod Paschate in Judæam ascendere opportunum non esse existimasset, Christus cum per urbes, vicosque transiret, turbasque, ut mos ferebat, doceret, invenit aliquos, qui ex se quærerent, multi ne, an pauci salutem essent consequuturi. Ille angustas esse cælorum fores dixit. Itaque id laborarent, ut ne aditu prohiberentur. Scirent autem, plerosque ex oriente, & occidente ethnicos venturos, qui in cælo regnum obtinerent. Post in fines Tyriorum, ac Sidoniorum venit. Erat incognitum incolis, quem virum hospitio excepissent. Quo tempore ethnica mulier, cujus erat filia a dæmone (2) agitata, ad ipsum venit, & adorans petiit, sui ut misereretur. Paucis verbis ultro citroque habitis de Israelitis, ad quos Messias venisset sanandos, ut qui electum populum constituerent, cum Christus animadverteret constantiam mulieris in fide servanda, fiduciamque majorem esse ea, quam Judæi colere solerent, ut bono animo esset, utque, quod (3) petebat, factum esse crederet, jussit. Liberata filia, & muto, ac surdo, qui ad ipsum adductus fuerat, Sanato, multisque claudis gressu, cæcis visu, mutis loquendi facultate restituta;

pani-

(1) Lucæ XIII. *v.* 22. *& seqq.*

(2) Matth. *cap.* XV. *v.* 23. *& seqq.* & Marci *cap.* VII. *v.* 24. *& seqq.*

(3) Quoniam hæc prima omnium mulier ethnica, quæ ad Christum venerit, eique fidem adhibuerit, fuit (nam aliam ante hanc nullam memorant Evangelistæ) idcirco fortasse factum est, ut majores nostri ejus imaginem exhiberi in Sarcophagis, picturisque curarunt, ut & prodigium, & primæ mulieris ex gentibus ad Christiana Sacra conversæ reminiscerentur. Vide Aringhum *lib.* II. *cap.* X. *p.* 297. *Tom.* I.

panibus ſeptem, & paucis piſciculis quatuor millia virorum ſingulari prodigio ita (1) pavit, ut fragmenta ſuperfuerint, quibus ſportæ ſeptem (2) implerentur. Inde Dalmanutha navigavit. Poſt Bethſaidam cum appuliſſet, in oculos cæci cujuſdam expuit, atque eum ut videret, fecit, utque ne cui hominum nunciaret, juſſit. Hæc ubi perfecit, Hieroſolyma clam ad Scenopegiæ, ſive tabernaculorum feſtos dies celebrandos aſcendit, (3) ac palam in templo loqui de rebus divinis cœpit. Mirabile pleriſque omnibus videbatur, quod is, qui numquam litteras didiciſſet, litterarum tamen ſcientia tanta valeret, ut nemo cum eo comparari poſſe videretur. Non erat opus Servatori, ut quiſquam ſibi declararet, quid ii, quibuſcum loquebatur, in animo haberent. Quamobrem, ut ne intimas quidem cogitationes eorum ſibi eſſe ignotas demonſtraret, ne arbitremini, inquit, meam eſſe, quam vos admiramini doctrinam. Ejus eſt Patris, a quo me eſſe miſſum prædico. Id ſi quis veſtrum quam ſit verum cognitum, compertumque habere cupit, is quod a Deo Patre juſſus eſt, faciat. His aliiſque verbis in eam ſententiam dictis, quæſivit quid eſſet, quod ſe interficere hominem, qui vera diceret, tentarent. Judæi, qui nondum perceperant, hunc illum eſſe Jeſum, quem ante ad necem quæſiſſent, negarunt reperiri quemquam, qui ei malum inferre conaretur. Sed qui illum ex voce, ac vultu cognoverant eum eſse, quem ob prodigium ſabbato factum Principes civitatis perdere conſtituiſsent, aſſequi non poterant, quamobrem illum impune in civitate verſari, & palam de ſe, rebuſque ab ſe geſtis loqui paterentur. Ea re cognita, Judæi obſtinatiores facti

(1) Matth. *cap.* xv. *v.* 32. *& ſeqq.* Marc. *cap.* VIII. *v.* 1. *& ſeqq.*

(2) Hoc item prodigium in cœmeterialibus picturis, atque ſarcophagis Chriſtiani veteres expreſſerunt. Adeundus Aringhus *T.* I. *l.* III. *c.* XXII. *p.* 553. 575. *T.* II. *Rom. Subterr. l.* IV. *cap.* XXXVII. *p.* 91. 260. Extat in muſeo Victorio vitrum auro bracteatum in cœmeteriis Romæ repertum, in quo res eadem picta cernitur. Editum a clar. Equite Franciſco Victorio fuit *Diſſ. de Vetuſt. Menogr. Chriſti pag.* 1. Eſt vero ejus figuræ ſimile, quæ media eſt inter haſce tres, quas referre etiam hoc loco juvat. Vide appoſitam tabulam *fig.* V.



(3) Johan. *c.* VII. *v.* 1. *& ſeqq.*

TABVLA PRIMRII SANCTI CALLISTI PAPAE
ET ALIORVM SA PIA ET ARDEATINA



facti, quod paullo ante a quoquam suorum agi negarant, hoc faciunt. Itaque in templo de rebus divinis graviter differentem capere conantur. Sed frustra. Definitum enim a Deo tempus erat, quo illum pro salute generis humani vinciri, atque interfici oporteret. Interim fuerunt e turba plerique, qui ejus (1) oratione inducti, eidem se dederent, atque imperata facere pollicerentur. Proximis diebus cum omnes, qui siti macerarentur (indicabat autem his verbis eos, qui virtute carerent) ad se ut accederent, hortaretur, futurumque promitteret, ut, si credidissent, gratia abundarent; divisa in factiones turba fuit, & pars quidem eum Prophetam, pars Messiam, pars denique impostorem esse affirmabat, propterea quod esset e Galilæa. Etsi erant aliqui ita animati, ut eum ad principes civitatis adducere constituissent, tamen aut quod mirati sapientiam ejus, atque virtutem essent, aut quod sibi a ceteris, qui crediderant, metuissent, satius esse putarunt, ut ne quidquam in eum auderent. Hi cum ad Pontifices, atque **Pharisæos** rediissent (2), interrogati quamobrem liberam ei abeundi potestatem fecissent, visum ab se neminem esse responderunt, qui tanta vi orationis valeret. Pontifices in eos asperrime loquuti, quod plebeii cum essent, seduci tulissent ab illo se, cui neque ipsi, qui primas in republica partes obtinerent, neque Pharisæi assensi fuerant; turbis, quasi graviter in legem peccassent, maledixerunt. Intererat ei consilio Nicodemus, de quo supra demonstratum est. Is, etsi clam, quum tamen Christi partibus studeret, reprimere se non potuit, quin turbæ defensionem susciperet, fasque esse Judæis reum violatæ legis quemquam agere negaret, de cujus doctrina cognoscere recusassent. Illi in Nicodemum invecti, non minus quam si in magni alicujus facinoris suspicionem adductus esset, principio ex eo petierunt, num & ipse Galilæum se esse profiteretur. Deinde hortati hominem, ut scripturas scrutaretur, cogniturum enim e Galilæa Prophetam exsistere nullum (3) posse, domum reverterunt. Mane iterum Christus in templum venit, & populum, qui frequens eodem concurrerat, docere cœpit. Scribæ, ac Pharisæi, qui hoc maxime enitebantur, ut eum circumvenirent, deque eo ad senatum deferrent, mulierem (4), quam adulterii crimine implicatam esse dicerent, ad eum ad-

(1) Johann. *ibidem*.
(2) Johann. *cap.* VII. *v.* 45. *& seqq.*
(3) Vide quæ supra de hac re dixi *cap.* II. §.24. *lib.*I. *pag.*97. *& seqq.*
(4) Johann. *cap.* VIII. *v.* I. *& seqq.*

ducunt, petuntque dignam ne esse censeat, quæ lapidibus, ut est sancitum a Mose, obruatur. Jesus, qui quorsum hæc pertinerent, cognorat, ubi eos instare, interrogandique finem nullum facere velle animadvertit, erexit sese, conjectisque in accusatores oculis, siquis est, inquit, vestrum, qui vacet culpa, ei ego, ut primus in eam lapidem jaciat, permitto. Cumque rursum inclinasset se, & scribere in terra (1) cœpisset, illi, qui artes suas similem exitum habituras ne suspicabantur quidem, inde se, relicta in templo muliere, subduxerunt. His abire coactis, Christus graviter commonefecit mulierem, ut ne deinceps peccare auderet, utque domum suam rediret, jussit. Item alio die, cum ille in templo lucem se mundi esse, exque Deo patre profectum prædicaret, multos, ut sibi assentirentur, induxit. Eodem fere tempore cæcum, qui jamusque a nativitate videndi facultate caruerat, sanavit. Qua re cognita Pharisæi, quin, ut oportebat, eum, qui hæc tam admiranda opera patraret, Messiam esse confiterentur, negarunt esse ex Deo hominem posse, qui sabbato lutum ex sputo facere, & (2) cæcum natum curare non dubitasset. Sed is, cui visum restituerat, ubi denuo in Jesum incidit, eumque esse, a quo tanto beneficio affectus erat, cognovit, in ejus se pedes projecit, atque ut filium Dei adoravit. Multis prodigiis factis, atque Pharisæorum impudentia sæpe ac multum repressa, in Peræam, quæ regio, ut supra ostensum est, in Herodis Antipæ ditionem venerat, iter instituit. Eo cum pervenisset, magnoque numero civium evocato, multos, ut sibi crederent, induxisset; Pharisæi malevolentia incitati ad ipsum veniunt, hortanturque, inde ut decedat, ni ab Herode interfici velit. Hoc illi perterrefaciendi Christi caussa moliuntur. Ad hæc Christus, quæ visum est, respondit. Sed exitus fuit orationis, ad Herodem ut eant, eique admiranda (3) opera, quæ fieri ab se intellexerint, exponant. Nam sibi paucorum dierum spatium esse

(1) Sunt, qui imitatum fuisse Christum arbitrentur Sacerdotis gestum, qui uxorem suspectam adulterii exploraturus, sese inclinabat, pulveremque e pavimento Sanctuarii colligebat, quem aquæ infusum, potandum mulieri præberet, ut sanctum lege *Numerorum cap.* v. *v.* 17. est. Sed unde id fecisse eo consilio Christum concludant, nescio. Vide Interpretes in hunc locum Johannis, de quo etiam extat singularis Andreæ Ludov. Konigsmanni *Dissertatio* inserta *Tom.* II. *Thesauri dissert. Theol. Philol. pag.* 501. *edit. an.* 1732.

(2) Joh. *cap.* IX. *v.* 1. *& seqq.* Dici vix potest, quam multa extent sacræ vetustatis monumenta, quæ hoc prodigium exhibeant. Sarcophagos, cœmeterialesque picturas perplures affert Aringhus, quæ huc pertinent. Vide *Tom.* I. *pag.* 259. 313. 333. 425. 427. *& Tom.* II. *pag.* 161. 167. 399. 557.

(3) Luc. *cap.* XIII. *v.* 33. *& seqq.*

esse datum, quo consumat, perficiatque omnia, quæ de se prædicta a Prophetis fuerunt. Liberum sibi esse, ut maneat, utve abeat, velut ex usu esse perspexerit. Hac se libertate neque ab Herode, neque ab alio quoquam mortalium privari posse. Atque hoc etiam scirent, esse sibi Hierosolymis moriundum. Non enim contingere solere, ut Prophetes extra principem Judææ urbem intereat. Cujus urbis incolarum, quod dicto audientes esse negligerent, inque Prophetas crudeliter sævirent, domum desertam futuram. Denique ut inde statim proficiscatur, ab se impetrari non posse dicit. Rebus, quæ ad salutem ejus Provinciæ pertinerent, sapienter constitutis, multis de caussis Christus statuit, sibi in Tetrarchiam Philippi esse (1) transeundum, quarum illa fuit præcipua, quod quum ad se opprimendum impelli Herodem facile videret, hac illum cura liberare voluit. Urbs erat in ea regione a Tetrarcha condita, cui, ut sibi Tiberii Cæsaris benevolentiam conciliaret, Cæsareæ nomen indiderat. Itaque Cæsarea Philippi dicebatur. In proximis igitur ejus urbis vicis morari Christus (namque ingredi Cæsaream nolebat, ne quæ sui caussa dissensiones, turbæque orirentur) conventusque tamdiu agere decrevit, quoad tempus illud venisset, quo Hierosolymam contendere, mortemque pro salute generis humani oppetere deberet. Cum igitur vicos, atque oppida peragraret, unaque discipuli essent, quæsivit ex eis, quemnam homines se esse arbitrarentur? Illi varias multorum numerarunt, interque se dissidentes opiniones. Esse namque aliquos dixerunt, qui Eliam; nonnullos, qui Hieremiam; alios qui Johannem Baptistam, aut unum Prophetarum eum esse defenderent. Rursum cum essent interrogati, quid ipsi sentirent, Petrusque omnium nomine respondisset, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, Jesus hunc intuens, *Beatus es Simon Bar-Jona*, inquit, *quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Petro capite, ac principe constituto (2), qui post se Christianam rempubli-

(1) Matth. *cap.* XVI. *v.* 13. *& seqq.* Marc. *cap.* VIII. *v.* 27. *& seqq.* Luc. *cap.* IX. *v.* 18. *& seqq.*

(2) De primatu S. Petri erit in eo libro, in quo de forma Christianæ Reipublicæ agetur, opportunior differendi locus.

publicam administraret, Jesus Apostolis, ne cui Christum se esse dicerent, præcepit, pœnamque minatus est, ni parerent. Diebus paucis in finibus Cæsareensium consumtis, explicandum esse discipulis judicavit, proximum esse tempus, quo se Hierosolymam (1) proficisci, morte affici, tertiaque die resurgere constitutum esset. Petrus, quod summopere magistrum diligeret, ignorans quæ erant divinitus decreta, ad eum accedit, atque avertat Deus, inquit, hoc abs te malum. Fore enim, ut id numquam tibi eveniat, spero. Hujus orationem Christus interpellat: Jubet ut inde abscedat, utque scandalo sibi esse desinat. Sciat Satanæ, hoc est adversarii, loco sibi esse illum, qui divina ignoret, humanisque rebus omnia metiatur. Post convocatis turbis, quæ fieri velit, ostendit: monetque, ut animæ suæ quisque rationem habeat. Homini enim nihil potius, aut sanctius illa esse docet. Quamobrem quidvis eum perferre, cui anima curæ sit, quam, ut hæc quidquam detrimenti capiat, malle. Igitur omnes crucem suam bajulare, seque subsequi hortatur. Ni fecerint, sciant ab eo esse deserendos, quem ipsi coram Principibus Messiam, Servatoremque generis humani fateri recusassent. Hac oratione habita, post dies fere octo Petrum, filiosque Zebedæi Johannem, atque Jacobum ad se (2) vocat, & secum in montem, qui non procul aberat, altissimum ut ascendant, jubet. Eo cum esset perventum, & Christus orandi initium fecisset, immutatus vultu, vestibusque (3) sic est, ut ejus facies solis instar fulgeret, vestesque nivis similes viderentur. Hoc ut evenit, Moses, atque Elias repente apparuerunt, cumque eo de rebus, quas brevi esset Hierosolymis passurus, agere cœperunt. Jam Apostoli somno oppressi dormierant, cum opportune excitati, quinam duo illi viri essent, qui a colloquio discederent, mirarentur. Ubi Mosen, atque Eliam esse cognorunt, Petrus, ob terrorem, quum sui compos non esset, optimam rem esse exclamavit, si tria tabernacula extruere, ibique omnibus, qui aderant, Christi voluntate,

(1) Matth. *cap.* XVI. *v.* 23. *& seqq.* Marc. *cap.* VIII. *v.* 31. *& seqq.* Luc. *cap.* IX. *v.* 22. *& seqq.*
(2) Matth. *cap.* XVII. *v.* 1. *& seqq.* Marc. *cap.* IX. *v.* 1. *& seqq.* Luc. *cap.* IX. *v.* 28. *& seqq.*
(3) De transfiguratione Christi in Monte videndi Interpretes in loca mox indicata Matthæi, Marci, ac Lucæ. De loco inter se Interpretes dissident. In Tabor monte transfiguratum Christum censent Cyrillus *Hierof. Catech.* XII. Hieronymus *Epist.* qua exhibetur Epitaphium Paulæ, aliique multi veteres, ac novi scriptores. Contra in *Libano* monte id contigisse putant Jacobus Faber Stapulensis, & Lucas Brugensis, & Maronitæ plerique, qui ejus rei memoriam celebraturi, stato die in Libanum montem ascendunt, ibique rem divinam faciunt. At e contextu Evangelii Matthæi colligitur, Christum simul fere ac descendit e monte, Capernaum venisse, quæ urbs vicina Tabori monti est.

luntate, consistere liceret. Quo tempore nubes lucida visa est, in quam ut Prophetæ ascenderunt, audita vox fuit, quæ Jesum filium Dei esse confirmaret, utque ipsi omnes parerent, præciperet. Ea re audita Apostoli propter terrorem in terram se, velut exanimes, projecerunt. Vocati deinde a Christo, jussique bono animo esse, surrexerunt, neminemque, præter unum Jesum, videntes una cum eo e monte descenderunt. Cum descenderent, Jesus ne cui nunciarent, quod viderant, mandavit. Secundo die ad discipulos venit, eosque frequentem (1) populum circum se habere, & cum scribis disputare videt. Ex illis, qua de re inter se agerent, exquirit. Interim vir erat in turba, qui eo se cum filio suo graviter a dæmone vexato contulerat, ut eum liberari a Christo impetraret. Is statim atque intellexit Jesum rediisse, accessit, & quamobrem venisset significavit. Addidit præterea confugisse ad discipulos se, eosque obsecrasse, sibi ut opem intenderent. Conantes auxiliari, nihil profecisse. Itaque a Magistro se petere, sui, filiique malum ut misereatur, utque ne re infecta se domum reverti sinat. Christus reprehensis discipulis, quod minus in fide constantes essent, dæmoniacum adduci ad se imperavit, & patrem hortatus, ut crederet, propterea quod nihil sit, quod credens Christo impetrare facile non possit, diabolum excedere coegit. Hoc prodigio facto (2) Christus in Galilæam reversus est. Qua in provincia cum moraretur, discipulis, qui sibi cruciatus imminerent, prædixit. Hic tanta subito omnium commotio facta est, ut vehementer animi propter tristitiam perturbarentur. At ille soluto tributo (3), quod singulis capitibus impositum erat, objurgatisque Apostolis, propterea quod de dignitate inter se contendissent, atque iisdem graviter commonefactis, ut demissis animis essent, & nemini scandalum inferrent (4), Hierosolymam ascendere, ut quæ sibi essent a Patre imperata faceret, decrevit. Itaque nuncios in oppidum quoddam Samaritarum, qua iter in Judæam erat, misit, qui dicerent, Christo esse in animo iter per Provinciam facere (5), rogarentque, ut incolarum voluntate id sibi facere liceret. Samaritæ, quod iniquo animo ferebant, Galilæos Hieroso-

(1) Matth. *ibid. v.* 14. *& seqq.* Marc. *ibid. v.* 13. *& seqq.* Lucas *ibid. v.* 17. *& seqq.*
(2) Matth. *ibid. v.* 21. *& seqq.* Marc. *ibid. v.* 29. *& seqq.* Lucas *ibid. v.* 44. *& seqq.*
(3) Matth. *ibid. v.* 23. *& seqq.*
(4) Matth. *cap.* xix. *v.* 1. *& seqq.*
(5) Luc. *cap.* ix. *v.* 51. *& seqq.*

rosolymam religionis caussa proficisci, concedendum non putarunt. Ob eam rem Jacobus & Johannes a Christo petierunt, ut igne cælitus immisso incendi, consumique ejus oppidi incolas juberet. Ipse cum injurias ulcisci nemini licere dixisset, in aliud oppidum contendit, utque sibi iter per Provinciam daretur, impetravit. Quo in itinere decem leprosos (1) miraculo mundavit, & parabolis una Judicis, ac (2) Viduæ, altera Publicani, & Pharisæi narratis, quam sit assidua, *humilisque* oratio hominibus ex usu ostendit. In fines Judææ cum pervenisset, multosque e populo, qui frequens eodem concurrerat, sanasset, interrogatus a Pharisæis, quid de repudii lege, quam Moses tulerat, sentiret, paucis (3) respondit: non esse matrimonium solvendum. Quod enim conjunctum a Deo est, hoc ab homine dividi nequire. Nam quod Moses libellum repudii dari passus sit, id non ejus voluntate concessum, sed permissum ob improbitatem Judæorum fuisse scirent. Pro certo autem discipuli haberent eum, qui uxorem dimiserit, aliamque duxerit, mœchari. Nam virginitatem qui colerent, hos conjugatis præferri oportere. Hoc responso dato, pueris, qui ad se a parentibus essent adducti, manus (4) imponit, deinde eos, qui opibus abundent, magno in periculo versari, qui vero sibi adhæsissent, post labores, irrisiones, atque supplicia, beatam esse vitam ducturos docet. Sed ubi propius Hierosolymam accessit, duodecim Apostolis ad se accitis, & quo iret, & quid esset passurus dissertis (5) verbis significavit. Tradar, inquit, hostibus. Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores me dignum esse, qui peream, judicabunt. Itaque me ad Præsidem deferent, qui vitæ in cives, necisque habet potestatem. Is cum ethnicus sit, militum item ethnicorum me ludibriis exponet, ut indignis me modis ludificentur, ut conspuant, ut flagellis cædant, ut cruci affigant, occidantque. Sed hoc prædico, me tertia die resurgere oportere. Objurgatis deinde Jacobo, & Johanne filiis Zebedæi, quod primas in regno cælorum partes obtinere desiderarent, cum longius progressus esset, in cæcum incidit, qui sui ut misereretur clamaret. Hunc ad se afferri voluit, jussumque ut salvus esset, sanavit. Post Hierichuntem

(1) Luc. *cap.* XVII. *v.* 1. *& seqq.*
(2) Luc. *cap.* XVIII. *v.* 1. *& seqq.*
(3) Matth. *cap.* XIX. *v.* 1. *& seqq.* Marc. *cap.* X. *v.* 10. *& seqq.*
(4) Matth. *cap.* X. *v.* 13. *& seqq.* Lucas *cap.* XVIII. *v.* 15. *& seqq.*
(5) Matth. *cap.* XX. *v.* 17. *& seqq.* Marc. *cap.* X. *v.* 32. *& seqq.* Lucas XVIII. *v.* 31. *& seqq.*

tem venit, & Zachæum publicanum, a quo (1) exceptus hospitio fuerat, ad sanitatem, virtutemque convertit. Hierichunte egressus duobus cæcis videndi facultatem (2) fecit. Eo fere tempore, quo instare mortis suæ diem Apostolis prænunciavit, missi ad eum a Martha, & Maria sororibus fuerunt, qui nunciarent, Lazarum earum fratrem, quem Christus magnopere amaret, summo in vitæ periculo versari. Quo nuncio accepto, ubi tum erat, biduum sibi esse consistendum putavit. Post discipulos ad se vocavit, sibique in Judæam esse redeundum dicit. Illi quod memoria injuriam Pharisæorum tenerent, pluribus verbis obsecrare cœperunt, ne ei itineri sese committeret, quod esset plenum periculorum. Sed Christus, cum proverbio usus significasset, cognitum sibi esse tempus, quo comprehendi ab hostibus, atque interfici deberet, caussam proposuit, ob quam in Judæam redire statuisset. Ubi discipuli audierunt Lazarum decessisse, ac Jesum idcirco Bethaniam petere, ut eum e mortuis revocaret, sequendi magistri consilium susceperunt. Quartus ab interitu Lazari dies erat, cum Bethaniam Christus pervenit. Distabat autem is vicus Hierosolymis stadia fere quindecim. Itaque ex ea urbe multi Bethaniam venerant, ut Martham, atque Mariam consolarentur. Martha ut intellexit, prope abesse Christum, ei obviam processit, (3) & casum fratris lamentari cœpit. At Jesus resurget, inquit, frater tuus. Illa fidei, ac religionis plena, cum ipsum esse Dei filium confessa esset, domum ad sororem redit, magistrumque advenisse, qui eam videre vellet, nunciavit. Contineri Maria non potuit, quin continuo surgeret, Christumque, qui nondum in vicum intraverat, adiret. Quem in locum Judæi etiam, qui domo una cum Maria exierant, procurrerunt. Tum Jesus, ut mulierem flentem vidit, quæsivit ubi sepulcrum Lazari esset. Eo cum esset adductus tolli ex ostio sepulcri lapidem præcepit. Qui aderant, quod erat imperatum fecerunt. Christus Martham, ut crederet hortatus, Lazarum vocavit, utque foras prodiret jussit. Revixit ille extemplo, ac populo inspectante e sepulcro exivit ligatis pedibus, atque manibus, & facie sudario cooper-


(1) Hoc item prodigium in picturis, sculptisque marmoribus Christiani veteres exprimi curarunt; Vide Aringhum *lib.* II. *cap.* x. *Rom. Subterr. pag.* 329. *Tom.* I.

(2) Luc. *cap.* XIX. *v.* I. *& seq.*

(3) Hoc quoque Christiani veteres in picturis, & marmoribus expresserunt. Itaque Martham repræsentarunt juxta Lazari sepulcrum lugentem. Vide Aringhum Romæ Subterr. *Tom.* I. *lib.* II. *cap.* x. *pag.* 313. 323. *lib.* III. *cap.* III. *pag.* 423. *& lib.* III. *cap.* XXII. *pag.* 615.

cooperta. Nam sepeliendi apud Judæos consuetudo hæc (1) erat. Ergo qui aderant Judæi, cum mortuum reviviscere, e sepulcro prodire, solutumque abire vidissent, dictis Servatoris Christi fidem adjunxerunt, aliosque ut ad credendum inducerent, curarunt. Pharisæi, qui ex eorum nonnullis quod factum erat, acceperant, negareque nequiverant (erat enim satis exploratum, & Lazarum obiisse, & a mortuis revocatum adhuc vivere, domique agere) diem concilio convocant, & quid facto sit opus inquirunt. Multa a Christo prodigia patrari, affirmant. Ei si docendi libera potestas detur, neminem, qui ei non adhæreat, futurum. Id si fiat periculum fore, ut Romani Judæos suis finibus expellant, provinciamque universam depopulentur. Quamobrem dandam esse operam, ne quid civitas detrimenti capiat. Aguntur omnia turbate. Caiphas erat eo tempore Pontifex Judæorum. Is etsi nesciens, quo spectarent, quæ loqui instituerat, oraculum fudit hujusmodi. Quid cogitarent Patres? An ignorarent utile esse unum hominem pro populo potius mori, quam gentem universam perire? Nam perisset profecto genus humanum, nisi Christus pati pro omnibus voluisset. Igitur de Servatore Dei filio graviter, acerbissimeque decernitur. Profugit ille continuo ex iis locis, seseque Ephremum, quod oppidum prope a deserto

(1) Vide schema apud Bernardum Lamium *lib.* IV. *cap.* XXXVI. *Harm. Evang. pag.* 415. Eodem fere modo veluti fasciis involutum Lazari corpus in sepulcro exhibetur in sarcophagis plerisque veterum Christianorum, sine integumento tamen faciei. Consule Aringhum *Rom. Subterr. lib.* II. *cap.* X. *pag.* 313. 323. 335. *lib.* III. *cap.* III. *pag.* 423. 427. *cap.* XXII. *pag.* 575. 613. 615. & in Picturis *ibid. lib.* III. *cap.* XXII. *pag.* 565. *Tom.* I. *&* II. *pag.* 25. 59. 67. 87. 101. 107. 109. 121. 183. 205. 269. 329. 331. Ejus rei exemplum proferre hoc loco volui, quod relatum etiam ab Aringho fuit *lib.* VI. *c.* XI. *pag.* 541. & a Bottario *Pitt. e Scult. della Rom. Sotterr. tav.* L. *pag.* 8.



deserto aberat, confert. Interea cum Pascha instaret, multique Hierosolymam dies festos celebraturi contenderent, Pontifices, atque Pharisæi, exploratores constituerunt, qui ubi nam ille esset cognoscerent, & ad se deferrent. Curaturos enim se, ut ille in eorum potestatem transferetur. Frequentes præterea in templum conveniebant, cumque in Jesum nemo incideret, mirabantur quam ob caussam Pascha celebraturus minime venisset. Ille sexto ante Pascha die Bethaniam rediit, & apud Martham una cum Lazaro cœnavit. Quo tempore Maria Marthæ Soror, de qua supra dictum est, vas unguenti spicati pretiosi plenum deferens, accessit, fractoque vase, unguento caput Christi perfudit. Quæ res indicium futuræ mortis, ac sepulturæ Servatoris fuit. Tanta autem erant perfidia Judæi, ut quod erat manifestum indicium veritatis (1) doctrinæ, & divinitatis Christi, hoc etiam tollere (2) constituerint. Ægre enim ferebant Lazarum vivere, propterea quod vita, quæ ei esset singulari prodigio restituta, multos, ut partibus Christi studerent, impelleret.

Præterea in fundis vitreorum vasculorum idem prodigium exprimi majores nostri curarunt. Vide Bonarrotium *osserv. sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure. Tav.* VII: *n.* 1. 2. & 3. *Tav.* XXVIII. *num.* 2. Boldettum *osserv. sopra i Cimit. lib.* 1. *cap.* XXXIX. *tav.* III. *num.* 5. *pag.* 194. estque eorum similis vitri Musei Victorii figura, quam dedit Eques Franciscus Victorius *Opusc. de* VII. *Dormient. pag.* 30. & quam hic exhiberi curavi.



Vide Johann. Jacobi Chifletii *Crisim historicam de Linteis Christi sepulcral.*

(1) Vide Origenem *lib.* II. *contra Celsum num.* XLVIII. *pag.* 422.

(2) Johann. *cap.* XII. *Evang. v.* 18. *& seqq.* Vide Justinum Martyrem *Dial. cum Tryph. n.* LIII. *pag.* 148. *edit. Mon. S. Mauri.*

§. IV.

I. *De consiliis Judæorum adversus Christum initis*. II. *De extremo Paschate*. III. *De cruciatibus*. IV. *morte*. V. *& reditu e mortuis*. VI. *ascensuque in Cælum Servatoris nostri Jesu Christi*. VII. *& de propagatione Christianæ religionis in Palæstina*.

I. POstero die cum Bethphage ad montem Olivarum pervenisset, Apostolos ad se duos vocavit, eisque ut ad proximum vicum se conferrent, utque pullum asinæ, quem invenissent, solverent, atque ad se (1) adducerent, præcepit. Quod si quisquam ex eis, quid agerent, quæsisset, Dominum & pullo, & asina indigere dicerent. Apostoli quod imperatum erat, fecerunt. Jesus asello vestimenta Apostolorum imponi jussit, in eoque sedens Hierosolymam contendit. Quo facto oraculum implevit, quod sic habebat: *Noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ*. Id ubi elatum in populum est, Judæi maximo numero ei obviam processerunt, ramisque arborum cæsis, atque in terram projectis viam illi, qua transiret, pararunt. Summo igitur cum honore (2) exceptus, & Davidis filius, rexque a populo vocatus, prope cum Jesus urbem accessisset, flevit, civitatique prædixit fore aliquando tempus, ut ea celeriter circumducto ab hostibus vallo, & magnitudine operum, quæ neque (3) vidissent ante Judæi, neque audissent, obsideretur, ac tandem funditus concideret, quod liberatorem generis.

(1) De ratione cur asinæ insidere Christus voluerit, & cur Prophetæ hoc de Messia prædixerint, agit Serlokius Bangoriensis singulari opere anglice edito, sed multa ie Auctor suo arbitratu miscet, quæ mihi ne verisimilia quidem videantur. In Sarcophagis effossis e cœmeteriis Urbis sæpe Christi asinæ pullo insidentis Hierosolymam ingressus exhibetur. Adeundus Aringhus *lib. II. cap. x. pag.* 329. 331. & *lib. IV. cap. XXV. pag.* 159. 161.

(2) Hosanna autem clamabat populus; de qua voce extat Mat. Dan. Winzerni *Dissertatio inserta Tom. II. Thesaur. Theol. Philolog. edit. an.* 1702. *pag.* 164. *& seqq.*

(3) Lucæ *cap. XIX. v.* 28. *& seqq.* Insigne hoc est testimonium propheticæ virtutis, ac Divinitatis Christi. Sapienter Origenes *lib. II. contra Celsum num. XIII. & seq. pag.* 400. *Tom. I. opp. edit. Mon. S. Maure*. „ Præterea, *inquit*, cogitet Celsi Judæus ille, qui negat, Jesum prævidisse, quæ „ sibi eventura essent, quo pacto Jesus, dum adhuc Jerusalem staret, & totus religionis Judaicæ cul- „ tus in ea consisteret, prædixerit, quæ illi urbi a Romanis mala impenderent. Nec enim dici potest, „ Jesu familiares, & auditores sine scriptis doctrinam in Evangeliis descriptam tradidisse, & nihil lit- „ terarum suis discipulis reliquisse, unde res ab illo gestas discerent. Atqui in iis scriptis hoc legitur: „ *Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem &c.* Tunc nullus exercitus Jerusalem circumda- „ bat .... Hoc enim fieri cœptum sub Nerone duravit ad Vespasiani tempora, cujus Vespasiani filius Ti- „ tus

neris humani cognoscere, Messiæque loco habere renuisset. In urbem (1) ingressus, cum Patris voce coram Ethnicis quibusdam, qui ad Hebræorum sacra transierant, magnaque Judæorum multitudine celebratus fuisset, & Pharisæorum, atque Pontificum temeritatem repressisset, propositis parabolis de duobus filiis, uno, qui resipuerat, altero qui parere patri nolebat, deque agricolis, qui heri filium interemerant, & de nuptiis, ad quas qui primi omnium vocati essent, non venerant; tum interrogatus ab inimicis, qui ejus circumveniendi caussa venerant, Cæsari ne tributum pendere liceret; primum sibi ut nummum census (2) ostenderent, postulavit. Deinde quam imaginem, quamque inscriptionem præferret, quæsivit. Ubi illi, Cæsaris imaginem, responderunt, tum ipse, *reddite igitur*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt Deo*. Ergo spe illius accusandi dejecti Sadducæos, de quo factionis genere supra memoratum est, summiserunt, qui nuptiæ ne ullæ essent in resurrectione futuræ, quærerent. His quoque scripturarum auctoritate silere coactis, experiri rursum Pharisæi voluerunt, si forte illum implicare possent proposita quæstione de maximo præcepto, quod lege contineretur. Hac item re ita explicata, ut Pharisæi, ne mutire quidem auderent, Christus se Dei filium esse Prophetarum oraculis demonstravit, inque eos, qui se interrogassent, quod superbi, quod simulatores, quod improbis denique moribus essent, gravissime, acerbissimeque (3) dixit, atque egressus e templo, rogatusque a discipulis, ut structuram, ornatumque ejus ædis contemplaretur, futurum esse tempus respondit, quo sic ea destrui, evertique deberet, ut minime esset *lapis super lapidem relinquendus*. Post in montem Olivarum proficisci statuit. Eo cum pervenisset, consedit, accitisque Apostolis, quos illi cruciatus pro-

 pter

" tus solo æquavit Jerusalem. Quod quidem narrat Josephus accidisse propter Jacobum Justum fra-
" trem Jesu, qui dicebatur Christus: ut autem veritas ipsa clamat, propter Jesum illum Christum
" qui Dei filius est. Vide egregium opus Houtevillei *supra cit. de la Verité de la Relig. Chrét. Prouvée par le faits*, *edit. Paris.* 1722. aliosque, qui contra Judæos scripserunt, quorum catalogum texuit J. Alb. Fabricius *de verit. Relig. Christ. cap.* xxx. *& seq.* quorum plerique de hoc argumento disseruit.

(1) Joh. *cap.* xii. *v.* 20. *& seqq.*

(2) Matth. *cap.* xxii. *v.* 15. *& seqq.* Marc. *cap.* xii. *v.* 13. *& seq.* Luc. *cap.* xx. *v.* 20. *& seqq.* Extat M. Johannis Schulini *de Numismate Census diss. inserta Tom.* ii. *dissert. Philol. Theol. pag.* 167. *& seqq. edit. an.* 1702.

(3) Matth. *cap.* xxiii. Marc. *cap.* xii. Luc. *cap.* xx. *& seq.* Extat Johannis Friderici Mengii *de argumento, quo Christus Resurrectionem mortuorum adversus Sadducæos propugnavit*, *dissertatio T.* ii. *Thesaur. Philol. Theol. pag.* 255. *edit. an.* 1732. & Johannis Christ. Rostevscheri *dissert. de Sepulcris calce notatis*, quo nomine Pharisæos Christus vocavit, *Tom.* ii. *Theologico-Philol. pag.* 170. *edit. an.* 1702.

pter ſe perpeti deberent, & quæ civitati Judæorum calamitas impenderet; ſignificavit, indiciaque dedit, quibus quo tempore illa proxima eſſet futura, cognoſcerent. Tunc omnibus graviter commonefactis, ut vigilarent, parabolas decem virginum, (1) quinque prudentum, totidemque fatuarum, & talentorum expoſuit, & quemadmodum qui bonis moribus vixiſſent, quæ meruiſſent præmia, expectare, quique improbi fuiſſent, ſempiternis ſuppliciis cruciari deberent, declaravit.

Dum hæc in monte Olivarum gerebantur, Principes Sacerdotum, & Scribæ, quibus dolis capere, atque interficere Chriſtum poſſent, quærebant. Non enim palam quidquam agere audebant, propterea quod plebem timerent, quam Jeſu partibus ſtudere arbitrabantur. Itaque in atrium Caiphæ Pontificis conveniunt, quidque ad rem perficiendam uſui eſſe poſſit, deliberant. Id ne die feſto quiſquam (2) conetur, cavent. Periculum enim fore, ne ipſi populi tumultu opprimantur. Inſtabat dies feſtus Azymorum, quo agnum occidere, & paſcha celebrare oporteret. Interim Judas Iſcariotes, quem ſupra demonſtratum eſt, dictum a Chriſto Apoſtolum fuiſſe, maleficio diaboli, pecuniæque cupiditate incitatus ad Principes Sacerdotum ſe confert, ab eiſque petit, quantum ſibi pecuniæ, ſi magiſtrum in eorum poteſtatem tranſdat, polliceantur. Illi hac oratione alacriores facti, id ſi ejus opera accidat, ei ſe argenteos triginta daturos promittunt. Judas accepta conditione, ad Chriſtum redit, occaſionemque rei ſine tumultu populi gerendæ expectat.

II. Jam advenerat dies, qua (3) omnino agnum occidi neceſſe erat. Ergo Apoſtoli ad Magiſtrum (4) accedunt, exque illo, ubi nam ſibi parari Paſcha præcipiat, percunctantur. Chriſtus quo ſit illis eundum, & quo in cœnaculo parandum, docet. His acceptis mandatis Petrus, & Johannes Hieroſolymam petunt, reque adminiſtrata ad magiſtrum revertuntur, qui ſub veſperum cum ceteris diſci-

(1) Matth. *cap.* xxv. *v.* 1. *& ſeqq.* Veteres Chriſtiani quinque prudentes virgines ſculpturis, & picturis repræhesentari curabant, ut videre licet apud *Aringhum Tom.* II. *pag.* 299.

(2) Matth. *cap.* xxvi. *v.* 1. *& ſeqq.* Marc. *cap.* xiv. *v.* 1. *& ſeqq* Luc. *cap.* xxii. *v.* 1. *& ſeqq.*

(3) Hæc anno, ut noſtra fert opinio, æræ vulg. xxx. contigerunt. Vide T. Vincentii Moneliæ O.P. viri eruditiſſimi *diſſert. de Annis Chriſti*. Scio eſſe pleroſque, qui contra ſentiunt, quorum opiniones varias recenſet Marius Lupius Canonicus *Bergomas diſſert.* 1. *de Notis Chronolog. ann. Mort. & Nativit. D. N. J. C. edit. Rom. an.*1744. *pag.* 12. *& ſeq.* Is tamen veterem nonnullorum de morte Chriſti *duobus Geminis Coſſ.* ſententiam conſectatur.

(4) Matth. *cap.* xxvi. *v.* 17. *& ſeqq.* Marc. *cap.* xiv. *v.* 12. *& ſeqq.* Luc. *cap.* xxii. *v.* 7. *& ſeqq.*

diſcipulis in urbem deſcendit, atque ubi diſcubuit, paſcha (1) celebrat, Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, ortamque inter diſcipulos, poſteaquam illorum pedes lavit (2), de principatu (3) contentionem ſedat, & quis ſuus ſit proditor futurus, & ut ſit a Petro (4) *negandus* prædicit. Habita de ſe ipſo (5), de patre, de caritate, de precibus, de ſpiritu Paracleto ab ſe immittendo, de ſuo diſceſſu longa oratione; in mundum acriter invehitur, quod ſe neglexiſſet, multiſque verbis Apoſtolos, ut ne timeant, utque bono ſint animo, hortatur. Poſtremo Patrem, ſeſe ut celebrari faciat, orat, utque Apoſtolis, ac ceteris omnibus auxiliari velit, quo ſeſe mutuo ament, ſintque perfecti.

III. Eodem tempore Judas ad Principes Sacerdotum ſeceſſit, ab eiſque petiit, ſibi ut miniſtros concederent, quibus adjutoribus ſceleris uteretur. Chriſtus, qui diu ante, quod tunc erat futurum, proſpexerat (6), Hieroſolymis egreſſus, in hortum Gethſemani una cum diſcipulis venit, hiſque ut ſederent, utque ſe morarentur, juſſit. His relictis Petrum, & Jacobum, & Johannem ſecum in locum, ubi ſibi eſſet orandum duxit. Quo cum perveniſſent, eis quanto ipſe in mœrore, ac triſtitia verſaretur, quibuſque anguſtiis premeretur propoſuit, auctorque fuit, ut ſe ſuſtinere, atque vigilare paullulum ſecum vellent. Profectus deinde longius, ſe in terram projecit, & Patrem obſecravit, ut ab ſe, ſi fieri ejus voluntate poſſet, calicem illum (calicis autem nomine cruciatus, doloreſque ſignificabat) averteret: Namque optare ſe, ut non quæ ipſe, ſed quæ Pater vellet, perficerentur. Id cum ter feciſſet, atque ad diſcipulos rediſſet, & eos ſomno indulgere comperiſſet, queſtus leviter, quod ne brevi quidem ſpatio vigilias ſecum agere curaſſent, hortatus eos etiam, atque etiam fuit, ut niſi circumveniri, vincique ab hoſte vellent, expergiſcerentur, Deumque, ſibi ut auxilio eſſet, orarent. Atque in ejus animo tanta facta eſt doloris acceſſio, ut antequam ad diſcipulos revertiſſet, cum proſtratus ad multum tempus orationem produceret, loco ſudoris ex ejus corpore

(1) Id vero oſtendam in eo libro, qui erit de *Ritibus* adhiberi ſolitis in conſecratione, adminiſtrationeque *Sacram. Euchariſt.* ubi de *pane Azymo* diſſeram.
(2) Johann. *cap.* XIII. *v.* 1. *& ſeqq.*
(3) Luc. *cap.* XXII. *v.* 24. *& ſeqq.*
(4) Matth. *cap.* XXVI. Marc. *cap.* XIV. Luc. *cap.* XXII. Johann. *cap.* XIII.
(5) Johann. *cap.* XIV. *& ſeqq.*
(6) Johann. *cap.* XVIII. Luc. *cap.* XXVI. Marc. *cap.* XIV. Matth. *cap.* XXVI.

pore sanguinis guttæ (1) manarent, utque rivi in terram deciderent. Postremo surrexit, Apostolosque conveniens, primum eos reprehendit, quod somno seipsos opprimi siverint, tum ut surgerent, atque ut se sequerentur, imperavit. Dum ille hæc loquebatur, Judas, atque ministri Principum Sacerdotum, & milites venerunt, & quis Jesus Nazarenus esset, quæsierunt. Ubi Christus se ipsum esse, quem ad necem quærebant, respondit, pedem referre, atque in terram cadere coacti sunt. Sed iterum interrogati quem peterent, cum *Jesum Nazarenum* respondissent, tum ille summa animi fortitudine, dixi, inquit, vobis eum esse me. Ergo si mei opprimendi caussa venistis, discipulis ut potestatem libere abeundi faciatis, volo. Itaque cohors, atque ministri in Christum irruerunt, comprehensumque arctius, ne profugeret, retinuerunt. Quare perterriti Apostoli fuga sibi salutem petierunt. Interea milites, ministrique Principum Jesum ligarunt, primumque ad Annam, qui socer Caiphæ Pontificis erat, deinde ad Caipham, in cujus ædes omnes Sacerdotes, Scribæ, & Senatores concurrerant, duxerunt. Petrus, qui magistrum summopere diligebat, etsi fugerat, tamen post consilium eum a longe sequendi cæpit, ut quem exitum res esset habitura cognosceret. Quod ipsum discipulus alter fecit, quem plerique Johannem esse putant, quique introduci in atrium una cum Jesu, propterea quod notus Pontifici esset, obtinuit, paulloque post effecit, ut Petro quoque eodem ingredi liceret. Is Petrus cum interrogatus fuisset, discipulus ne Jesu Christi esset, idque ter negasset, revocassetque deinceps in memoriam, quæ sibi prædicta a magistro hac de re fuerant (2), incredibili dolore affectus, detestansque facinus, quod admisisset, ex atrio egressus est, & magno fletu Christo satisfecit, sibique ut ab eo parceretur, impetravit. Ex eo cum Caiphas petiisset, quam doctrinam pro-

(1) Vide Augustini Calmetii Dissertationem *de Sudore Sanguinis Jesu Christi in Horto Olivarum ad Luc. cap.* XXII. *v.* 43. *& seq.*

(2) Christiani veteres cum Galli cantu Petrum in se redisse, revocasseque in memoriam, quæ sibi essent a Christo prædicta, ac pœnitentiam egisse in Evangeliis legissent, in sarcophagis & galli figuram, & Petri insculpi curarunt, ut memoria tenerent, quæ Principi Apostolorum contigerant, sibique ejus exemplo caverent. Vide Aringhum *Tom.* I. *lib.* II. *cap.* X. *pag.* 319. & *lib.* IV. *cap.* XXVII. *pag.* 297. 399. *&* 613. *Sed* de Galli cantu pluribus agunt interpretes. At Castus Innocens Ansaldus Ord. Præd. Vir ceteroqui eruditus *Galli cantu* clangorem forensis buccinæ intelligi fortasse oportere statuit in eo commentario, quem *de forensi Judæorum Buccina edidit Brixiæ an.* 1745. Id vero quemadmodum efficere invitis antiquis, novisque fere omnibus possit, qui de hoc genere argumenti disseruerunt, ipse viderit. Extat Hadriani Relandi *de Galli cantu Hierosol. audito oratio.*

probaret, quibusque discipulis uteretur (1), hoc retulit responsum. Christum palam fuisse omnia loquutum. Igitur ne ipsum interrogaret. Quæreret ex eis, qui adfuissent, atque docentem in templo, & in synagogis sæpe audissent. Principes Sacerdotum, cum nihil interrogando proficere se posse confiderent, accusatores, qui aliquid mentirentur, quærebant, quo saltem calumnia innocentem circumvenire, ac perdere tandem possent. Inventi tunc multi fuerunt, qui plura falso adversus eum testificari non vererentur. Sed quoniam eorum inter se testimonia pugnabant, Judæis obstaculo erant, quo minus his ad ejus perniciem uterentur. Pontifex ubi se diutius duci, & mane instare intellexit, uti rem celeriter expediret, a Christo quæsivit, ut ipse ne Dei filius esset, diceret. Hic nulla verborum circuitione usus, ipsum se esse respondit, ac fore adjunxit, ut omnes ad dexteram Dei sedere se, atque in *nubibus cæli* venire cernerent. Quæ res Caipham vehementer commovit, & quid opus est testibus? inquit. Deum affecit contumelia. Ipsi per vos audistis, Patres. Inde sententias exquirere cœpit. Ut quisque acerbissime, crudelissimeque dixit, ministri qui aderant, convitio Christum insectari, expuere, cædere, indignisque modis ludificari aggrediuntur. Erat hæc apud Judæos consuetudo, ut quem Pseudoprophetam esse putarent, hunc nisi lata ab Synedrio Magno sententia (2), capitis nunquam condemnandum esse statuerent. Itaque mane (3) primarii Sacerdotes, Senioresque populi concilium convocant. Congregati in ea parte templi, quæ habendo Synedrio destinata erat, Jesum ad se adduci jubent, ex eoque eadem fere atque Caiphas quæsierat, percuntantur. Cum ille similia eorum, quæ ante dixerat, respondisset, damnatur, & vinctus ad Pontium Pilatum Procuratorem Cæsaris trahitur. Quod ut Judas Iscariotes audivit, secum cogitans, quam gra-

ve

(1) Edidit M. Georg. Jer. Hofmannus: *Processus criminalis Synedrii Magni adversus Salvatorem ad Judæorum leges exactis ἀνομαλίαν ad Matth.* xxvii. *&c.* Quo quidem opusculo vir alioqui de numero Protestantium, ostendit omnia impie ab Judæis in concilio fuisse contra Reparatorem generis humani facta, quod odio, ac malevolentia ducerentur. Extat *Tom.* II. *Diss. Philol. Theolog. pag.* 216. *edit. an.* 1702. In nonnullis sarcophagis effossis e cœmeteriis Urbis exhibetur Christus adstans, & Caiphas Pontifex sedens, eumque judicans. Vide *Aringhum T.* II. *pag.* 395.

(2) Vide Bernardum Laminm *lib.* v. *cap.* xxx. *concord. Evang.* Multa in hanc rem Johannes Seldenus Anglus *lib.* III. *de Synedriis Hebræorum cap.* vi. Sed ea sententia ab Synedrio tunc temporis lata vim nullam, efficacitatemque habebat, cum penes Procuratorem jus vitæ, & necis esset, ut recte animadvertit Christianus Thomasius *Disputatione Jurid. de injusto Pontii Pilati judicio* § 60. Multa quoque in hanc rem disputat Daniel Maphanasius *confut. dissert. perquam scandalosæ Stelleri &c. cap.* vii. *& seqq.*

(3) Matth. *cap.* xxvii. *v.* 1. *seqq.* Marc. *cap.* xv. *v.* 1. *seqq.* Lucas *cap.* xxii. *v.* 66. *& seqq.*

ve scelus perpetrasset, pœnitentiaque (1) ductus, Principes Sacerdotum, Senioresque Populi adit, projectisque argenteis, quos ab ipsis acceperat, peccasse fatetur se, quod innocentem sanguinem prodidisset; deinde a malo dæmone agitatus, ac de salute desperans abit, suumque laqueo collum (2) suspendit. Principes Sacerdotum, Senioresque rati pretium (3) sanguinis converti in alios usus non posse, ea pecunia agrum emerunt, in quo peregrinorum corpora sepelirent, & *Haceldama*, hoc est *agrum sanguinis* vocarunt. Quo facto Zachariæ oraculum perfectum est, quod sic habebat: *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis hominum, & dederunt eos in agrum figuli.*

Igitur Procurator (4) ab Judæis petit, quid caussæ sit, cur Jesum ad se vinctum adduxerint. Illi malefactorem esse clamant. Sancitam vero legem esse a Mose, quæ malefactores ejusmodi statuat interfici oportere. Pilatus ni accusent, eum ut abducant, utque ex Mosaicæ legis præscripto interficiant, dicit; se namque nihil simile, incognita hominis caussa, facturum. Tum demum Judæi Pilati verbis inducti, quod antea (quia falsum erat) tacuerant, proponunt: Jesum seditiosa, atque improba oratione populum seducere, multitudinemque deterrere, ne tributum Cæsari pendat. Hoc verum addunt, ipsum se Christum regem esse affirmare. Pilatus priusquam quidquam conetur, in Prætorium (5) intrat. Quærit

(1) Extat Johannis Francisci Buddei Lutherani *de Juda Evangelicæ veritatis teste erudita Dissertatio edit. an.* 1725. *pag.* 114. & Marci Georg. Schwartzenli *differt. de pretio, quo Servator noster æstimatus ad Matth. cap* XXVII. *v.* 9. 10. *Tom.* II. *Thesaur. Theolog. Philolog. pag.* 210. *& seqq.*

(2) De genere mortis Judæ videndi interpretes Evangeliorum *ad Act.* 1. 18. Extant præterea eruditorumquorumdam Protestantium Dissertationes de eodem argumento, ut Andreæ Austeni *Tom.* II. *differt. Philolog. Theolog. pag.* 410. *& seqq. edit. an.* 1702. & Johannis Varneccii *T.* II. *diss. Philol. Theol. pag.* 304. *edit. an.* 1732.

(3) De *Agro Sanguinis* disputat singulari dissertatione Christophorus Schlegelius homo de numero Protestantium *Tom.* II. *Thes. Philol. Theol. pag.* 309. *& seqq.* ut & *de Haak-ldama* Franciscus Woergerius ex eadem secta vir *Tom.* II. *Thes. Phil. Theol. pag.* 224. *edit. an.* 1702.

(4) Lapsi sunt, qui Syriæ Præsidem Pilatum fuisse censuerunt. Judæam enim tantum moderabatur Tiberii nomine. Atque non Præses proprie, sed Procurator in Judæa fuit. De qua re videndi Interpretes Evangeliorum, & ex Antiquis Tacitus Annalium *l.* XV. *c.* XLIV. XLV. Ac Josephus ἐπιτρόπους Judææ appellat, quæ vox *Procuratores* significat. Non discrepat Philo Judæus *lib. de legat.* ad Cajum. Consule Norisium Cenotaph. Pisan. *diss.* II. *p.* 290. *edit. an.* 1681. Sed etsi Procurator Pilatus erat, tamen quasi Præses esset, in Judæos vitæ, necisque habebat potestatem. Ac de Pilati munere agunt Daniel Maphanasius *confutat. Dissertationis perquam scandalosæ Johannis Stelleri cap.* IV. *edit. Lips. an.* 1676.

(5) Etsi omnium una semper sententia de injusto Pontii Pilati judicio fuerit, inveneus tamen sæculo superiore unus aliquis e numero Protestantium fuit, qui ejus Præsidis patrocinium sumeret, edita singulari tractatione, quam: *Pontium Pilatum defensum:* inscribere non dubitavit. Atque in absurdas profecto opiniones incidant necesse est ii, quibus tanta ab suis non cogitandi modo, sed etiam scribendi libertas

Quærit ex Christo num Rex Judæorum sit. Negat ille sibi esse ullum in terra regnum. Nam si esset, ministros suos pugnaturos utique fuisse, ne in potestatem Judæorum veniret. Pilatus quod caussam nullam esse intelligat, ob quam censeat esse condemnandum, foras iterum prodit, Senioribusque nunciat, sibi, ut innocentem puniat, non licere. Accusantibus rursum illis, atque interroganti Pilato Christus nihil respondet. Rursum Præses magistratus, & plebem ad se vocat. Nullam esse rationem docet, quare illum morte afficere debeat. In eadem sententia Herodem versari affirmat. Igitur proponit, ut eum flagris cæsum dimitti patiantur. Cum inanis omnis Præsidis conatus esset, nam Judæi in sententia manebant, optio his datur, utrum Jesum ne, an Barabbam liberum abire (1) velint, ut eligant. Etenim die festo Paschæ ex vetere consuetudine (2) populo unus aliquis liber concedebatur, qui ob scelestum aliquod facinus conjectus in vincula fuisset. Erat autem Barab-

Tom. I. Nn bas

bertas conceditur. *Scio* reprobatum id opus ab Lutheranis fuisse, cautumque a magistratibus, ne quis illud vendere auderet. At hujusmodi leges nihil impediunt, quin majora semper in scribendo peccent, qui opinandi licentiam sibi a natura datam esse arbitrentur. Sed age paucis videamus, quam injuste in eo judicio Pilatus versatus fuerit. Est illud a Cicerone *in Orat. pro Cluent.* observatum: ,, Sapientis ,, judicis esse animadvertere, qua lege reus citatur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione ver- ,, setur ,,. Ac Festus præterea *Act. Apost. cap.* XXV. *v.* 16. ,, Non esse Romanis consuetudinem, *inquit*, ,, damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque ,, defendendi accipiat ad abluenda crimina ,,. Jam vero etsi Pilatus recte ex Judæis quæsivit, quamobrem Christum ad se adduxissent, tamen cum sciret, invidia illos fuisse incitatos ad accusandum, sin minus accusatoribus iis, at testibus saltem uti non debuit. Deinde quamvis Galilæum esse acceperat Christum, cum tamen Pilatu ad Herodem flagitiis, crudelitateque insignem Tetrarcham Galilææ mittere non licuit, cum ipse, non Herodes tunc Judex Christi *competens*, ut ajunt, esset; peccetque graviter, qui innocentem in discrimen mortis adducit, quem liberare & possit, & debeat. Atque periculum sane erat, ne Herodes in Jesum ita, ut in Johannem, animadverteret. Miror autem quid fuerit, quod Josephus Averanius vir alioqui eruditissimus, quod ad hoc caput attinet, excusari Pilatum posse existimarit. *Lez.* IX. *sopra la Pass. di* N. S. G. C. *pag.* 258. *edit. Urbinat. an.* 1738. Tertio autem loco, si Judæis Pilatus permisisset, ut Jesum ipsi judicarent &c., quæ Josephi Averanii *l.c. pag.* 259. sententia est, non declinasset ille quidem peccatum. At idem Averanius secum ipse pugnans *pag.* 271. negat Judæorum Synedrio ullam in cives fuisse vitæ, necisque potestatem; ex qua re sequitur, verba Pilati: *accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum*, serio non esse, sed risu, ac joco pronunciata. Itaque hoc esse crimen tertium Pilati debet, quod Servatorem generis humani, quem esse innocentem dixerat, cum Barabba seditioso, latrone, atque homicida comparaverit. Nam quartum illud est, quod eumdem Jesum Dei filium flagris cædi præceperit. Postremum autem, atque gravissimum, quod judicando decrevit, Christum, ita ut Judæi postulabant, cruci esse affigendum. Sed ne plura persequar & magnitudo notationum, & brevitas temporis prohibet. Functi tamen hoc munere sunt Christianus Thomasius, & Maphanasius locis supra indicatis.

(1) Erit fortasse, qui Pilatum excuset, quod Christum cum Barabba comparaverit, non ut eum injuria afficeret, sed ut dimitteret, si posset. Sed quam contemtim ille Christum exceperit, constat ex serie *Historiæ Passionis*. Non nego eo etiam consilio idipsum tentasse Pilatum. Sed unius rei plures esse fines possunt, ut recte animadvertit Thomasius *ibid.* §. 36. Plura in hanc rem disputat Maphanasius *cap.* XIV. modo laudatæ Dissertationis. Interea Pilatus confitens, Christum esse innocentem, Evangelicam veritatem testificatus est. *De Pilato autem Evang. verit. teste extat medit.* J. F. Buddei.


(2) Extat singularis Dissertatio Johannis Conradi Hottingeri inscripta: *De ritu dimittendi reum in festo Paschatis*, editaque est Tigurinis Typis *an.* 1718.


bas latro, qui seditionem concitarat, actusque homicidii reus fuerat. Illi Barabbam se malle, quam Christum dimitti, clamant. Nam hunc cruci affigendum esse contendunt. Hoc ni Præses fecerit, sciat se Cæsaris inimicum futurum. Præses his verbis (1) perterrefactus, etsi ante manus (2) lavarat, seque conspirare in necem illius, quem bonum esse perspiciebat, negaverat, tamen in animum induxit, ut petenti populo satisfaceret. Itaque Barabbæ abeundi facultatem fecit, & Jesum flagris cædi, transdique in Judæorum potestatem, & cruci affigi, jussit. Nam flagris cædi primum (3) consuerant, qui crucis erant supplicio plectendi. Igitur ubi lictores in Christum acriter flagris sævierunt, milites suis eum vestibus spo-

(1) Verum is terror excusare a peccato Pilatum nequit. Primo, quod vanæ populi voces audiendæ non sint. Nam docendus populus ab eo, qui primas in civitate teneat est, non sequendus. Ac si sponte assentiri nolit, tum adhibenda est pœna; id quod factum alias a Pilato fuit, ut scribit Josephus *lib.* XVIII. *c.* III. *Antiq. p.* 875. *& seq. edit. Havere. T.* I. Quare si neglexit in hac re, quod & poterat, & alio tempore impune fecerat; culpa non vacavit. Nam quod ab Cæsare Tiberio crudeli imprimis, ac suspicioso metueret, minui quidem aliquanto gravitas ejus peccati potuit, tolli omnino peccatum, purgarique non potuit; quod innocentem opprimere, damnareque, cujus sit cognita innocentia, gravissimum peccatum sit, etiamsi ad eum opprimendum non populi modo, sed etiam judicem Principis terror impulerit. Vide Maphanasium *ibid cap.* XVII.

(2) Extat M. Johann. Adami Konigii *dissert. de ritu lavandi manus, ad Matth. cap.* XXVII. *inserta Tom.* II. *Thesaur. Theol. Philol. edit. an.* 1702. Inanis autem hæc Pilati purgatio fuit, ut qui innocentem se esse ab ejus sanguine dictitaret, cui ut Lucas ait, ἐπέκρινε *judicando decrevit* faciendum esse, quod Judæi petebant. Vide Maphanasium *l. c. cap.* XVIII. quod inscribitur: *De vana purgatione Pilati per ablutionem manuum* & Thomasium. §. 72. In pluribus Sarcophagis in cœmeteriis Urbis repertis Pilatus cernitur lavans manus. Ei autem Christus adstans exhibetur ut reus. Vide Aringhum *lib.* I. *cap.* X. *pag.* 277. 299. 317. 321. *Rom. Subterran.* Nobis autem referre hoc loco placuit Ectypum Sarcophagi reperti in cœmeterio Vaticano, quod Aringhus exhibet *pag.* 295. In eo enim repræsentatur introitus triumphalis Christi in urbem Hierosolymam; deinde Zachæus in sycomoro; tertio loco Christus medius inter Petrum, & Paulum monticulo insistens, e quo flumina quatuor Paradisi egrediuntur; quarto Dominus inter lictores; quinto Pilatus manus lavans, ut se a Christi sanguine innocentem esse ostendat. In arcæ operculo exhibentur Nabuchodonosorus Rex coram aurea statua, tresque pueri in fornace ex parte una, ex altera Nativitas Christi, & adventus Magorum. Vetus alter sarcophagus, quem damus, editus est ab Aringho *lib.* III. *cap.* XIII. *pag.* 493. In eo repræsentatur Lazari e mortuis evocati prodigium, Martha flens coram Servatore Christo, hujusque manum exosculans, Petrus Apostolus, cui Christus exprobrare videtur culpam, quam erat admissurus, abnegationis, Moses e manu Dei tabulas legis accipiens, Abrahamus Isaacum filium sacrificaturus, Pilatus manus abluens, testificansque innocentiam Christi, Moses e rupe aquam prodigio educens, Christus ab Judæis vinctus, Daniel in lacu leonum, Moses populo legis volumina exhibens, Zachæus in Sycomoro, Christus videndi facultatem cæco a nativitate concedens, & prodigium de quinque panibus, & duobus piscibus, quibus Christus turbam saturavit.

(3) Hoc magnum etiam Pilati peccatum fuit. Est id autem a Patribus animadversum, quorum testimonia numerat Maphanasius *cap.* XV. Fuerunt, qui flagris cæsum fuisse eo consilio Christum censerent, ut indicaretur eum cruci affigi oportere. Sed quo minus his assentiar, impediunt Lucæ Evangelistæ verba *c.* XXIII. 16. ajentis, Pilatum voluisse flagris in Servatorem nostrum animadvertere, atque eum deinde liberum dimittere. Quamobrem placent mihi, qui Procuratorem statuisse, hoc facinus in Christum admittere, defendunt, ut Judæis aliquid concederet, obtineretque, ut Servatori abire libero liceret. *Thomasius ibid.* §. 38 Negari tamen non potest, quin verbera apud Romanos mortis sæpe indicia essent. Qua de re egregie disputat Josephus Averanius *lect.* I. *de Pass. D. J. pag.* I. *& seqq.* Viros gravissimos, atque in hisce rebus versatos auctores sequutus. Jacobus Hyacinthus Serrius Ord. Præd. Theologus


V
IIII



ſpoliant ; atque amictu purpureo, ut derideant, ornant ; & ferto ſpineo (1) contexto, id illius capiti imponunt, ſceptrique loco arundinem ut teneat, cogunt. His rebus factis ad eum ſinguli ordine accedunt, & flexo genu, colaphis, ſputis, indignis denique modis ludificantur, atque joco regem Judæorum ſalutant. Poſteaquam illudendi finem fecerunt, veſtibus, quibus uti ante ſolebat, induunt, eique crucem imponunt, quam in montem calvariæ deferat, quo in loco perficienda erat redemptio generis humani.

Denique perventum in Golgotha eſt, ubi hora tertia diei actus in crucem fuit (2), utque nihil ſupereſſet, quod ad dedecus,

 irri-

logus *exerc.* xLII. *De Chriſto, ejuſque Matre &c.* ab lictora uno fuiſſe flagris cæſum Chriſtum defendit, eoſque, qui contra ſentiunt, imperitiæ arguit. Rationem ſuæ ſententiæ hanc affert: quod Jeſus Servator Romano more judicatus fuerit, Romanorum autem hæc ſolemnis formula fuerit: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cædito*. Quod de more Romanorum dat, accipio. At more Romane a pluribus lictoribus neminem cædi flagris conſueſſe falſum eſt. Cicero enim in Verrem *ſex lictores valentiſſimos acerrime virgis* innocentem cæcidiſſe ſcribit. Locum adfert Averanius *lez.* II. *pag.* 44. *& ſeqq.* Nam quod formulam, *I lictor*, illa laudet, leve eſt; conſequens enim inde eſſet, a lictore uno fuiſſe Chriſtum affixum cruci. Nam formula illa ſic habebat: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito*. At Johannes *cap.* XIX. Evangelii quatuor eos fuiſſe ſcribit, qui in crucem Servatorem generis humani egerunt. Jam vero τὸ *I lictor &c.* ſic intelligendum eſt. Magiſtratus ſummo lictorum præcipiebat, ut adminiſtris inferioribus lictoribus uſus & cæderet condemnatum, & arbori deinde ſuſpendi curaret. Is ſummus lictor *proximus* ab latinis appellabatur, quod proxime præcedebat magiſtratum. *Liv. lib.* XXIV. *Valer. Max. lib.* II. Nam Græci eum ἀρχιραβδοῦχον nominabant *principem lictorum*. Idem ipſe Serrius acriter in eos invehitur, qui plus quadraginta verbera inflicta Chriſto ab lictoribus fuiſſe pugnant: primo, quod verberum numerus definiri ab judice ſoleret: ſecundo, quod credibile ſit in viro Judæo plectendo habitam fuiſſe legum Judaicarum aliquam rationem, quæ *cap.* XXV. *Deut. v.* 5. præſcriberent, *verbera quadragenarium numerum* excedere non debere. At falſum principio eſt definiri ſemper numerum verberum a magiſtratu conſueſſe. Nam Pro-Legatus ille, cujus Gellius *lib.* X. *cap.* III. meminit, nonne bubulcum Venuſinum ſtruppis, quibus lectica deligata erat, *uſque adeo cædi juſſit, dum animam efflaret*? Non ergo erat a Pro-Legato verberum numerus definitus. Rurſum eruditum a Suetonio in *Nerone* eſt, hunc Imperatorem, cum intellexiſſet eſſe ſe ab ſenatu inimicum populi Romani dictum, quæſiique proinde, ut more majorum pœnam ſcelerum lueret, rogaſſetque, quæ tandem ea pœna eſſet, hoc reſponſum accepiſſe: *Nudi hominis cervicem inſeri furcæ: Corpus virgis ad necem cædi*. Quid? quod Horatius *Epod.* IV. II. de Mena Pompeii Magni liberto loquens canat:

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad faſtidium?

Neque diſcrepant Juriſconſulti, quorum teſtimonia duo numerat Joſephus Averanius *l. c. pag.* 48. Fateor caviſſe Pilatum, ne lictores Chriſtum ad mortem uſque cæderent. At qui flagris cædi ſervi ſolebant, iis plurima verbera infligebantur. Quare ſenex apud Plautum *Captiv. Act.* III. *ſcena* v. *v.* 68. ſervum alloquens, quem atrociter verberari vellet, inquit:

Sexcentoplago nomen indetur tibi.

Cum vero Chriſtus, ut ſervus, cæſus flagris juſſu Pilati fuerit, multis vapulare neceſſe eſt. Cur autem Serrius ad legem Hebræorum confugiat, quo tempore more Romano, atque ut ſervum fuiſſe flagellatum Chriſtum defendit, non video. Sed vide Averanium *lect.* II. mox indicata *per tot*.

(1) E juncis Marinis fuiſſe contextum ſertum, Serrius putat *ibid.* Toletum, Pererium aliosque nonnullos auctores ſequutus. Contra e rhamno factum alii exiſtimant, quorum eſt ſententiam *lect.* III. Joſephus Averanius conſectatus, qui egregie, quod eſt *de Marinis juncis* refellit. Ex frutice alius generis ſpinarum M. Johannes Ern-Mullerus contextam cenſet: *Diſſ. de Spinis Coronæ Chriſti*, inſerta *Theſaur. Theolog. Philolog. pag.* 230 *edit. an.* 1702.

(2) De cruce vide Diſſertationem Bernardi Lamii inſertam *Harm. in* IV. *Evang. pag.* 573. *edit. Pariſ.*

irrisionemque pertineret, medium inter duos latrones item cruci affixos collocarunt, atque nolentes, Isajæ tamen oraculum compleri fecerunt, quod cum iniquis eum esse reputandum ferret. Ille vero cum ulcisci injuriam sibi inlatam nollet, tum Patrem, ut improbis parceret, oravit, propterea quod, quid agerent, nescirent. Quo tempore Principes Sacerdotum, Seniores, milites, latrones, qui acti una in crucem erant, ac multitudo universa, quæ eo, quasi ad spectaculum, confluxerat, Jesum derident, conviciisque insectantur, ludendoque, ut descendat, monent. Tunc enim ei se credituros, atque imperata facturos pollicentur. At latro, cujus a dextera Christi parte crux erat, cum animo collegisset, quæ gesta a Christo fuerant, facti pœnitens, propterea quod illi esset ausus (1) maledicere, socium primum reprehendit, tum Jesum obsecrat, sui ut misereatur, utque in regno cælorum reminisci velit. Jesus hominem consolatus, gratam sibi eam orationem esse ostendit, brevique cum sempiterna gloria ornaturum se esse promittit. Aderat sanctissima ejus mater Maria, quæ incredibili animi dolore correpta multis lacrimis filii, suumque (2) casum lamentabatur. Eam ut Christus aspexit, conversisque oculis Johannem discipulum item lugentem animadvertit, matrem appellat, ac mulier, inquit, hunc (indicat autem Johannem) mei loco pro filio habeto. Rursum Johannem vocat, eique matrem commendat, utque eam veluti parentem

Paris. Averanium *l.c. lect. IV. per tot.* Jacobum Bosium in opere *de Cruce triumphante*, Jacobum Gretserum *in libris V. de Cruce*, & Justum Lipsium *in libris tribus de Cruce*. Extat præterea Georgii Moebii hominis de secta Lutheranorum *dissert. de Crucis supplicio ad Matth.* XXVII. *Tom.* II. *Thesaur. Philolog. Theolog. pag.* 234. *& seqq.* De hora variæ sunt Interpretum sententiæ, ut Marcum cum Johanne componant, quorum alter hora 3. ut Marcus *cap.* XV. *v.* 25. Cruci affixum fuisse, alter ut *Joh. cap.* XIX. *v.* 14. a Pilato hora quasi 6. monstratum fuisse Christum flagellatum, traditumque Judæis scribit. Atque ea quidem opinio mihi videtur esse ad veritatem propensior, quam plerique docti viri tuentur, & quæ Auctori *Commentariorum in Ps.* LXXVII. quæ S. Hieronymo tribuuntur, & Auctori *disputat. de Paschate*, quæ adscribi solet *Petro Alexandrino*, & quam Theophilactus indicat *Comment.* in Johannem, sequiturque Bernardus Lamina *in Harm. in* IV. *Evang. pag.* 590. *edit. Paris.* Non nego tamen verisimilem esse Baronii *ad an.* XXXIV. *num.* 164. quem Maldonatus, Jansenius Gandavensis, aliique consectantur opinionem.. Stephanus Morinus homo de numero Protestantium edidit *singularem Dissertationem de Hora Passionis Christi*, defenditque, Marcum sic uti vocabulis *hora tertia*, ut ais non crucifixionis tempus, sed juridici processus initium indicet. Extant præterea Samuelis Reyeri *de Cruc. Jesu Titul. & hora Cruc. dissert. inserta Tom.* II. *Thesaur. Theol. Philol. pag.* 241. *edit. an.* 1702. & altera Gust. Georgii Zeltneri *de Horologio Johannis Tom.* II. *Thesaur. Philolog. Theolog. edit. an.* 1732. *pag.* 552. *& seqq.*

(1) Ita enim componi posse nonnulli putant, quæ de latronibus ei conviciantibus Evangelistæ Matthæus *cap.* XXVII. & Marcus *cap.* XV. deque uno latrone conviciante, altero orante, ut sui Christus misereretur, Lucas *cap.* XXV. Evangelii tradiderunt. Sunt qui plurali numero a Matthæo, Hebræorum more, qui plurale interdum pro singulari adhibent, unum tantum latronem indicatum fuisse existiment. Quibus equidem non repugno.

(2) Joh. *cap.* XIX. *Evang. v.* 26. *& seqq.*

rentem veneretur, & colat, jubet. Hora jam sexta erat, cum (1) tanta repente obscuritas universum (2) terrarum orbem occupavit, ut noctis tenebras æquare videretur. Ea producta ad horam nonam est, qua quidem hora Jesus (3) syriaco Sermone Deum Patrem suum invocavit, deinde quoniam perfecta omnia esse, quæ Prophetæ tradiderant, perspiciebat, sitire se dixit. Qua re audita, lictor accedit, spongiaque in vas aceto plenum immissa, & arundini superposita, ori Christi admovet, atque ut bibat hortatur. Ubi ergo suxit, perfunctum iis omnibus se, quibus debebat, muneribus affirmat, altaque voce Patri spiritum commendat, & reddit. Quo momento temporis multa prodigia contigerunt. Concussa enim ingenti motu terra (4) fuit. Præterea & velum templi scissum in partes duas, & petræ divisæ, & aperta monumenta ita sunt, ut sancti viri magno (5) numero, qui decesserant, excita-

tia

(1) Matth. *cap.* XXVII. *v.* 45. Marc. *cap.* XV. *v.* 33. Luc. *cap.* XXIII. *cap.* 44.

(2) Jacobus Hyacinth. Serrius non universo terrarum orbi, sed uni Judææ provinciæ tenebras fuisse obductas putat, Origenem antiquum scriptorem, nonnullosque novos, e numero Protestantium auctores sequutus. *Exercit.* LVII. Ego vero ut componi hæc sententia cum Matthæi *cap.* XXVII. & Lucæ *cap.* XXIII. verbis possit, non intelligo. Nam hi *tenebras factas esse super* ὅλην *universam terram* tradiderunt. Vox enim ὅλην ita omnes comprehendit partes, ut nullam excipiat, ut est ab Aristotele in IV. Metaphysicorum *cap.* XXVI. *pag.* 1303. *edit. opp. an.* 1606. *Tom.* II. animadversum: ὅλον λέγεται οὗ μηδὲν ἄπεστι μέρος, ἐξ ὧν λέγεται τὸ ὅλον φύσει. *Totum dicitur, cujus nulla pars eorum abest, ex quibus totum natura dicitur.* Non sum nescius, tam presse non esse verba semper intelligenda, ut summus sit rigor in explicanda dictione. Sed est illud etiam concedendum non esse ea, nisi rerum series postulet, in aliam significationem contorquenda. Atque omnes Evangelistæ ita universæ terræ noctem obductam scribunt, ut nullus eam unius Judææ finibus contentam fuisse prodiderit. Jam vero restringere sensum Evangelistarum proprio arbitratu, ut Serrius facit, non licet. Sed de hac re egregie disputat Josephus Averanius in *laudato Opere de Pass. Christi lect.* VI. *& seqq.* Eodemque munere functus est Petrus Daniel Huetius Episcopus Abrincensis *Dem. Evang. pag.* 42. *edit. Paris.* A quo non discrepat Dominicus de Colonia *in opere supra laudato*. Atque hi omnes locum Phlegontis de Eclipsi, quæ sub Tiberio contigerit, Julio Africano, Eusebio, aliisque memoratam, a tenebris, quæ moriente Christo universam terram obscurarunt, censent minime differre. De quo quidem loco in utramque partem disceptatum inter Arturum Sikesium, & J. Wistonum an. 1732. & 1733. in Anglia est, Sikesio negante, ajente vero Wistono. Atque anglice scripti Wistoniani operis hæc est inscriptio: *Testimonium Phlegontis defensum, seu relatio tenebrarum, & terræmotus tempore mortis Christi a Phlegonte tradita &c. Lond.* 1702. Alterum opus vulgavit an. 1733. inscriptum: *Epistola ad Sikesium, qua evincitur testimonium Phlegontis eas tenebras indicare, quæ moriente Christo contigerunt.* Ac præter Sikesium fuerunt ante, qui negarent Phlegontem de tenebris, quæ moriente Christo contigerunt, loqui; ut Keplerus, & Vossius, quos citat Huetius *loc. cit.*

(3) Vide Bernardum Lamium, reliquosque interpretes in *capp.* mox indicata *Matth. Marc. Luc. & Joh.* Extat Johannis Frischmuthi *de Flebili Messiæ Gemitu Eli Eli ad Matth. cap.* XXVII. *Dissertatio* inserta *Tom.* II. *Thesauri Theol. Philol. pag.* 247. *edit. an.* 1702. Quæ vero tempore Passionis Christi contigerunt, etsi nonnullis animadversionibus, quæ a vero abhorreant, pluribus tamen etiam, quæ veræ sint, illustrare conatus est Johan. *Gerard. Vossius Harmoniæ Evangelicæ, de Dominica Passione, Morte, Resurrectione, & Ascensione libris tribus.*

(4) Gaspar Posnerus edidit *de singularibus, ac mirandis quibusdam, quæ morte Christi in natura acciderunt dissertationem* insertam *Tom.* II. *Thesaur. Philol. Theol. edit. an.* 1732. *pag.* 396. *& seqq.*

(5) Vide Augustini Calmetii *dissertationem de Resurrect. SS. Patrum, quo tempore Christus rediit ad vitam, ad Matth.* XXVII.

ti a mortuis fuerint, multiſque apparuerint, qui Hieroſolymis verſarentur. Itaque centurio, & qui præſto erant milites, Judæique hiſce miraculis perterrefacti, vere filium Dei illum eſſe confeſſi ſunt, & pectora percutientes, in ſuas quique domos reverterunt. Jam vero diſcipuli, & conſanguinei Chriſti, atque mulieres, quæ una cum eo in Judæam venerant, procul conſtiterant, ut quem res exitum eſſet habitura cognoſcerent. Sed Judæi, qui legem contemſerant, dieque feſto in crucem agi Chriſtum curaverant, ne rurſum in ea, quæ a Moſe conſtituta eſſent, peccare velle viderentur, Pilatum conveniunt, rogantque, ut crura eorum, qui ſuſpenſi erant, frangi, eoſque hoc modo interfici, & inde eorum corpora tolli jubeat. Sabbatum namque inſtare. Sanctum autem lege eſſe, ut ne cadavera in cruce eo die manere ſuſpenſa poſſint. Qua re facile impetrata, lictores in Golgotha mittunt, qui fractis latronum cruribus, ad crucem Chriſti accedunt, cumque animadverterint, eum mortali hac vita functum eſſe, ab ejus cruribus frangendis abſtinent. Ac miles (1), cui in vivum ſævire ſatis non fuerat, lanceam arripuit, & mortui latere confoſſo, effecit, ut ſanguis inde, atque aqua (2) manaret.

Agebat tunc Hieroſolymis Joſephus ab Arimathea Decurio, vir nobilis imprimis, qui etſi clam, quod ab Judæis metueret, Chriſti tamen, cui ſe in diſciplinam tradiderat, partibus ſtudebat. Is ubi intellexit magiſtrum deceſſiſſe, ad Pilatum adiit rogatum, ſibi ut mortui corpus concederet. Hoc cum facile obtinuiſſet, ad ſupplicii locum venit, & corpore e cruce ſublato hoc ſindone cum aromatibus involutum, linteiſque ligatum in novo ſepulcro, quod in ſaxo exciderat, condidit (3).

Principes Sacerdotum, & Phariſæi cum memoria tenerent, quod ſæpe ac multum Chriſtus prædixerat, fore ut e mortuis excitaretur, Præſidem conveniunt, exque eo petunt, ut ſepulcrum obſignari præcipiat, ne diſcipuli ſuperveniant, corpuſque ſurripiant, eum-

(1) Conſulendi Interpretes *in cap. xix. Johannis*. Extant C. Sagittarii *de Lancea qua perfoſſum Chriſti latus*, & Joh. Chr. Ritteri *de aqua ex Chriſti latere fluente Diſſertationes*, in quibus, ut quæ ſint a Proteſtantibus ſcriptæ, etſi ſunt aliqua libere dicta, tamen leguntur plura bonæ frugis.

(2) Miraculo factum id fuiſſe, poſt Patres, & interpretes omnes oſtendit Ritterus contra Thomam Bartholinum *ibid.* §. 13. *& ſeqq.*

(3) Vide *Interpret. ad loc. cit. Evangeliſtarum*. Legitur præterea *Tom. 1 I. Theſaur. Philol. Theol. edit. an.* 1702. *pag.* 273. *& ſeqq.* M. Chr. Faſelii hominis de numero Proteſtantium *de unctura Chriſti Sepulcrali diſſertatio*.

eumque revixisse in vulgus efferant. Ubi Præses annuit, sepulcrum obsignarunt, eique custodes posuerunt (1).

Postridie ejus diei, quo Christus mortem obierat, concussa terra surrexit, magnumque terrorem custodibus (2) intulit. Id cum negare Pharisæi non possent (satis autem patens erat prodigium) custodes magnis pollicitationibus inducunt, uti se somno fuisse correptos, & ab Apostolis delusos dicerent. Hoc etsi fieri a discipulis Christi ne volentibus quidem poterat, tamen contulit, ut ne populus tumultum concitaret. Verum plerique Judæi, qui post rem ut acta erat animadverterunt, hoc tanto prodigio permoti, quo admirabilem in modum confirmari, quæ erant a Christo dicta, atque præ-

(1) Cujusmodi hoc sepulcrum fuerit, plane ostendit Petrus Daniel Huetius loco mox infra indicando. Eademque in sententia, quod nempe excisum in petra sepulcrum fuerit, versantur M. Car. Ortlobius *dissert. de sepulcro Christi ad Matth.* XXVII. M. Godfr. Thilo *dissert. de sepulcro Christi* ad idem Matthæi caput, & Joh. Franciscus Buddeus *Medit. Pasch. de sepulcro Christi pag.* 51. *& seqq. Medit. sacrar. edit. an.* 1725. Vide sequentem *adnotationem*.

(2) Id cum perspicuum imprimis esset, inducereque facile omnes, qui sua recte uti ratione vellent, ut veram religionem profiterentur, & colerent, posset, tum est ita ab Apostolis prædicatum, ut discipulos hortarentur, ut, ne illud sibi memoria excideret, curarent. Itaque Paulus Apostolus II. *ad Timoth.* II. *v.* 8. Μνημόνευε, *inquit*, Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν. *Memor esto Jesum Christum resurrexisse a mortuis*. Nam ut habet 1. *Cor.* XV. *v.* 14. *Si Christus non resurrexit*, inquit, *inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*. Tanta scilicet vis argumenti a *resurrectione* Christi deducti est, ut hoc uno, si cetera deessent, constitui, confirmarique veritas religionis nostræ possit. Quare Petrus, & Paulus, ceterique sancti Apostoli pro hujus rei fide non modo pericula subierunt, multasque pertulerunt calamitates, sed mortem etiam, quam eam negarent, perferre maluerunt. A quo hoc sane magis magisque vim argumenti auget, quod illi ipsi, qui aut metu perculsi, se Christi discipulos esse inficiati erant, aut dubitarant, repetitis apparitionibus Christi ita convicti fuerint, ut prædicatores resurrectionis, ac testes fuerint, contemtis cruciatibus etiam extremis. Nam qui fraude horum fuisse sublatum corpus Christi jactitant, næ illis vehementer errant. Quomodo enim id audere potuissent primo, obsignato sepulcro de rupe exciso? secundo, præsentibus custodibus Pilati jussu a Pharisæis ibidem locatis? tertio, post admotum a Josepho Arimathensi ostio monumenti ingentem lapidem, quem certe removere Apostoli nequivissent sine strepitu, qui etiam excitasset milites, si somno fuissent correpti? quarto, nulla suppliciorum habita ratione? quinto, tacentibus Hebræis, aut confutate nulla ratione, signis, aut conjecturis rei veritatem valentibus? Sed non est opus, ut in hoc argumento copiosius explicando operam locem. Sunt enim hoc labore egregie perfuncti, præter PP. Justinum, Tertullianum, Origenem, Augustinum, Chrysostomum, aliosque, viri clarissimi Petrus Daniel Huetius Episcopus Abrincensis Demonstr. *Evang. prop.* IX. *cap.* CXLII. Abbas Houttevillius *Tract. Inscripto*: „ La Religion Chrétienne prouvée par les faits *lib.* II. *cap.* IX. *a pag.* 298. *ad* 330. *edit. an.* 1722. & Auctor Anonymus optimi libri *inscripti Traité des Principes de la Foi Chrétienne Parte* III. *cap.* VIII. *& seqq. pag.* 167. *& seqq. T.* II. *edit. an.* 1737. E Protestantibus item permulti in eadem re illustranda versati diligenter fuerunt, inter quos laudandi Philippus Limborkius *Collatione cum erudito Judæo pag.* 179. *& seqq.* Radulphus Cudworthus *serm. on.* 1. *Corinth.* XV. *v.* 57. *Londini* 1676. Samuel Werenfelsius *Sermons sur des veritez importantes de la Religion. serm.* 1. *ad Actor.* V. *v.* 30. *& seqq. edit. Amstelod. an.* 1716. Johannes Jacobus Ottingerus: *De verit. Resurr. Christi ad Judæorum convictionem, Christianorumque confirmationem* Tiguri 1709. Nicolaus Gurtlerus *in dissertationibus de Christo in gloriam evecto, & apparitionibus ejus post resurrectionem edit. Franeq. an.* 1711. Johannes Peansonius *ad symb. Apostolic. pag.* 449. Johannes Colerus *verité de la Resurrect. de Jesus Christ. defendue contre Spinos. edit. Haga an.* 1706. Augustinus Varenius *dissert. de Christo a mortuis resuscitato edit. Rostoch. an.* 1682. Humfredus Dittonus Anglus *tract. de Resurrect. Christi*, qui anglice primum prodiit, deinde versus in gallicam, & belgicam linguam fuit. Johannes Vesselius *dissert. de verit. Resurrect. Christi edit. Lugd. Batav. an.* 1718.

præcepta perſpiciebant, noſtris ſacris ſeſe addixerunt, improbitatemque Phariſæorum, primariorumque Sacerdotum condemnarunt.

Chriſtus poſteaquam ſeſe Matri, Apoſtolis, multiſque diſcipulis ſæpe viſendum exhibuit, quadrageſimo a ſua reſtitutione die in Cælum aſcendit, & ad Patris dexteram ſedit, quocum Deus, atque homo perpetuo regnabit (1).

Quibus ex rebus plane conſtat, quam multi vivo inſtitutore Chriſtianæ Religionis, huic in Judæa, Samaria, & Galilæa acceſſerint, & quemadmodum ea ipſa orta, lateque iis in Provinciis propagata ſit.

§. V.

De Doctrina religionis, ac morum, qua Chriſtus inſtituit Apoſtolos, quamque ut ubique gentium prædicarent, juſſit.

CUM Chriſtus magnam hominum multitudinem induxiſſet, ut ſibi aſſentiretur (2), perfeciſſetque omnia, quæ de ſe a Prophetis multo ante, quam accidiſſent, tradita fuerant; quadrageſimo die poſteaquam revixit in cælum aſcenſurus Apoſtolis, qui in locum

(1) Extat in Muſeo Victorio nummus, in quo exhibetur Reſurrectionis Chriſti Myſterium, quemque edidit eruditiſſimus eques Franciſcus Victorius in *Nummo æreo vet. Chriſt. pag.* 47. egregieque illuſtravit. Eſt vero hujuſmodi.



Ex Ære.

(2) Origenes *lib.* II. *contra Celſum num.* 46. *pag.* 421. *Tom.* I. *edit. Monach. S. Mauri* Celſum refellens, qui nonniſi decem nautas, publicanoſque ſibi devinxiſſe mentiebatur, ſcribit „ Palam eſt „ enim vel Judæos ipſos eſſe faſſuros, illum non decem modo, non centum, non mille; ſed modo „ quinque, modo quatuor millia, tot denique ſibi conciliaſſe homines, ut illum in deſerta, ſola tantæ „ Deo per Jeſum credentium multitudini continendæ ſufficientia, ſequerentur, ubi non verbis ſolum, „ ſed & operibus eos docebat. Atque ante Origenem Joſephus Judæus *lib.* XVIII. *Antiq. Judaic. cap.* III. *edit.*

locum convenerant, sese conspiciendum dedit, & arcana religionis, quæ sacris litteris continerentur, quæque ipsos ad illud tem-

pus

edit. Haverc. Tom. I. *opp.* de Christo loquens Γίνεται, inquit, κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνήρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή· ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων, καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο. ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν. καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν, σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἵ γε πρῶτον ἀγαπήσαντες. ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτά τε, καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων. εἰς ἔτι τε νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον. Hunc locum Josephi, quem Hieronymus *lib. de Script. Eccl. cap.* XIII. *pag.* 107. *Tom.* IV. *opp. edit. Martianei*. Pseudo-Hegesippus *lib.* II. *Excid. Jud or. cap.* XII. quod opus S. Ambrosio tribuitur a Scriba *codicis Mss. Cantabrig.* aliique latinum fecerunt, sic esse vertendum arbitror: *Fuit hoc circiter tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum ipsum dicere oportet; erat enim mirabilium operum effector, magister hominum vera libenter suscipientium. Et multos quidem Judæos, & Gentiles ad se duxit. Christus hic erat. Et ipsum cum invidia Principum apud nos virorum cruci Pilatus affixisset, non deseruerunt, qui primum dilexerant. Apparuit namque ipsis tertia die rursum vivens, divinis prophetis hæc & alia innumera mirabilia de ipso prædicentibus. Usque nunc Christianum ex ipso cognominatum genus non defecit.* Ex quo quidem Josephi loco plane colligitur, permultos Christo, dum inter nos viveret, consensisse, amplexosque illius doctrinam fuisse. Scio esse plures, qui Josepho falso eum locum esse adscriptum putent. Atque inter hos numerantur Tanaquillus Faber Epist. ad Joh. Chabruiium *l.* I. *epist.* XLIV. *p.* 125. *edit. Salmurien. a.* 1675. David Blondellus in Timanni Gallesii *Hist. Eccl. pag.* 125. Christianus Noldius *lib. de vita, & Gestis Herodum*. Centuriatores *Magdeburg. Centur.* I. *lib.* II. *cap.* VII. qui primi videntur esse, qui in controversiam locum eumdem revocarint. Sebaldus Snellius *epist. ad Rupertum* in Arnoldi *Testimonio Flaviano pag.* 83. *& ad Reinesium ibid. pag.* 130. *& ad Arnoldum pag.* 176. Christophorus Arnoldus *epist.* XXX. *Philol. & Historic. editis Norimbergæ an.* 1661. Johannes Clericus *Tom.* XVI. *Bibl. Veter. & Nov. pag.* 90. *& seqq.* in libro inscripto *sentiments de quelques Theologiens de Hollande pag.* 146. *& seqq.* aliique plurimi horum similes e numero Protestantium. Non desunt Catholici, qui in eamdem descenderint opinionem. Eam namque probant Richardus Simonius, quem intemperatioris criticæ hominem fuisse constat, *Biblioth. critique Tom.* II. *pag.* 26. *& seqq.* & Abbas de Longuerrue vir alioqui eruditissimus *dissert. inserta Tom.* II. *Biblioth. Ancien. e Moder.* Johannis *Clerici pag.* 237. Nonnulli interpolatum eumdem locum esse putant, ut Thomas Ittigius *Proleg. in Josephi opera Lips. edita*, & in selectis *capitibus Hist. Eccl. sect* I. *pag.* 356. *&* 374. *& seqq.* Richardus Montacutius *ad Euseb. Demonstr. lib.* III. Stephanus le Moine *not. ad varia sacra pag.* 931. Vorstius *apud Arnold. pag.* 151. Joh. Christophorus Wagenseilius *Tom.* IV. *libror. Juvenilium pag.* 189. Johannes Henricus Ursinus apud *Arnold. pag.* 151. *& seqq.* Johannes Boeclerus *ibid. pag.* 265. Jacobus Perizonius *epist. ad Francisc. Fabricium ad calcem Christolog. Noachica ejusd. Fabric. pag.* 63. *Lugd. Batav. an.* 1727. Hadrianus Relandus *T.* I. *edit. Haverc. operum Josephi pag* 876. Campegius Vitringa *lib.* IV. *observat. sacrar. pag.* 970. *& seqq.* Sed vix numerari possunt, qui genuinum esse defendunt. Namque ut mittam Macarii Martyris, qui sub Diocletiano Christo testimonium reddidit, Acta, propterea quod verear, ne vitiata sint (*extant Tom.* V. *Act. SS. mensis Maji pag.* 149.) certa res est, post Eusebium *lib.* I. *cap.* XI. *Hist. Eccl. & lib.* III. *cap.* V. *Demonstr. Evang.* nullum fuisse veterum, qui de ejus loci sinceritate dubitaret. Vide Hieronymum *l. c.* Sozomenum *lib.* I. *Hist. Eccl. cap.* I. Isidorum Pelusiotem *lib.* IV. *epist.* CCXXV. Pseudo-Hegesipp. *lib.* II. *de Excid. cap.* XII. Haymonem *Halberstad. lib.* I. *Hist. Eccl. cap.* XIII. Johannem Sarisberiensem *l.* I. *Policratici c.* IX. Nam Joh. Malelam, Joh. Zonaram, Georgium Cedrenum, Georgium Hamartolum, Michaelem Glycam, Suidam ex Græcis, & ex Latinis Freculphum, Albertum Statensem, Conradum Hurspergensem, Vincentium Bellovacensem, Petrum Comestorem, atque alios, ne sim longus prætereo. His accedit summa Codicum Mss. consensio, quos evolverunt omnes, qui in hanc rem illustrandam animum contulerunt, imprimisque Lambecius, ut idem refert *epist. ad August. Luneburgensium Ducem de* VII. *Codicibus Josephi, qui extant in Biblioth. Cæsar. e lit. Vindob. an.* 1666. Quinetiam extabat idem testimonium in Codice Hebraicæ versionis Josephi Mss. Vaticano, sed erasum fuit, ut est a Baronio traditum *ad an.* XXXIV. *num.* 226. Quod si id Casaubonus XVI. *ult. Exercit. in Baron. pag.* 677. aliena fide dictum, & Johannes Clericus, homo insigni impudentia, confictum fraude esse *Bibl. Univ. Tom.* XXIII. *pag.* 197. *& seqq.* censent, næ hi vehementer errant. Hos, nisi nobis cedant, revincere poteris

pus latuerant (1), explicavit. Id ubi fecit, ne ante Hierosolymis excederent, quam Spiritus Sancti donis aucti fuissent, cavit. Futurum autem dixit, ut brevi spiritus idem Paracletus in eos descenderet. Quo accepto beneficio, universum Orbem terrarum ut lustrarent, gentesque omnes, quæ ipsis ab se fuissent tradita, docerent, jussit. Ejus autem doctrinæ summa hæc erat. Unum esse sempiternum, immensum, infinita sapientia, bonitate, atque potestate præditum, totius corporis expertem, perfectissimum, rerumque omnium conditorem, atque provisorem Deum (2). Hunc, etsi natura unus, idemque sit, consistere tamen in personis distinctis tribus, Patre, Verbo, ac Spiritu Sancto (3). Verbum, quod & Dei Patris Filius dicitur, conjunxisse naturam humanam sibi, ex quibus naturis duabus Divina, atque humana in una Verbi ejusdem hypostasi subsistentibus, Christus Deus, atque Homo exsistat, qui tot cruciatus pertulerit, ut homines, qui a dæmone captivi detinebantur, redimeret,

poterit Theophili Comitis de Windischretz testificatio, qui codicem illum sibi Romæ ostensum Wagenseilio affirmavit, ut legitur apud *Arnold. ibid. pag. 240. & seq.* Ac si apud Gorionidem legitur locus *de Johanne Baptista pag. 583. & seq. edit. Beithantii*, non video, cur difficile fuerit, ut is ipse testimonium de Christo referret. Gyraldus Cambrensis in eo libro, qui est de *Institutione Principis*, ut est a Caveo memoriæ traditum, hæc scribit „ Robertus Prior S. Fridiswidæ apud Oxoniam, he„ bræ:æ doctus, in duobus exemplaribus Josephi hebraice scriptis invenit testimonium de Christo „ in aliis nuper erasum. Quod si Wagenseilius e codice Vaticano non hanc Josephi ϖ.ϱοχὴν, sed aliam nescio quam erasam pugnat, non veritate is quid-m agit, sed ariolatur, ut qui contra oculatorum testium fidem statuere non dubitet. Ego igitur eruditissimos viros auctores sequutus, fretusque veterum Scriptorum, quos laudavi, omniumque codicum veterum consensione, sic censeo, genuinum esse Josephi testimonium de Christo. Scio afferri contra argumenta perplura ab iis, quos numeravi. Sed sunt ea omnia egregie confutata ab Eminentissimo Cardinali Lambertino viro doctissimo, qui nunc summo Christianæ Reipublicæ bono universam Ecclesiam Summus Pontifex, assumto BENEDICTI XIV. nomine, moderatur *in 1. lib. de Beat. Serv. Dei, & Beator. Canoniz. c. 1. edit. an. 1743.* ab Immortalis quoque memoriæ viro Cæsare Cardinali Baronio *ad an. xxxiv. num. 226. & ad an.* xcvi. a. Natali Alexandro *Tom. vi. Hist Eccl vet. test. edit. 1. Paris. dissert.* x. Guillelmo Bonjurio *dialog. iii. Triduana de canone sacror. libror. concert.* Romæ 1704. Houttevillio *lib. de la Relig. Chrét. prouvée par lès faits pag. 65. 77.* Honorato a S. Maria *reflex. sur ses regl s, & l' usage de la Critique edit. Paris. 1723. Tom. iii. diss.* iv. Antonio Pagio *critic. Baron. ad an.* xxxii. *num.* 15. Francisco de Roy *sing. de test. Josephi dissert. edita Andegavis an. 1636. ad calcem Hist. de Vita, Heresi, & Pœnitentia* Berengarii. Daniele Papebrochio *Act. Sanctor. Junii Tom. iv. pag. 696.* Nan. Tillemontio *Hist. Imp. Tom. 1. pag. 975. edit. Bruxel.* Petro Daniele Huetio *proposit. iii. Demonstr. Evang.* Henrico Valesio *in not. ad Euseb. pag. 3. 16. & 20. edit. Paris.* Ab his non dissentiunt plerique Protestantes Joachimus Langius, Conradus Samuel Schurtzfleiskius, Fridericus Spanhemius Junior, Carolus Daubuzius, qui tamen, ut Villelmus Wistonus, Josephum Ebionitam fuisse arbitratur. Daniel Maichellus, Johannes Marchius, Hermannus Witsius, Humfredus Ditton, Joh. Christophorus Wagenseilius, aliique, quos numerat Johannes Albertus Fabricius *in libro de Verit. Relig. Christiana pag. 138. & seqq. in Salutari luce Evangelii pag. 22. & seqq. & in Bibliotheca Græca lib. iv. cap. vi. & in Haverc. edit. opp. Joseph. Tom. ii. pag. 61. & seqq.*

(1) Luc. *cap.* xxiv. *v.* 44. Marc. *cap.* xv. *v.* 15. *& seqq.* Matth. *cap.* xxviii. *Actor. Apostolor. cap. 1. v. 4. & seqq.* (2) Id vero ex Evangeliis, vetereque etiam Testamento plane constat.

(3) Fuerunt heretici, qui contra sentirent. Sed frustra. Nam convinci facile Novi Testamenti au-

meret, dignosque gloria sempiterna faceret (1). Christum Judæorum scelere cruci affixum, mortuum deinde, ac sepulcro conditum, tertia die revixisse, ascendisseque (2) in cælum, & ad Patris dexteram sedere, unde rursum extremo mundi tempore sit, ut vivos, mortuosque judicet, rediturus. Spiritus (3) Sancti, qui eadem est, atque Pater, & Filius natura, Personam ex Patre, Filioque procedere. Dari Angelos (4), qui conditi a Deo sint. Horum multos initio lapsos peccato fuisse, atque adeo in ipsos æternum fuisse supplicium constitutum. Ceteros maximo numero fidem erga Deum, pietatemque servasse, eamque idcirco consequutos felicitatem, atque gloriam esse, quæ numquam sit finem habitura. Eis Deum administris uti, dignosque proinde esse, quos mortales venerentur. Unam esse Ecclesiam, e qua si quisquam sejunctus sit, beatus in cælesti Regno esse non possit. Nam eis, qui in Ecclesia sint, legibusque a Christo sancitis steterint, æternam (5) esse paratam in cælo felicitatem. Contra si qui sint, qui dictis ejusdem Christi Servatoris audientes esse recusarint, hos in sempiternum cruciatum venire oportere. Omnes homines sive probis, sive improbis moribus vixerint, ut se Christo Judici sistant, excitandos e mortuis (6) tandem esse, & bonos tum quidem corpore dotibus singularibus or-

 nato

auctoritate imprimis possunt, cujus multa, eaque clarissima loca post Patres Justinum Martyrem, Tatianum, Tertullianum, Athanasium, Ambrosium, Chrysostomum, Augustinum &c. recensent Dionysius Petavius *Tom. II. Theologicorum Dogmatum*, aliique Theologi, qui de Trinitatis Mysterio commentarios, disputationesque ediderunt.

(1) De Divinitate Verbi, & Incarnatione multa item extant in Sacris Bibliis testimonia, quæ Dionysius Petavius (post eos, quos nominavi Patres, aliosque etiam) complexus est in v. *Volumine Dogm. Theologic.* Adeundi etiam *Pater Maranus Benedictinus Congr. S. Mauri*, qui recens egregium *de Divinitate Verbi* opus vulgavit Parisiis, & qui *de Divinitate, & Incarnatione Verbi* scripserunt, qui & magno numero sunt.

(2) Consule extrema *capita quatuor Evangelistarum*, & primum *Actor. Apostolic.*

(3) Idem ille, quem dixi, Petavius *T. II. Theologic. Dogm.* numerat loca scripturæ, quæ huc pertinent, & Patrum testimonia, quibus res ipsa confirmatur.

(4) De Angelis bonis, malisque quid scriptura statuat, præter Patres, ostendunt Dionysius Petavius *Tom. III. Theologic. Dogm.* ceterique Theologi, qui de iis spiritibus libros, tractationesque ediderunt.

(5) *De æternitate suppliciorum* Hominum, Angelorumque damnatorum agit tribus libris Johannes Vincentius Patuzzius vir doctissimus Ord. Præd. *tribus libris de futuro impiorum statu editis Veronæ an.* 1748. In hac eadem re versati non Orthodoxi modo, sed etiam Protestantes fuerunt, quos numerat Joh. Alb. Fabricius *De verit. Relig. Christ. cap.* XLVIII. quod est *de Præmior. Pœnarumque æternit. pag.* 719. *& seqq.*


(6) Luculentissima sunt Veteris, Novique Testamenti de *Resurrectione mortuorum*, *de fine mundi, deque extremo Judicio* loca, quæ suis commentariis, post Patres Athenagoram, qui singularem librum de Resurrectione vulgavit, qui etiamnum extat, (nam deperditum Justini Martyris non est cur esse memorandum putem) Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, aliosque, collegerunt Johannes Lamius *diss. de Resurrect. Mortuor.* inserta *Delic. Erudit. &* Augustinus Calmetius: *Diss.* sv. *Journal. des Savans an.* 1723. *pag.* 585. aliique cum Catholici, tum etiam Protestantes, quorum aliquos numerat Fabricius *ibid. cap.* XLV. *& seqq.*

nato in cælum migrare, malos autem cum corporibus item suis in locum supplicii descendere debere, ut qui corpore ad multa peragenda usi fuerint, eo socio præmiorum, si bene, pœnarumve, si sceleste vixerint, utantur. Atque hæc quidem summa præcipuorum Christianæ Religionis dogmatum est. Nam decreta, quæ ad mores pertinent, ea præceptis decalogi continentur. Explicate præterea Christus sanxit, ut quisque non amicos tantum, sed inimicos (1) etiam diligat, cavitque, ne quis injuriam ulciscatur, neu quidquam superbe, improbeve aut agat, aut cogitet. Quæ credenda, agendaque Christiano sint, (demtis ceremonialibus præceptis, quæ veniente Christo, ut quæ figuræ essent, cessarunt) ea partim libris Mosis, Prophetarumque voluminibus contineri, partim data fuisse Apostolis a Christo constat, quæ ipsi aut scripserint, aut successoribus tradiderint, quo traduci (2) in posteros curarent.

CAPUT

(1) Consule Apologias Patrum Justini, Athenagoræ, Tertulliani, & quæ diximus supra *lib.* I. *c.* III. § XXV. *pag.* 164. *& seqq.*

(2) De traditionibus egregie disputant Bellarminus *in Controvers.* Melchior Canus *in locis Theolog.* Natalis Alexander *in Hist. Eccl.* quorum sunt satis notæ lucubrationes. Hi vero, aliique nostrorum satis solide contra Protestantes demonstraverunt, divinam esse traditionum ejusmodi auctoritatem.



CAPUT V.

De Propagatione Christianæ Religionis in Palæstina, & reliqua Syria post ascensum Christi Servatoris in cælum ; de prodigiis a Deo per Apostolos patratis ; deque sævitia Judæorum in Christianos .

§. I.

De Propagatione Christianæ Religionis in Palæstina post ascensum Christi Servatoris in cælum .

HIS acceptis mandatis, Apostoli Hierosolymis constiterunt (1). Itaque Matthia in suum Collegium (2) adlecto, cum in cœnaculo una cum Deipara (3) Virgine Maria essent, precesque Deo ex consuetudine adhiberent, decimo ab ascensu magistri in cælum die, Spiritum Sanctum in se singulari prodigio descendisse, ignitis linguis indicibus, cognorunt, variarumque linguarum & intelligendarum, & loquendarum facultatem divinitus consequuti omnem metum deposuerunt, inque publicum prædicandæ Christianæ Religionis caussa (4) prodierunt. Eo propter strepitum, reique novitatem magnus hominum concursus est factus. Erant tunc Hierosolymis plerique origine, & religione Judæi, qui ex longinquis locis in eam urbem adoratum venerant. Parthi erant aliqui, alii Medi, & Æla-

(1) *Actor. Apost. cap.* I. *v.* 12. *& seqq.*

(2) *Ibid. v.* 15. *& seqq.*


(3) *Ibid. v.* 14.

(4) *Ibid. cap.* II. *v.* 1. *& seqq.* Sunt Protestantes aliquot, qui Apostolos Spiritus Sancti beneficio consequutos fuisse linguæ græcæ cognitionem dubitent. Namque eam illos habuisse putant, ante quam Spiritus Sanctus in eos descendisset. Atque hæc quidem opinio probata fuit Conrado Schavartzio *lib. de opinatis discipulorum Christi Solœcismis cap.* x. §. xv. *pag.* 57. At ratio, qua hi nituntur, nullius momenti est. Nam quod ajunt, jam usque ab Alexandri Magni ætate Palæstinos assuesse linguæ græcæ, ferri id quidem, si de politioribus sermo sit, potest; at si de piscatoribus, qui etiam Luca teste *Actor. cap.* IV. *v.* 13. *sine litteris & idiotæ* erant, loquamur, ferri profecto non potest. Quemadmodum autem intelligendum sit, quod Lucas de variis linguis scribit, ostendit Johannes Lamius vir eruditissimus in eo libro, qui *de Eruditione Apostolorum* inscribitur *cap.* xv. *p.* 351. veteres Patres, atque Interpretes auctores sequutus. Hoc addo, Apostolos sic esse cujusque linguæ facultatem consequutos Spiritus Sancti beneficio, ut si scribere ea lingua utile esset, ac vellent, id quidem possent. Nam alioqui quemadmodum græce scripsissent, qui ante ejus sermonis essent omnino ignari? Nec barbarismi nonnulli, quos in Novo Testamento legimus, deterrere nos ab hac sententia possunt. Non enim eadem elegantia Isaiam, atque Sophoniam, ut scriberent suas visiones, Spiritus Sanctus incitavit. Aptat enim se divina providentia quodammodo iis, qui instinctu ejus moventur ad scribendum, de qua re luculentissima sunt Christianorum veterum testimonia.

& Ælamitæ, Mesopotamii, Cappadoces, Pontici, Asiani, Phrygii, Pamphylii, Ægyptii, Lybici, Cyrenenses, Romani, Cretes, Arabesve. Hi cum sua quisque lingua Apostolos multa uti animadvertissent, rei magnitudinem admirati, quod Apostoli omnes fere essent e Galilæa, totque sermonum facultatem natura, aut arte consequi tam brevi tempore non possent; unde id esset tam singulare prodigium profectum, quærebant. Sed qui versati in iis linguis non erant, cum quæ ipsi non intelligerent, Apostolos loqui audirent, ebrios hos esse arbitrabantur (1). Quamobrem Petrus ut ejus rei suspicionem ab sociis amoliretur, conversa in Judæos oratione, hortatus eos fuit, ne quid simile de sobriis hora tertia diei suspicarentur. Immo vero, quæ ab Joele Propheta de spiritu in Israelitas, qui Messiæ credidissent, ejusque præceptis paruissent, immittendo scripta fuerant, ea ut exitum in Jesu Christi discipulis habuisse cognoscerent, rogavit. Cumque multa de Magistri prodigiis, de virtute, de reditu in vitam, deque ascensu in cælum dixisset, tum sibi, sodalibusque suis id onus impositum esse affirmavit, ut primis omnium Judæis, quod populum electum constituissent, evangelium nunciarent. His, aliisque verbis in eam sententiam dictis, tria circiter millia hominum permovit, ut Christianis sacris eodem ipso die initiarentur. Manserunt deinceps aliquamdiu Hierosolymis Apostoli, pluresque alios sibi devinxerunt. Inde post in alias Palæstinæ urbes profecti numerum Christianorum prodigiis, vique orationis admirabilem in modum auxerunt (2)

§. II.

(1) *Act. Apost. cap. 2I. v. 7. & seqq.*
(2) Ut paullo post constabit.



§. II.

De prodigiis a Deo per Apostolos patratis, deque aucto ob eam rem numero Christianorum.

VIR erat eo tempore Hierosolymis, quem plerique omnes claudum fuisse natum cognorant (1). Is quæritandi victus caussa deferri curabat in eam templi portam, quæ speciosa dici (2) consueverat. Ergo cum Petrus, & Johannes hora diei nona in ædem sacram ingrederentur, claudumque rogantem audirent, ei ut pecunia subvenire vellent; nullum sibi esse argentum, atque aurum responderunt, nec se tamen recusaturos dixerunt, quin ipsi, quod haberent, concederent. Itaque ut erigeret sese, atque ut incederet, jusserunt. Claudo Christi Servatoris virtute sanato, ut id elatum fuit in populum, magna hominum multitudo in Porticum Salomonis (3), quo se Apostoli illi duo receperant, concurrit, ut qui tantum prodigium patrassent, cerneret. Petrus nactus opportunam ad convertendos ad sanitatem Judæos occasionem, his in memoriam, quæ adversus Christum gessissent, revocavit. Deinde cum, Jesum Messiam eum esse, quem Prophetæ prædixerant venturum, & cujus nomine, ac virtute claudo incedendi data facultas esset, demonstrasset; tum est eos, ut resipiscerent, hortatus, ni e plebe Dei excludi, exterminarique vellent. Hac oratione permoti, multi Christo nomen dederunt, auctusque est ad quinque millia hominum (4) numerus Christianorum. Namque illud tam patens prodigium fuit, ut ne ab Anna quidem, & Caipha, ceterisque Sacerdotibus, qui hostes se Christi esse profitebantur, negari posset. Multa præterea Apostoli miracula fecerunt. Cujus rei cum fama (5) percrebuisset, qui

(1) *Act. cap.* III. *v.* 1. *& seqq.*

(2) *Ibid. v.* 2. De Porta speciosa multa habent in hunc locum Interpretes. Nos eam arbitramur esse, quam Josephus *lib.* v. *de Bello cap.* v. *pag.* 332. *T.* II. *opp. edit. Haverc.* Corinthiam vocat. Nam hæc, ut ille scribit, *multo ceteras τῇ τιμῇ honore superabat*, & speciosa dici jure poterat.

(3) *Act. cap.* III. *v.* 11.

(4) *Act. Apost. ibid. v.* 41. Ab Judæis autem conversionis initium erat ducendum, quod peculiari quadam ratione Messias Judæis promissus esset, quamquam esset etiam lumen Gentium futurus. Vide *Deuteron. cap.* XVIII. *v.* 15. & *Genes.* XLIX. *v.* 6. & *Actor.* XIII. 47. Quare etsi Christus in cælum ascensurus Apostolis præceperit, ut euntes in *mundum universum prædicarent Evangelium omni creaturæ* Marci XVI. 15. Matth. XXVIII. *v.* 19. Lucæ XXIV. 47. Paul. *epist. ad Coloss.* I. *v.* 23. tamen exordium ab Judæis esse sumendum dixit: *Actor.* I. *v.* 8. Id vero diligenter est ab Apostolis observatum. Vide *Act. cap.* I. *& seqq. cap.* XIII. *v.* 46.

(5) *Act. cap.* V. *v.* 12. *& seqq.*

qui domi aliquos habebant, quorum infirma esset valetudo, hos in plateas deferebant, qua Petro erat transeundum, ut ejus saltem umbra tegi, salutemque consequi valerent. E proximis quoque civitatibus ægroti Hierosolymam deportabantur, qui sani, lætique, & quod caput erat, Christiani domum redibant. Itaque civitati Christianorum magna est accessio facta, quod non Judæi modo, sed Hellenistæ etiam, de quibus supra (1) demonstratum est, suam Christo fidem obstrinxissent. Sed, ita ut fit, ubi gentes variæ in unam Rempublicam coaluerunt, conqueri Hellenistæ de Judæis cœperunt, (2) quod in distribuendis rebus, quæ ad victum, vestitumque spectarent, hi viduarum Hellenistarum rationem fere nullam haberent. Apostoli convocatis discipulis, non esse opportunum docent, ut ipsi, qui instituendi populi caussa delecti a Christo, dictique Apostoli fuissent, mensis darent operam, verbumque Dei nunciare desinerent. Quamobrem multitudinem hortantur, ut septem viros reperiat, qui virtute præstent, quibusque onus distribuendi, quæ ad vitam necessaria essent, imponeretur. Inventi fuerunt, qui tales erant, quales optare Apostoli poterant. Itaque *ordinati* sunt, & *Diaconi*, hoc est ministri vocati, quorum unum, ac præcipuum munus erat, ut Sacerdoti in celebranda Eucharistia servirent, alterum, ut prospicerent, ne qua in distributione rerum perturbatio oriretur (3). Stephano uni erat diaconorum nomen. Is quoniam Spiritus Sancti (4) instinctu ducebatur, atque ita cum inimicis nominis Christiani disputabat, ut eis evadendi viam reliquam nullam faceret, ab impiis quibusdam ex urbe ejectus, lapidibusque obrutus fuit. Quo facto in eos, qui Christi nomen profiterentur, omnia cruciatus exempla Judæi edere constituunt. Itaque sæva in nostros tempestas cooritur (5). Eam ut nostri declinent, ita ut jussi a Christo fuerant, plerique omnes, demtis Apostolis, Hierosolymis abscedere, inque alias urbes profugere decernunt. Interea Apostoli Jacobum Minorem item Apostolum, qui Christo sanguinis propinquitate conjunctus erat, Hierosolymitanæ Ecclesiæ (6) præficiunt.

Anno Æræ Christianæ circiter XXXI. Christiani, qui Hierosolymis profecti aut in alias Judææ urbes, aut in Samariam, Phœniciamve

(1) *Lib.* I. *cap.* 2. §. XI. *pag.* 75. *& seqq.*
(2) *Actor. cap.* VI. *v.* 1. *& seqq.*
(3) De officiis Diaconorum erit alibi opportunior disserendi locus.
(4) *Act. Apost. ibid. v.* 8.
(5) Vide §. sequentem & *Act. cap.* VIII. *v.* 1. *& seqq.*
(6) De hac re agam IV. hujus Operis libro, ubi disseram de forma, & ratione Christianæ reipublicæ.

ciamve abierant, quique Damascum, vel Antiochiam, vel in insulam etiam Cyprum contenderant, oratione, atque prodigiis rem Christianam mirifice (1) auxerunt. Philippus, qui septem Diaconorum, quorum supra facta est mentio, unus fuit, cum in Samariam (2) venisset, nunciareque Evangelium, & miracula patrare cœpisset, multos, ut Christum consectarentur, & colerent, permovit. Simon tunc (3) quidam in ea Provincia erat insignis impostor, qui præstigiis, malisque artibus Samaritas circumvenerat, eisque persuaserat, se virtutem nescio quam magnam esse, cui plurimum tribui oporteret. Is quoque, ut alios Philippo assentiri animadvertit, eum sequi statuit, baptismique initiatus mysterio est. Apostoli, qui Hierosolymis manserant, eorum, quæ gesta in Samaria essent, certiores facti, cum Diaconis nullam inesse facultatem (4) confirmandi, sanctumque spiritum conferendi scirent, eodem Petrum, atque Johannem, qui recens baptizatis manus imponerent, miserunt. Dum illi suo munere fungebantur, Simon, de quo paullo ante dictum est, ad eos (5) accessit, oblataque pecunia, sibi ut potestatem dandi Spiritum Sanctum facerent, rogavit. Apostoli graviter improbo homine reprehenso, propterea quod donum Dei vendi pecunia posse arbitraretur, ei auctores, ut pœnitentiam ageret, fuerunt. Qui veritus, ne quid sibi adversi eveniret, orare eos, atque obsecrare cœpit, sui ut misererentur, utque a Deo prece, ne pœnas tanti flagitii lueret, obtinerent. Interea (6) Petrus, atque Johannes urbes Samariæ Provinciæ, vicosque peragrabant, efficiebantque, ut magnus hominum numerus Christo se dederet.

Eodem fere tempore Philippus Diaconus ab Angelo monitus, ut in viam, qua iter in Gazam (7) est, sese conferret, paruit; eoque ut pervenit, in Æthiopem Candacis Reginæ Eunuchum, qui

 Pro-

(1) *Act. cap.* VIII. *v.* 1. *& seqq.* & *cap.* XI. *v.* 19. *& seqq.*

(2) *Act. cap.* VIII. *v.* 5. *& seqq.*

(3) *Ibid. v.* 9. *& seqq.* De hoc agetur alio loco opportune, ubi de disciplina majorum nostrorum in repellendis ab Ecclesiæ communione hæreticis, qui converti nollent, disseretur.

(4) De hac re disseram, ubi de ritibus Sacramenti Confirmationis sermonem instituam.

(5) *Act. Apost. cap.* VIII. *v.* 18. *& seqq.*

(6) *Ibid. v.* 25.

(7) *Act.* VIII. *v.* 26. *& seqq.* „ Angelus Domini, *inquit Lucas*, loquutus est ad Philippum di-„ cens, surge, & vade contra Meridianum, ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam, hæc „ est deserta. Pomponius Mela *lib.* I. *cap.* XI. *Ceterum*, inquit, *in Palestina est ingens, & munita admodum Gaza. Sic Persæ ærarium vocant, & inde nomen est.* Lucas autem non oppidum desertum, sed viam, qua iter erat in illud, *desertam* appellat. Atque hæc est Chrysostomi, & Oecumenii in hunc Actorum locum interpretatio.

Profelytus (1) Judæorum erat, incidit, quem in doctrina Christiana institutum baptismi Sacramento initiavit, raptusque a Spiritu translatus Azotum (2) est, quæ urbs ad Judæ sortem, ditionemque pertinebat. Interim (3) Saulus, qui incredibili odio in Christianos ferebatur, Damascum contendebat, epistolasque ex principibus Sacerdotum deferebat, quibus ei potestas in vincula conjiciendi, Hierosolymamque trahendi Judæos omnes dabatur, qui nostram religionem amplexi essent. Proxime cum ab eo oppido Syriæ abesset, a Christo, qui sese illi visendum dederat, castigatus, jussusque maleficio abstinere, eique assentiri institutioni, quam hactenus reprobasset, resipuit, baptizatusque ab Anania Presbytero tanta vi orationis prædicare decreta Christianæ religionis aggressus est, ut inimicos implicaret, tacereque cogeret. Hi ira incensi hominem perimere statuerunt. Quamobrem a Christianis Cæsaream deductus est, Tharsumque in Ciliciam missus, ubi tutius ei consistere liceret. Jam late, longeque iis temporibus in Galilæa, Samaria, & Judæa propagatum nomen Christianum erat, Ecclesiaque iisdem in Provinciis (4) summa pace fruebatur. Quo ferè tempore cum Palæstinæ urbes Petrus circumcursaret, Lyddam (5) venit, & Æneam paralyticum invocato Jesu Christi nomine sanavit. Qua re cognita Lyddani, ceterique (6) Saroniani, maturandum sibi esse putarunt, ut ei se devoverent, cujus virtute Apostoli res admirandas perficere solerent. Joppe (7) erat oppidum, quod Lydda haud longe aberat. Tabitha (8) illic vidua singulari virtute, atque in pauperes studio floruerat. Cum hæc decessisset, Christiani, qui Joppe degebant, legatos ad Petrum mittunt, rogantque, eo ut quam cito

(1) Ethnicum fuisse putant Eusebius *lib. II. Hist. Eccl. cap.* 1. & Chrysost. *homil.* XIX. *in Acta*. At si Eunuchus Ethnicus erat, Cornelius Centurio primitiæ Gentium non fuisset, quod certe falsum est. Nam ob eam rem orta quoque contentio inter Christianos Judaizantes fuit, qui ante Cornelium neminem ethnicum viderant ab Apostolis Christianum factum. *Act.* X. *v.* 1. *& seqq.*

(2) *Asdod in sorte tribus Juda, quæ nunc vocatur Asotus*. Ita Auctor libri *de locis Hebraicis*, qui extat inter opera Hieronymi.

(3) *Act. cap.* IX. *v.* 1. *& seqq.*

(4) *Act. ibid. v.* 31.

(5) *Ibid. v.* 32. *& seqq. Lydda* hodie *Loddo* appellatur. A scriptoribus medii ævi Diospolis dicitur. De eo oppido accurate agit Hadrianus Relandus *Palæst. lib.* III. *pag.* 838. *Thesaur. Antiq. sacrar. edit. Venet. an.* 1746. *vol.* VI.

(6) Hieronym. *comment. in Isaia cap.* XXXIII. *lib.* X. *pag.* 273. *Tom.* III. *opp. edit. Martianæi*. „ Saron omnis juxta Joppen, Lyddamque appellatur regio, in qua latissimi campi, fertilesque tenduntur. Vide Relandum *ibid. lib.* I. *cap.* LV. *pag.* 348. *& seq.*

(7) De portu, & oppido *Joppe* consulendus Hadrianus Relandus *ibid. lib.* III. *pag.* 826.

(8) *Act. cap.* IX. *v.* 36. *& seqq.*

cito possit, accedere ne gravetur. Hoc accepto nuncio Petrus Joppen contendit, & Tabitha ut reviviſceret, fecit. Itaque plures ejus oppidi incolæ animos, ut Christo crederent, induxerunt. Hæc omnia circa æræ Christianæ annum quartum atque tricesimum perfecta sunt. Joppe igitur cum apud Simonem quemdam coriarium Petrus ageret, ex Cæsarea Palestinæ (1) nuncii ad eum venerunt, qui significarent, Cornelium Centurionem, etsi ethnicum, & in circumcumcisum, virum tamen, qui unum Deum adoraret, ejusque præcepta (2) coleret, vehementer cupere, ut secum una de rebus, quæ ad salutem animi spectarent, loqueretur. Petrus monitus a Deo singulari visione, quid facto in ea re opus esset, Cæsaream concessit; quem ut Cornelius vidit, in ejus se pedes projecit, & quemadmodum divina voluntate factum esset, ut ipsum Joppe Cæsaream acciverit, ostendit. (3) Ferre Apostolus non potuit, ut sibi, qui homo esset, cultus ejusmodi ab Centurione adhiberetur. Quamobrem viro commonefacto, ne id ageret, ei ut surgeret, præcepit, post eidem quæ doctrina Christiana mysteria complecteretur, explicavit. Dum hæc a Petro dicebantur, repleti ethnici omnes, qui aderant, Spiritu Sancto fuerunt. Qua re visa Judæi Christo addicti, qui eo cum Apostolo venerant, mirati vehementer fuerunt, quid esset, quod in Gentes etiam Spiritus Sancti gratia sese diffudisset. At Petrus nihil impedire affirmavit, (4) quin ii, qui divinitus aucti tot donis fuissent, baptizarentur. Itaque hi primi ex eth-

(1) *Act. cap.* x. *v.* 1. *& seqq.*

(2) Quæ natura duce cognosci possunt, & præcipua, quæ ad mores spectabant, legeque Mosis continebantur. Nam erat Cornelius *Proselytus Portæ*: De qua re vide quæ disputavi *lib.* 1. *cap.* 1. §. *ult. pag.* 78.

(3) De Cornelio agit, præter Interpretes, Baronius ad *an.* XLI. *n.* 25. *& seqq.* Dicitur autem Cohortis Italicæ Centurio Cornelius: quæ res scriptores aliquot implicavit, propterea quod legissent apud Dionem *lib.* LV. Neronem, ante quem acta hæc sine dubio fuerunt, primum omnium Imperatorum fuisse, qui legionem, quæ *Italica* diceretur, constituerit. At magnus Baronius *ibi l. num* 2. Italicam eam Cohortem ante Neronis tempora dictam fuisse defendit, quod conflata ex Italis esset. De *Cohorte* autem Lucam, non vero de *Legione* agere. Non probat hæc Samuel Basnagius *Annal. Polit. Eccles. ad an.* XXI. *num.* 10. Cornelium enim censet sub Nerone transiisse ad *legionem Italicam*; itaque propterea Lucam fuisse usum, designasseque eo titulo Cornelium, quem post fuisset consequutus. Mihi verisimilius esse videtur, quod Baronius statuit. Visum id quoque longe propius ad veritatem accedere fuit Bernardo Duysingio viro ceteroqui de numero Protestantium *dissert. de visione Petri ad Act.* X. *v.* 9. *& seqq. sect.* 1. §. 21. *edit. ann.* 1710. Cornelium Episcopum primum Cæsareensium fuisse putat Auctor *Const. Apostolic.* quem laudat, & sequitur Baronius *ad an.* XLI. *num.* 9. Negat Michael Lequienius *Orient. Christ. T.* III. *pag.* 534. *seq.* Nam Eusebius, qui Cæsareensis Episcopus fuit, & *lib.* II. *Hist. Eccl. cap.* III. loquutus de Cornelio est, eam Ecclesiæ suæ laudem numquam tribuit. Vide *Tillem. en vita S. Petri art.* XXVI. *pag.* 164. *& seqq. Tom.* 1. *Mem. H. E. edit. Paris.*

(4) *Act. ibid. v.* 44. *& seqq.*

nicis homines fuerunt, quos Apoſtoli in Palæſtina ad Chriſtianam religionem adduxerint.

Interim Chriſtiani, qui Hieroſolymis, quo tempore lapidibus obrutus Stephanus fuit, diſceſſerant, atque in Phæniciam, aut Cyprum contenderant, ſummo cum Eccleſiæ commodo Verbum Dei (1) prædicabant, magnamque Judæorum multitudinem convertebant. Ex eorum ipſorum, de quibus ſupra dictum eſt, numero Cyrenæi, ac Cyprii quidam Antiochiam abeundi conſilium ſuſceperunt. Eo cum perveniſſent, non Hebræis modo, ſed Ethnicis etiam Chriſtum nunciarunt, multiſque vera eſſe, quæ prædicabant, perſuaſerunt. Qua re audita Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis, Barnabam ad eos miſit; qui virtutem Dei admiratus, novos diſcipulos, ut in fide ſervanda perſiſterent, hortatus eſt, deditque diligentem operam, ut alii plerique eorum exemplum imitarentur. Deinde (2) Tharſum profectus Saulum, qui Paulus etiam dictus eſt, ſecum ut Antiochiam rediret, induxit. Hi vero, cum nihil prætermitterent, quod ad rem Chriſtianam augendam, propagandamque conduceret, tot progreſſus fecerunt, ut multiplicato incredibilem in modum diſcipulorum numero, neceſſe fuerit omnibus indere Chriſtianorum nomen, ne quæ diſſenſiones (ob diverſitatem appellationum variarum gentium, imprimiſque Judæorum, atque Græcorum) turbæque orirentur (3).

Fuerunt olim, ſuntque ſcriptores, qui anno circiter XXXVI. *Æra vulgaris* Taddæum (4), qui unus e ſeptuaginta duobus diſcipulis

(1) *Act. cap.* XI. *v.* 19. *& ſeqq.*

(2) *Act. ivid. v.* 25. Vide Tillemontium *Mon. Hiſt. Eccl. pag.* 216. *&* 575. *& ſeq. Tom.* I. *edit. Pariſ.*

(3) Vide quæ diximus *lib.* I. *cap.* I. §. III. *pag.* 9.

(4) De hac re magna eſt inter Criticos, Hiſtoricoſque diſſenſio. Namque ſunt, qui ficta hæc eſſe contendant. Atque ita quidem cenſent Eraſmus, Bellarminus, Melchior Canus, Coſterus, Ludovicus Dupinius, Richardus Simonius, Natalis Alexander *H.E. ſec.*I.*Diſſ.*III. atque e Proteſtantibus Cocus, Rivetus, Hoornbeeckius, Fridericus Spanhemius, Baſnagius ad *ann.* 29. *pag.* 252. *& ſeqq.* aliique. At Scriptores non e noſtris modo, ſed etiam e Proteſtantibus ſane multi non tam eſſe abſurdam eam narrationem cenſent, ut facile rejicienda eſſe videatur. In his ſunt Baronius ad *ann.* XXXI. *n.* 60. Tillemontius *in vita S. Thomæ Mon. H. E. pag.* 361. *edit. Veneta & nota* VIII. *pag.* 614. Jacobus Hyacinthus Serrius *Hiſt. Critico Polem. de Chriſto, ejuſque Virgine matre. Exercit.* XLVI. & Proteſtantes Montacutius *Orig. Eccl ſiaſticar. T.* I. *Part. Poſter. pag.* 63. Lambecius *T.* VIII. *Biblioth. Vindob. pag.* 31. *ſeq.* Gulielmus Caveus *initio Hiſt. Litterar.* utque ceteros prætermittam Johannes Ernestus Grabius *Spicileg. SS. PP. Tom.* I. *pag.* 2. *edit. an.* 1714. *& pag.* 319. *& ſeqq.* Joſephi Simonii Aſſemani Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti viri eruditiſſimi hæc eſt opinio: Nuncios forſitan fuiſſe ab Regulo Abgaro ad Chriſtum miſſos oratum, ut Edeſſam accedere ne gravaretur, Chriſtumque quod viſum eſt, voce, non litteris reſpondiſſe. Relata ea reſponſa ab Edeſſeno, qui tum fere viveret, aliquo in commentarios ita fuiſſe, ut Epiſtolæ formam præſeferrent. Inde totam opinionem manaſſe, quæ ſtatuat ſcriptas a Chriſto litte-

pulis Christi fuerit, quorum supra est facta mentio, Edessam ad Abgarum regulum pervenisse, defenderent. Abgarum namque ferunt nuncios ad Christum misisse, qui litteras deferrent, regisque nomine obsecrarent, ut Edessam venire, Abgarumque ipsum, qui adversa valetudine premeretur, curare vellet. Jesum rescripsisse, esse in caussæ quædam, quæ impedirent, quo minus tunc Abgaro satisfaceret; sed promisisse tamen, fore, ut posteaquam ipse in cælum migrasset, aliquis suorum discipulorum Edessam iret, ægrotoque sanitatem redderet. Ergo Thomam Apostolum instinctu divino permotum constituisse in eam Syriæ urbem Thaddæum prædicatum Evangelium mittere. Rem ab Thaddæo fuisse bene gestam, & curato Abgaro, ipsi, Edessenisque persuasisse, ut suam Christo fidem obstringerent.

Multis prodigiis in Judæa, Samaria, Galilæa, Phænicia, & Syria (1) patratis, cum tot homines Christo Apostoli, ceterique discipuli devincire solerent, iram in se Judæorum concitabant, ac sæpe in jus vocati sævitiam in se inimicorum experiebantur.

§. III.

litteras ad Abgarum fuisse, quæ in tabulariis Edessenis servarentur. Ita ille quidem *Biblioth. Orientalis Tom.1. pag.554.* Mihi vero etsi non omnino a similitudine veritatis aliena esse Assemani sententia videatur, tamen inducere animum non possum, ut hanc, vel negantem esse ajente opinione verisimiliorem, putem. Itaque anceps hæreo, neque quid potius statuam scio. Illud dico, minus eos caute agere, qui sine dubio falsam utramque Epistolam esse pugnant. Namque eorum argumenta tanti momenti non sunt, ut extorquere a quoquam jure assensionem possint. Atque Eusebius eas se antiquis characteribus scriptas ex tabulario Edesseno expressisse, exque Syriacis Græcas factas suæ Historiæ Ecclesiasticæ *l.1. c.*XIII. inseruisse, tradit. Accedit S. Ephremi Syri in suo testamento *T.1I. Græc. Latin. nov. edit. Rom. an.1743. pag.235.* consensio. Mitto Datii Comitis, qui Augustini ætate florebat, aliorumque veterum testimonia, quæ jam allata ab iis scriptoribus sunt, quorum est paullo ante facta mentio. Quinetiam non est cur memorem chronica ab Assemano relata *Bibl. Orient. T. 1. pag.318. 420. 554.* quod mihi nunc ad monumenta Eusebii ætate longe recentiora numeranda otium non sit. At illud certum est, novorum Historicorum conjecturas anteponi antiquorum auctoritati non posse. Gravissimis enim argumentis agendum est, ut quæ jamdiu invaluit, ea hoc tempore labefactetur opinio. Atque Natalis Alexandri conjecturæ rejectæ a Tillemontio, & Grabio sunt satis, ut arbitror, solide, ac diligenter. Iisdem autem responsis, atque nonnullis aliis, quæ adhibentur a Lambecio, refelli commode poterunt, quæ sunt a Basnagio adjuncta: non enim est necesse, ut in re impedita, atque omnino dubia operam mihi esse diutius conterendam putem. De anno, quo gesta hæc fuisse creduntur, vide Tillemontium *ibid. not.* VI. *pag.* 614. & Lequienium *Orientis Christiani Tom.* 1I. *pag.* 624.

(1) De Miraculis Jesu Christi, & Apostolorum videndi Interpretes Actorum Apostolicorum, & qui Historiam Apostolorum descripserunt, ut Baronius *Annal. Tom.* 1. Tillemont. *monum. Hist. Eccl. Tom.* 1. Orsius *Hist. Eccl. Tom.* 1. *&c.*

§. III.

De Judæorum primis Ecclesiæ seculis in Christianos Sævitia.

NAM ut prædictum a Christo fuerat, (1) simulatque in populum efferre ejus nomen, prodigiisque confirmare religionis decreta Apostoli cœperunt, ab Judæis comprehensi, conjectique in vincula sunt, deindeque a Pontificibus, senioribusque jussi, ne quid deinceps simile divulgare (2) pergerent. Sibi enim inimici nominis Christiani turpissimum esse arbitrabantur, ejus famam percrebrescere, in diesque celebritatem augeri, quem ipsi a Pilato in crucem agi impetrassent. Itaque etsi negare non poterant, sanatum a Petro, & Johanne repente fuisse eum, quem plerique omnes quadraginta annorum intervallo paralysi laborasse cognorant, tamen (3) ne errasse viderentur, in sententia obstinate persistere, quam sua opera capitis a Procuratore condemnatum, ut Messiam, colere malebant. Sed hostium comminationes deterrere Apostolos nequiverunt, quin Sacerdotibus, populique Principibus responderent, nefas sibi esse tacere, quæ ipsi audissent, vidissentque. Paralyticum salutem esse consequutum virtute Jesu Christi, sine quo salus in homine nulla esse potest. Ergo illi ab Synedrio dimissi, cum multa esse intelligerent, quare negotio desistere non possent, tanta in prædicanda veritate diligentia versati sunt, ut magnum numerum hominum Christo (4) conciliarint, quibuscum vitam degebant commodorum, & felicitatis plenam. Interim, ut supra ostensum est, prodigiis res Christiana augebatur.

Quod cum Judæi ægerrime paterentur, iterum esse in Apostolos animadvertendum statuunt. Quamobrem eos in carcerem contrudunt, custodesque (5) ponunt, qui ne eis inde excedere liceat, curent. Sed sancti viri ab Angelo liberati, mane in templum ascendunt, plebemque instituere in Christi doctrina, & præceptis student. Interea Principes Sacerdotum, Senioresque populi concilium

(1) *Matth. cap. x. v. 17.*

(2) *Act. iv. v. 18.*

(3) Sic enim ajebant. *Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Hierusalem: manifestum est, & non possumus negare. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis &c. Act. iv. v. 16. & seq.*

(4) *Ibidem v. 32.*

(5) *Act. v. v. 18. & seqq.*

lium convocant, miniſtroſque, qui Apoſtolos e carcere educant, & ad ſe deferant, mittunt. Janitor aperto carcere neminem invenit. Redeunt ad Synedrium lictores, quidque ſibi contigerit, nunciant. Quo tempore unus aliquis opportune advenit, eoſque omnes, quos cludi Senatus juſſiſſet, in templo verſari, & populum docere ſignificat. Seniores veriti, ne ſi vi agant, perturbatio, tumultuſque in civitate oriatur, cum miniſtris in eum locum, in quo ſunt Apoſtoli, accedunt, atque ut ſe in Synedrium conferant, hortantur. Quod cupiunt, facile impetrant. Itaque Apoſtoli interrogati a Principe Sacerdotum, quamobrem cum prohibiti fuiſſent, nihilominus in vulgus efferre nomen, doctrinamque (1) Chriſti, reoſque mortis illius facere Principes, Senioreſque Judæorum auderent, reſpondent, id ſibi onus incumbere, ut Deo magis, quam homini cuiquam pareant. Excitatum a Mortuis Chriſtum eſſe, quem ipſi Principes, Senioreſque crucis ſupplicio interfecerant. Hunc liberatorem, ſervatoremque generis humani eſſe, ſine quo neque remiſſio peccatorum, neque ſalus eſſe mortalibus ulla poſſit. Judæi hac oratione irritati cogitant quibus modis illos cruciari, atque interire faciant. Sed Gamalielus, cujus magna erat apud (2) Senatores exiſtimatio, Apoſtolos e concilio removeri jubet. Qua re facta, quid ſit agendum patribus oſtendit. Fuiſſe aliquos dicit, qui de ſe multa jactare ſolerent. In his Theodam, & Judam Galilæum homines factioſos numerat. Horum ſectas, quoniam inſtinctu Dei conſtitutæ non eſſent, funditus periiſſe proponit. Igitur monet, ut libertatem abeundi Apoſtolis faciant. Chriſtianam religionem concludit, ſi humano, non divino conſilio introducta ſit, ſine ullo cujuſquam labore concidere debere. Omnes in Gamalielis ſententiam concedunt. Hoc addunt, cædi eos verberibus ante oportere, quam dimittantur. Summum ea res Apoſtolis gaudium attulit. Nam quod cæſi verberibus, contumeliaque affecti *pro Chriſti nomine* fuiſſent, id ſibi maxime eſſe glorioſum arbitrabantur (3).

Vix inde ſeceſſerant, cum iterum ſe ad nunciandum Evangelium pararunt. Igitur modo in templo, modo in privatis ædibus popu-

(1) *Ibid. v. 27. & ſeqq.*
(2) *Ibid. v. 34. & ſeqq.*
(3) *Ibid. v. 41. „ Et illi quidem ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti „ ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.*

populum (1) docebant, magnamque multitudinem hominum, ut Christum Messiam agnosceret, seque ei addiceret, inducebant. Paullo ante exitum xxx. æræ Christianæ anni, cum Ecclesia adeo crevisset (2), ut septem Diaconos constituere, eosque distribuendis iis, quæ ad victum, vestitumque pertinerent, præponere necesse fuerit, cum Stephanus ita pro Christo ageret, ut non Hierosolymitas modo, sed etiam Alexandrinos, Cyrenenses, Libertinos (3), Cilices, Asianosque Judæos convinceret, cogeretque, ut ne ejus quidem vultum, atque aciem oculorum ferre possent; sic eorum in se invidiam, atque odium concitavit, ut in ipsum impetum fecerint, exque urbe eductum, lapidibusque appetitum interfecerint. Hic primus Christianorum Martyrum fuit. Sæva tunc in nostros commota tempestas est. Itaque plerique fuga sibi salutem petierunt. Apostoli contra ibi manserunt, quod nondum sibi Hierosolymis discedendum esse putarent. Hujus vexationis Saulus minister fuit. Is cum Tharsi (4) in Cilicia natus, civisque Romanus esset (5), non Græcas, Hebraicasque litteras solum didicit, verum etiam adeo captus studio Pharisæorum (6) disciplinæ fuit, ut eos imitaretur, Christianosque, qui contrariis moribus viverent, in hostium numero haberet. Quamobrem rem Deo gratam se facturum putavit, si supplicium de ipsis, cum posset, sumeret. Itaque (7) eos Hierosoly-

mis

(1) *Ibid. v.* 42.

(2) *Ibid. cap.* VI. *v.* 1. *& seqq.*

(3) Sunt, qui *libertinorum* gentis nomen esse arbitrentur. Ita quidem Suidas ad vocem Λιβερτῖνοι. Ab eo non discrepant Tillemontius *Tom.* II. *Mon. Hist. Eccl. pag.* 2. *edit. Veneta*, & Johannes Seldenus Anglus vir alioqui eruditus in secundo libro *de jure Nat. & Gent. juxta Discipl. Hebræor. cap.* V. „ Ecclesia Libertinensis, *inquit*, in Africa habetur in Collatione Carthaginensi. Contra alii *libertos* Romanorum eos fuisse eentent. Atque his prævivit Johannes Chrysostomus *homil.* XV. *in Act.* Mihi eorum sententia videtur propius ad veritatem accedere, qui ex libertis natos, *libertinos* fuisse dictos contendunt. Nam servos manumissos *libertinos* fuisse appellatos nusquam reperio. Jam vero Hebræos, qui Romæ agebant, ex iis ortos plerosque fuisse, credibile est, qui a Pompejo, atque Antonio, & Sosio adducti in Urbem, & tandem manumissi fuerant. Philo *legat. ad Cajum pag.* 785. *edit. an.* 1613. „ Augustus, *inquit*, passus non fuisset Trans Tiberim bonam Urbis partem teneri a Judæis, quo„ rum plerique erant libertini, quippe qui belli jure in potestatem redacti, ab heris suis manu„ missi fuerant, permissi ritu majorum vivere. Quæ verba de iis intelligenda sunt, qui tunc viverent, procreatique ex libertis essent. Rursum Tacitus *lib.* II. *Annal. cap.* XV. „ Actum, *inquit*, & de sa„ cris Ægyptiis pellendis, factumque Patrum consultum, ut quatuor millia *libertini* generis ea super„ stitione infecta, queis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur. Romæ igitur libertini in Patriam reduces peenliarem sibi Synagogam constituerunt. Hos *Act.* II. Lucas idem *Advenas Romanos* vocat. Placet hæc Samueli Basnagio viro ceteroqui heterodoxo opinio, ad *ann.* 37. *pag.* 460.

(4) *Act.* VII. *v.* 57.

(5) *Act. cap.* XXI. *v.* 39. (6) *Act.* XXIII. 6.

(7) *Act. cap.* X. *v.* 1. *seq.* Civem Romanum fuisse Paulum, non quod Tharsus Colonia Romana esset, sed quod majores Pauli ejusdem a Romanis, ob rem bene aliquando pro republica gestam, dicti cives fuerint, ostendunt Ezechiel Spanhemius *in orb. Rom. p.* 140. *seqq. edit.* 1703. & Christophorus Cellarius *dissert. de Pauli Apostoli Romana civitate edit. an.* 1700.

mis primum (1) exagitavit. Sed cum, ut dictum paullo ante est, dispersi eorum permulti essent, eos conquiri, in urbemque deduci, atque exquisitis pœnis affectos interfici curavit. Tandem anno circiter XXXIV. æræ vulgaris, quo tempore Syriam peragrabat, nostrisque, nisi sibi assentiri, Christumque ejurare vellent, supplicia, cædesque minabatur, Damascum ingressurus a Christo acriter castigatus est, atque ita repente immutatus, ut qui ante inimicus Christianorum erat, is in *vas electionis* Christi, & religionis prædicatorem, ac vindicem converteretur. Quare ab Judæis Damascenis quæsitus ad necem, sportæ inclusus, demissusque e muro oppidi a fratribus fuit, & Hierosolymam contendit. Qua in urbe, cum iterum Judæos de ipso interficiendo cogitare comperisset, consistere diu non potuit. Itaque Cæsaream primum, tum Tharsum petiit, ibique mansit, quoad Barnabas post annos aliquot eodem venit, eumque perduxit Antiochiam. Interim pax restituta Ecclesiæ fuit.

Anno circiter XLIV. æræ Christianæ Petrus postcaquam varias Provincias peragravit, consilium Hierosolymam redeundi cepit (2). Herodes tunc Agrippas in Judæa regnum obtinebat. Erat is ex Aristobulo Herodis Magni filio, & Berenice Salomes Herodis ejusdem Magni Sororis filia natus, magnaque apud Imperatorem Claudium gratia valebat. Idem ut sibi Judæos conciliaret, statuit acerbe in Christianos, crudeliterque agere. Quamobrem Jacobum Johannis Evangelistæ fratrem comprehendi, & condemnari capitis coegit. Hoc ut suis civibus placere animadvertit, gratum eis iterum facturus, capi etiam Petrum, & conjici in catenas jussit. Sed cum Pascha instaret, differendum esse in aliud tempus illius supplicium putavit. Apostolus Angeli (3) beneficio solutus in cœnaculum, ubi erant Christiani perplures congregati, venit, mortisque periculum vitavit. Nam Herodes non diu post Cæsaream profectus, cum superbe ageret, punitus graviter a Deo est, animamque misere efflavit. Interea Ecclesiæ plerique sese conjugebant, religionemque Christianam non solum colebant, sed etiam late, longeque (4) propagabant. Eodem fere (5) tempore, quum Paulus, & Barnabas dicti gentium Apostoli fuissent, Seleuciam primum venerunt;

(1) *Act.* IX. *v.* I. *& seqq.* XXII. *&* XXVI.
(2) *Actor. cap.* XII. *v.* I.
(3) *Ibid. v.* 7. *& seqq.*
(4) *Act. cap.* XIII.
(5) *Ibid. v.* I. *& seqq.*

nerunt; poſt in Cyprum Inſulam navigarunt. Salaminam appulſi, quod oppidum in ea Inſula celebre erat, in Synagogam ingreſſi ſunt, verbumque Dei ſuis popularibus nunciarunt. Paphum inde concedendi conſilium ceperunt. Eo cum anno circiter XLV. perveniſſent, a Sergio (1) Paulo Proconſule accerſiti, ei religionis noſtræ doctrinam explicarunt,& Elymam quemdam improbum hominem, qui eis reſiſteret, Proconſulemque, ne fidem illorum dictis adjungeret,deterreret,ſingulari prodigio punierunt,& Sergium,ut Chriſtianum continuo ſe eſſe profiteretur, induxerunt. His geſtis Pergen, deinde Antiochiam Piſidiæ contenderunt. Ex conſuetudine cum in ſynagogam (2) Judæorum ſe contuliſſent, multiſque de Chriſto loquuti fuiſſent, atque plures induxiſſent,ut partibus Chriſtianis ſtuderent, non paucos Judæos offenderunt, qui mulierum etiam opera primarios cives incitaverunt, ut in Apoſtolos animadverterent, & ſuis finibus expelli juberent. His rebus intellectis Paulus, & Barnabas excuſſo e pedibus, ita ut præceptum a Chriſto fuerat, pulvere Antiochia, ut periculum effugerent, diſceſſerunt, atque Iconium (3) venerunt. Quo in oppido magnum numerum Judæorum, Ethnicorumque ſibi conjunxerunt, quod miracula patrarent, quibus religionem, quam prædicabant, veram eſſe oſtenderent. Sed cum in factiones diviſa civitas eſſet, & pars quidem Apoſtolis auſcultaret, pars contra invidia improborum aliquot Judæorum concitata

(1) Vide quæ de Proconſule Paulo Sergio habet Tillemontius *in vita Pauli Apoſt. not.* 14. *pag.* 548. *edit. Venet.* Cyprus inſula acceſſio Regni Lagidarum fuit. Ei Regis frater cum Reguli honore præerat: Horum regulorum poſtremus Ptolemæi Dionyſii, ſive Auletæ fuit, quem Romanorum cupiditas, inſtigante Clodio tribuno plebis, ut ſibi mortem conſciſceret, coegit. Tunc autem Romani & theſauris regiis, & inſula ipſa potiti ſunt. Jam uſque ab eo tempore Ciliciæ Provinciæ hæc inſula juncta, rectaque ab eodem Proconſule eſt. Vide Ciceronem *lib.* I. *Famil. Epiſt.* VII. Sunt, qui hanc deinde fuiſſe ab Cilicia ſejunctam putent. *Cellar. diſſert. de Amœnit. Hiſtoric. Geograph. ex itineribus S. Pauli pag.* 155. *edit. Diſſertationum an.* 1712. Sed deinceps civili bello nullum dubium eſt, quin ejus ſtatus fuerit immutatus. Nam ut auctor eſt Dio *lib.* XLIII. *pag.* 202. Cæſar victor Cyprum Arſinoæ, & Ptolemæo in Cleopatræ ſororis gratiam ἐχαρίσατο: *donavit*. Poſt cum Antonius triumvir eſſet, eamdem inſulam cum parte Ciliciæ Cleopatræ conceſſit, velut eſt memoriæ traditum a Strabone *lib.* XIV. *pag.* 1004. *edit. an.* 1707. Poſt Auguſtus Cyprum in provinciis, quas ipſe moderari ſtatuerat, numeravit. Verum mox cum Narbonenſi Provincia eam inſulam Senatui reddidit; quæ ex eo tempore a Proconſulibus regi cœpit, ut teſtatur Dio *lib.* LIII. *pag.* 504. & LIV. *pag.* 523. quo quidem in ſtatu ſub Auguſtis ſucceſſoribus manſit. Apud Gruterum extat inſcriptio *pag.* 360. Caligulæ tempore facta, quæ ſic habet. *Pro Conſule. Provinciam Cyprum obtinuit*. Quamobrem non aſſentior magno Baronio ad *an.* XLVI. *num.* 11. ajenti, Sergium una cum Cilicia Provincia Cyprum etiam rexiſſe. Conſul autem Sergius Paulus non fuit. Non enim erat neceſſe, ut ante Conſules eſſent, qui eo tempore Pro-Conſulis munere fungi debebant. Dio *lib.* LIII. *pag.* 504. Auguſtus Pro-Conſules dici voluiſſe in Provinciis ſcribit, *non eos modo, qui functi conſulatu in Urbe fuiſſent, ſed* καὶ τοὺς ἄλλους τῶν ἐστρατηγηκότων, ἢ δοκούντων γε ἐστρατηγηκέναι, *alios etiam prætorios, & qui prætoriorum loco haberentur*.

(2) *Act.* XIII. *v.* 14. *& ſeqq.*

(3) *Act. cap.* XIV. *v.* 1. *& ſeqq.*

citata, ne prodigiis quidem ad adjungendam assensionem (1) permoveretur, adeo aucta incredulorum vis fuit, ut impetu facto, Apostolos contumelia afficerent, & lapidibus occidere tentarent. Ergo inde Apostoli abierunt civitates Lycaoniæ (2) perlustratum (3).

Multis regionibus peragratis, anno circiter quadragesimo sexto Paulus & Silas Thessalonicam pervenerunt; ubi quod magnos (4) progressus fecissent, Judæorum aliquos irritaverunt, qui cum Gentilibus persuasissent Christianos, qui Jesum regem esse affirmarent, contra præcepta Cæsaris agere, ita eos incenderunt, ut de nece discipulis Christi inferenda cogitarent. Christiani ut aliquo modo vitare periculum possent, Beroeam noctu Paulum, ejusque socium Silam dimiserunt. Interea gravissima itinera Apostolus suscepit, utque suo munere fungeretur, prædicandi finem nullum sibi esse faciundum putavit.

Anno fere LIV. Corinthum (5) secessit, qua in urbe cum multos, interque hos Archisynagogum Sosthenem ad Christiana sacra adduxisset, Judæorum in se animos vehementer commovit, qui in Ecclesiam acerbissime sævierunt. Quin etiam Judæi Romani in Christianos (6) insurrexerunt. Eodemque modo sese gesserunt Hierosolymitæ, qui sæpe ac multum non Paulum modo, sed etiam Christianos ceteros (7) ad necem quærere non dubitarunt. Quamobrem mirabile visum nostris non fuit, quod urbs Hierosolyma ob tam gravia civium scelera solo æquata fuerit, Judæique omnes (8) in servi-

(1) *Ibid. v.* 2. „ Qui vero increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt, & ad iracundiam concitaverunt „ animas gentium adversus fratres. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Do- „ mino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa, & prodigia fieri per manus eorum &c.

(2) *Act. ibid. v.* 6. Hic tractus ex diœcesibus fuit, quæ Ciliciæ Proconsulatui quondam attributæ fuerunt, ut satis ostendit Sigonius *lib.* 1. *de Provinc. Roman. cap.* xi. Immutata deinde ratio administrandæ hujus regionis sub Augustis fuit. Qua de re consulendus eruditissimus Cardinalis Norisius *diss.* II. *in Cenotaph. Pisana cap.* xi. *pag.* 209. *edit. an.* 1681.

(3) Lystra urbium Lycaoniæ una erat. Illustrata est vero miraculis Pauli. *Act.* xiv. *v.* 7. *seqq.* Itaque Ethnicorum animos in ea Paulus, & Barnabas Christo conciliarunt. *Ibid.* Verumtamen Judæorum scelere factum deinde fuit, ut Paulus lapidibus appeteretur, & e civitate extraheretur, quod qui aderant, existimarent eum interisse. *Act. ibid. v.* 18. *& seqq.*

(4) *Act.* xvii. *v.* 1. *& seqq.*

(5) *Act.* xviii. *v.* 12. *& seqq.*

(6) Nam huc spectat, quod Suetonius *in Claudii* vita scribit, Judæos impulsore Chresto assidue tumultus fecisse. Vide quæ diximus *lib.* 1. *cap.* 1. §. x. *pag.* 70.

(7) *Act.* xix. *v.* 12. *& seq.. cap.* xxi. *v.* 27. *& seqq. cap.* xxiii. *v.* 12. *& seqq. cap.* xxiv. *v.* 1. *& seqq. cap.* xxv. *v.* 2. *& seqq.*

(8) Hoc Apostolis Christus prædixerat. *Matth. cap.* x. *v.* 23. *Amen dico vobis*, inquit, *non consumabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis*. Quæ verba eo spectant, ut plane indicent pœnas

servitutem redacti, inque longissimas regiones abducti sint, ut perpetuo exilio puniantur. Nihilosecius illi etsi tot sibi ærumnas evenisse cernebant, tamen incredibili odio nostros sunt homines (1) consectati. Itaque non solum calumnia agere, sed etiam omnia cruciatus exempla, dum potuerunt, in nos ipsos edere conati sunt. Verum-

pœnas, quas de refractariis Judæis sumere constituerat. Ac satis quidem explicate Judæis prænunciaras futurum, ut urbs, atque templum funditus everterentur. Vide *cap.* XXIII. *Matth. v.* 38. Lucæ *cap.* XIII. 35. XXI. 24. Quinetiam Paulus Apostolus I. *ad Thessalonic. cap.* II. *v.* 16. scribit *iram Dei* in Judæos pervenisse εἰς τέλος *in finem*. Quæ res diu ante prænunciata a Daniele Propheta fuerat *c.* IX. *v.* 27. Vide *Matth. c.* XXIV. *v.* 15. Quamobrem jure dictum ab Didymo seculi IV. illustri scriptore *lib.* III. *de Spiritu Sancto pag.* 33. *Tom.* IX. *opp. S. Hieron. edit. Rom.* est. *Usque ad consummationem mundi profugi, atque captivi in universis oberrant nationibus, non urbem, non regionem propriam possidentes.* Anno LXX. Æræ Christianæ excisa Hierosolyma sunt. Hujus vero excidii impietatem Judæorum caussam fuisse testatur Josephus *lib.* V. *de Bello cap.* XIII. *al.* XVI. *pag.* 362. *Tom.* II. *opp. edit. Haverc.* Plura, quæ huc spectent, complexus est Joh. Gulielmus Bagerus in ea *dissert.* quæ *de Christianorum migratione in oppidum Pellam imminente Hierosolymorum excidio* inscribitur, editaque est Jenæ *an.* 1694.

(1) Nam Judæi Romani apud Lucam *Act. cap.* XXVIII. *v.* 22. Paulum alloquentes: γνωστόν ἐστιν ἡμῖν, inquiunt, ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται. *Cognitum nobis est, quod ubique contradicitur* ei sectæ. Agebant autem de Christiana religione. Immo vero eidem Religioni maledicebant Judæi. *Luc. Act.* XIII. 45. XVIII. 6. *Jud. epist. v.* 10. Quod vero initio fecerunt, hoc numquam cessarunt insequenti ætate facere. Vide quæ ex Justino Martyre attuli supra *lib.* I. *cap.* III. §. 10. *pag.* 110. & ex Origene *ibid.* §. XXIII. *pag.* 157. Jam vero Tertullianus *lib. ad nationes* I. *cap.* XIV. *Caeditis*, inquit, *Judæo vulgus, quod enim aliud genus seminarium infamiæ nostræ?* Rursum *lib.* III. *contra Marcionem cap.* XXIII. animadvertit: *a Judæis cœpisse infamiam, & per ipsos blasphemari nomen Domini in nationibus*. Et *Apologet. cap.* VII. *Cum odio sui*, inquit, *cœpit veritas. Simul* atque apparuit inimica esse. Tot hostes ejus, quot *extranei, & quidem proprie ex æmulatione Judæi*. Vide Eusebium *lib.* IV. *Hist. Eccl. c.* XVIII. *& ad c.* XVIII. *Isaiæ pag.* 424. Ubi hæc habet „ significat etiam ul-
„ tra Æthiopum regionem, sive ultra extrema terræ maritimæ incolarum Judææ sonitum, seu quibus-
„ dam volantibus navibus delatum pervenisse, Apostolosque eorum Epistolas biblinas deferentes, ac
„ supra dorsum aquarum, in marique navigantes, ubique terrarum discurrisse, sermonem de Serva-
„ tore nostro calumniis vellicantes „. Hieronymus præterea ad caput V. *Isaiæ* 18. „ Ter, *inquit*, per
„ singulos dies in omnibus Synagogis sub nomine Nazaræorum anathematizant nomen Christianorum.
Consule eumdem ad *cap.* XLIX. *Isaiæ*, & *ad* LII. Accedit Epiphanii auctoritas, qui Hæresi XXIX. *c.* 9. *Tom.* I. *pag.* 124. „ Non solum, *inquit*, capitali odio Judæi Nazaræos persequuntur, sed & mane,
„ ac meridie, & ad vesperum, ter de die, cum in Synagogis suis ad orandum conveniunt, diris illos
„ devovent &c. Multa, quæ eodem spectent, collegit ex Talmudicis, aliisque Judæorum scriptis Sixtus Senensis *lib.* II. *Biblioth. Sanctæ*, ubi inter cetera ex Gemara ad Mishnam quartam in Cod. Berachot hæc profert „ Ut quilibet Judæus ter in die blasphemet omnem Christianorum gentem, ac Deum
„ precetur, ut confundat, exterminetque ipsam cum regibus, & principibus suis, atque hoc maxime
„ faciant Sacerdotes Judæorum in Synagoga ter quotidie orantes in odium Jesu Nazareni. Mitto, quæ congerunt Protestantes Georgius Eliezerus Edzardus *in Præfatione ad cap.* I. *Gemaræ Avoda Sara pag.* 30. *& seq.* & *ad cap.* II. *pag.* 312. Johannes Wulferus *in Theriaca Judaica pag.* 30. *& seqq.* Augustinus Pfeiferus *in Obtrectatore Apella*, aliique, quos recenset Fabricius *in salutari Luce Evangelii cap.* VI. *& de verit. relig. Christ. cap.* XXXVII. Quod vero non calumniis modo, sed etiam tormentis vexare nostros Judæi post eversa Hierosolyma conati sint, multis etiam interfectis, qui in eorum manus incidissent, cum aliis pluribus, tum exemplo Barchochebæ plane constat. Is enim extremo fere Hadriani Augusti tempore, cum suorum plerosque seduxisset, bellum Romanis inferre est ausus. Sed cum incredibili odio in Christianos ferretur, magnum eorum numerum comprehendit, omnique suppliciorum genere excruciavit. Justinus *Apol. quæ secunda dicitur pag.* 72. *edit. an.* 1615. ubi „ Proxi-
„ mo Judaico bello, *inquit*, Barchochebas defectionis Judæorum Dux, & Princeps, solos Christia-
„ nos ad gravia supplicia, nisi Christum abnegarent, & maledicerent, protrahere jussit. Vide Tillemontium *Tom.* II. *vit. Imperat. pag.* 286. *edit. Venet.*

Verumtamen manebit immota, invitis Judæis, Christiana religio: superstitio autem Judaica in caussa erit, cur miseri illi efferre caput, & urbem, ædemque sacram restituere (1) numquam possint. Atque etsi experti interdum fuerint, repressi tamen divina virtute illorum conatus sunt, & qui auctores inchoandæ rei fuerant, parem peccato pœnam pependerunt.

CAPUT

(1) Circa annum 134. Judæos duce Barchocheba urbem Hierosolymam, templumque restituere volentes, Hadrianus repressit. *Consule Tillemont. ibid. & seqq.* Immo vero e ruinis ejusdem urbis oppidum in vicino loco condi, & Æliam capitolinam vocari jussit, proposita Judæis pœna, si eo accedere tentassent. Consule Pagium *ad an.* 119. *&* 131. Baronium *ad an.* 137. Vaillantium *in Nummis Coloniarum Tom.* I. *pag.* 153. Christianum Sigismundum Liebeum *in Gotha Numaria pag.* 313. *& seqq.* Confer Aristonis Pellæi locum apud Eusebium *lib.* IV. *Hist. Eccl. cap.* VI. Tertullianus *adversus Judæos cap.* XIII. „ Et exinde, *inquit*, quod interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum. Et *Apologet. cap.* XV. Quanta deliquerint, probat exitus hodiernus ipsorum: di„ spersi palabundi, & cæli, & soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo, sine rege, „ quibus nec advenarum jure terram saltem vestigio salutare conceditur. Eodem spectant, quæ afferunt Hieronymus *in Isaiæ cap.* VI. *Tom.* III. *edit. Martianæi pag.* 65. & *in cap.* IX. *Daniel. pag.* 1117. & Sulpitius Severus *lib.* II. *H. cap.* XXXI. Restitutionem templi iterum Constantino Imperatore tentarunt, ut proditum memoriæ ab Johanne Chrysostomo est. *Homil.* VI. *Tom.* I. *edit. Montfaucon. Paris. pag.* 651. *Nam semel*, inquit, *& iterum, ac tertio sub Hadriano, sub Constantino, & Juliano Conatus illorum* (templi restituendi) *cohibitus est*. Et *homil.* V. *pag.* 645. *Sub Constantino*, inquit, *eadem aggressi sunt. At ille viso ipsorum conatu, amputatis illorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum per omnia loca circumferebat illos, tamquam fugitiva mancipia, & verberones, corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus; ac eos, qui per omnes regiones erant sparsi, erudiens, ne imposterum eadem conarentur.* Evenisse autem hæc circa 212. Imperii Constantini annum refert Cedrenus *pag.* 244. Sed cum Julianus potitus Regno est, Religionemque Christianam funditus delere constituit, ut inania esse ostenderet; quæ nostri de non restituendo Hierosolymitano templo prædicabant, consilium ejus instaurandi suscepit, Judæisque vectigalia, atque tributa remisit, quo facile opus aggredi, atque perficere possent. At miraculis prohibiti fuerunt, ne prosequi, quod incipere tentarant, possent. Nam ignes, qui e terra erumpebant, multos exussit. Qua re audita Julianus, ne ipse quoque sceleris pœnam lueret, negotio esse desistendum putavit. Confer S. Johannem Chrysostomum *homil.* IV. in Paulum Apost. *Tom.* II. *pag.* 492. *& hom.* V. *advers. Judæos Tom.* I. *edit. Montfauc. pag.* 646. S. Ambrosium *epist.* XL. *al.* XXIX. *ad Theodosium* S. Gregorium Nazianzenum *Orat.* IV. *pag.* 111. *Tom.* I. *opp.* Rufinum *lib.* I. *Hist. Eccl. cap.* XXXVII. Theodoritum *lib.* III. *Hist. Eccl. c.* XX. Socratem *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* XX. Philostorgium *lib.* VII. *Hist. cap.* IX. *&* XIV. & Juliani ejusdem Imperatoris *epist.* XXV. & Fragmentum *in edit. Sphanhemii pag.* 293. Ammianus Marcellinus *l.* XXIII. *cap.* I. de Juliano loquens „ Imperii sui, *inquit*, memoriam magnitudine operum gestiens propaga„ re, ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa, & interneciva certami„ na obsidente Vespasiano, posteaque Tito ægre est expugnatum, instaurare sumtibus cogitabat im„ modicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro „ præfectis: *sequitur*: Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque Provinciæ rector, „ metuendi globi flammarum prope fundamenta urbis assultibus erumpentes fecere locum exustis ali„ quoties operantibus inaccessum: hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum. Hæc ille ethnicus alioqui Scriptor. Judæorum testimonia ex Rabbi David Gansii Zemach *par.* II. *p.* 36. & Rabbi Gedaliæ Schalschelet Akkabala *p.* 109. protulit Wagenseilius *in Confutatione Carminis Lipmanni pag.* 231. Vide Joh. Morinum *exercitat. Biblic. pag.* 353. *& seqq.* Ac de his quidem rebus copiose etiam egit Johannes Albertus Fabricius homo de secta Lutheranorum *in salut. Lucæ Evang. c.* VI.

CAPUT VI.

De consilio ab Apostolis suscepto regiones Gentium peragrandi, deque eorum, imprimisque Petri, ac Pauli itineribus, & Evangelii apud Ethnicos propagatione.

§. I.

De consilio ab Apostolis suscepto Christianæ religionis in Ethnicorum Provinciis propagandæ.

ETsi conversio Judæorum ad sanitatem, eorumque, qui conversi fuissent, in colenda religione constantia summæ erat Apostolis (1) curæ; cum tamen præceptum eis a Christo Servatore esset, ut ne gentes in errore, divinarumque rerum ignoratione, in qua diu versatæ erant, consistere paterentur, statuerunt sibi in earum regiones esse transeundum. Igitur inductis ethnicis permultis, qui in Palæstina degebant, ut Christum consectarentur, & colerent, & dissensione, quæ ob eam rem inter Petrum, Christianosque Judaicis moribus assuetos orta erat, sublata, Syriam primum, tum alias gentium Provincias lustrarunt. De tempore autem, quo Apostoli discessisse Hierosolymis ferrentur, cum inquirerem, sic reperiebam. Fuisse olim in Ecclesia homines, qui tradiderint, jussos a Christo discipulos fuisse, ne ante annos a suo in cælum ascensu duodecim ex ea urbe secederent. Itaque esse eis, ut duodecimo anno abirent,

(1) Quare longa est in Judæis convertendis a Petro imprimis posita opera. Hine Ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς *Apostolatum Circumcisionis* datum ei a Christo fuisse Paulus *ad Galat. c.* 1I. *v.* 7. refert. Atque idem ipse Paulus *cap. eodem v.* 9. de Jacobo, & Johanne quoque agens, *nos*, inquit, *ad gentes*, αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομήν: *ipsi vero ad Circumcisionem*: Vero hæc Paulus dicit, non quod Petrus careret gentium Apostolatu. (Nam is *Act. cap.* xv. *v.* 7. Hierosolymitas alloquens, *viri fratres*, inquit, *vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit* PER OS MEUM διὰ τοῦ στόματός μου ἀκοῦσαι τὰ ἔθνη τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου *gentes audire sermonem Evangelii*.) Sed quod eo tempore, quo Paulus accepta Apostolatus auctoritate gentibus nunciabat doctrinam Christi, Petrus daret potissimum convertendis Judæis operam. At quæ prior sane epistola, quam Petrus scripsit, ad Judæos Christianos factos data est, ut quæ inscribatur. *Advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bythiniæ*. De altera, etsi sunt, qui perinde Judæis inscriptam esse arbitrentur, non satis tamen est exploratum. Rursum Jacobi Epistola directa est ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ *duodecim tribubus, quæ in dispersione*. Consule Schelestratium *part.* 1. *Antiq. Illustrat. pag.* 36. Extat *in selectis sacris* Johannis Braunii hominis alioqui de secta Lutheranorum commentatio, quæ ordine prima est, inscribiturque. *De Apostolorum epistolis ad quos scripta sint*. *Amstelod. an.* 1700.

abirent, Græcisque Evangelium (1) nunciarent, potestatem datam. In hac re explicanda magnam esse inter novos scriptores dissensionem. Aliquos esse, qui non *duodecim*, sed *duos* annos scribere Apollonium debuisse (2) putent. Contra inveniri nonnullos, (3) qui arbitrentur, ita fuisse Apostolis Hierosolymis consistendum, ut eis proximam Palæstinæ Syriam aliquando petere, legemque Christianam Judæis, ethnicisque exponere liceret. His assentiri quosdam non posse, quibus de Metropoleon originibus opinio nova placeret. Eorum principem Bacchinium esse. Huic fuisse persuasum, discipulos proficisci in alias urbes (4), atque provincias potuisse; Ecclesias autem constituere, quæ ab Hierosolymitana minime penderent, non item. Hoc illud esse τῷ μὴ χωρισθῆναι τῆς ἱερουσαλὴμ ante annos duodecim præceptum. Multos his omnibus adversari, qui ita Hierosolymis manere debuisse Apostolos arbitrentur, ut eis alio proficisci liceret, sedem autem alibi figere non liceret, nisi anno XI. (5) exacto. Aliorum aliquanto esse diversam sententiam. Hos quidem facile pati, ut aliquibus (modo brevi redirent), non ut omnibus data abeundi Hierosolymis potestas fuerit (6). Postremo eos, qui peritiores rerum Ecclesiasticarum videri velint, sic statuere: Apollonii, & Clementis Alexandrini de annorum (7) duodecim præscripta Apostolis a Christo mora traditionem cum Epistolis

(1) Apollonius, qui floruit extremo seculo secundo *apud Eusebium lib. v. Hist. Eccl. cap. XVIII.* mandatum fuisse Apostolis, ut vetus ferret traditio, scripsit, ἐπὶ δώδεκα ἔτεσιν μὴ χωρισθῆναι τῆς ἱερουσαλὴμ, *ne ad duodecim annos ab Hierosolymis separarentur*. Eodem spectant quæ habet Clemens Alexandrinus *lib. VI. Stromateon pag. 762. edit. Oxon.* διὰ τοῦτό φησιν ὁ πέτρος, εἰρηκέναι τὸν κύριον τοῖς ἀποστόλοις. Ἐὰν μὲν οὖν τις θελήσῃ τοῦ Ἰσραὴλ μετανοῆσαι, διὰ τοῦ ὀνόματός μου πιστεύειν ἐπὶ τὸν θεὸν, ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι. μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ οὐκ ἠκούσαμεν. „ Propterea dicit Petrus, „ dixisse Dominum Apostolis. Siquis ergo velit ex Israel pœnitentiam agere, & propter nomen meum „ credere in Deum, dimittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis „ dicat, non audivimus „. Locum hunc Clementis, cum ante mendosus esset, quod ad interpunctionem attinet, restituerunt Cavens *Hist. Litter. Tom. II. pag. 3.* Pearsonius *in lection. ad Act. Apostol. pag. 62.* Grabius *Specilegii Tom. 1. pag. 67.* Schelestratius *Tom. 1. Antiq. Illustr. dissert. 1. cap. v. art. 3.* Fabricius *in Codic. Apocrypho N. T. pag. 331.* Miror autem quid fuerit, cur diligentissimus alioqui Tillemontius *Tom. 1. Mon. H. E. pag. 649.* Cornelium a Lapide castigarit, quod a Clemente scripserit factam fuisse annorum XII. mentionem. Sunt enim Clementis verba satis luculenta.

(2) Vide Papebrochium *Conat. Chronolog. Historico dissert. II. de Sedibus Antiochena, & Romana num. 2.*

(3) Confer Henschenium *apparat. ad Chronolog. Pontif. exerc. III.*

(4) *Dissert. de Ecclesiast. Hierarch. originibus part. 1. cap. III. §. IV.* Ab ejus autem opinione non omnino abhorrere videtur vir clarissimus, & amicus meus Petrus Franciscus Fogginius *exercit. 2. de Itinere D. Petri & Apostolatu pag. 178.*

(5) Vide Fogginium *ibid.*

(6) Bellarminus *de Rom. Pontif. lib. II. cap. VI.* Baronii autem ad ann. Chr. XXXIX. *num. 22.* sententia est, jussos Apostolos fuisse Judæos præcipua cura instituere.

(7) Ac Baronius ipse *ad an. XLIV. num. 13.* Apollonii dictum in falsis ponere videtur.

ſtolis Pauli, *Actiſque a Luca editis*, quorum divina eſt auctoritas, pugnare (1). Principio ſatis eſſe perſpicuum: Petrum, & Johannem diu ante annum ab aſcenſu Chriſti in cælum duodecimum in Samariam (2) veniſſe. Secundo autem loco: Paulum anno circiter XXXVII. vulgaris (3) æræ Hieroſolymam contendiſſe, ac præter Petrum, & Jacobum minorem, Apoſtolorum vidiſſe neminem. Non eſſe autem veriſimile, ut præſentes non viderit. Longe tunc igitur reliquos Apoſtolos egiſſe. Nam tertio: ſi anno triceſimo, ac ſexto vulgaris (4) æræ Chriſtianorum conſtituta Sedes Antiochena a Petro eſt, quotum eſſe quemque poſſe, qui tum manſiſſe in principe Judææ urbe Apoſtolos arbitretur? Quid? Si vera Euſebius de converſione Edeſſenorum narret, nonne (5) hoc quartum eſſe argumentum, quo Apollonii teſtimonium ſuſpectum eſſe erroris videatur? Atque eſſe profecto traditionem Edeſſenorum longe Apolloniana (6) vetuſtiorem. Eſſe præterea exploratum, poſt adventum Pauli Petrum contendiſſe in Pontum, in Aſiam, in Galatiam Evangelium (7) nunciatum, deindeque anno XLII. Romam perveniſſe, principemque omnium Eccleſiam fundaſſe. Hoc quinti argumenti loco eſſe. Nam duodecimum a Chriſti aſcenſu annum, æræ Chriſtianæ aut quadrageſimum primum, aut quadrageſimum ſecundum fuiſſe, modo ſit eorum vera ſententia, qui vel XXIX. vel XXX. æræ Chriſtianæ anno Servatorem Jeſum ad Patris dexteram migraſſe putant. Jam vero perſuaderi nemini prudenti poſſe, licuiſſe Petro unius anni intervallo tot Provincias peragrare, totque Eccleſias conſtituere. Poſtremo ne Euſebium quidem probare, quam ex Apollonio retulerit, traditionem; ut qui aliquamdiu ante fuiſſe (8) fundatam Antiochenam Cathedram cenſeat a Petro, quam is Romam XLII. anno iter aggredi conſtituiſſet. Etenim difficile videri, ut minus uno anno Petrus conſtiterit Antiochiæ, totque deinceps provincias, quot ſupra numeravimus, luſtrarit. Nihil autem eſſe cauſſæ, cur

(1) Tillemont. *in vit. Matthiæ not.* VI. *pag.* 648. *edit. Venet. Tom.* 1. *Mon. Hiſt. Eccl.*

(2) *Act.* VIII. *v.* 14. *& ſeqq.*

(3) *Ad Gal.* 1. *v.* 18. 19. Conſule Tillemontium *Tom.* 1. *Monum. Hiſt. Eccl. pag.* 203. *& ſeqq.* & *pag.* 648. *& ſeqq. edit. Veneta*.

(4) Namque veteres ſeptennio rectam Antiochenam Eccleſiam a Petro fuiſſe ſcribunt. Vide Tillemontium *Tom.* 1 *Mon. Hiſt. Eccl. pag.* 518.

(5) Vide quæ de hac re diximus *capite ſuperiore*.

(6) Conſtat ex Euſebio loco indicato *cap. ſuperiore*, quo loco *de Epiſtolis Abgari ad Chriſtum, & Chriſti ad Abgarum* agit.

(7) Vide Tillemontium *ibid. pag.* 161.

(8) Confer Tillemontium *ibid. pag.* 648.

cur nos ea auctoritate ducamur, quam ne illi quidem Historico, qui retulerit, placuisse constet. Quæ cum ita sint mirabile non videri, si qui Apollonii traditionem probent, ii quidem ante in ea explicanda, cumque vetere historia componenda, magnopere implicentur.

Nam Papebrochium, qui pro *duodecim annis*, legere debuisse antiquos scriptores *duobus* existimat, contra omnes criticæ facultatis regulas agere. Enschenii autem sententiam, qui ita legem interpretetur, ut neget violari eam ab Apostolis potuisse, si ante annum duodecimum in proximas Judææ provincias secessissent, defendi non oportere. Etenim Christum, si ullam ejusmodi legem tulit, ita Apostolis, ut Hierosolymis consisterent, jussisse, ut eis alio abeundi potestatem reliquam nullam (1) fecerit. Esse præterea Bacchinii commenticiam opinionem. Tradi namque ab Apollonio, præceptum Apostolis fuisse, non ut Ecclesiam nullam constituerent, quæ ab Hierosolymitana minime penderet, sed ut ne ex ea urbe excederent. Quod addunt nonnulli, de *generali secessione* Apostolorum esse Apollonium loquutum, ne id quidem componi cum Apollonii verbis posse. Esse antiqui illius scriptoris manifestam, explicatamque sententiam. Quod si res ita se, ut illi existimant, haberet; tunc nihilominus neque eos, neque Apollonium vera dicere. Narrari a Paulo, neminem ab se circa XXXVII. æræ Christianæ annum, exceptis Petro, atque Jacobo, visum Hierosolymis Apostolum fuisse. Nisi vero hæc fuit, qua factum est, ut ceteri Apostoli abessent, quam esse *generalem secessionem* potuisse arbitrentur? Nam quamdiu Jacobus Apostolus vixit, nullum fere tempus fuisse, quo Hierosolymis unus aliquis Apostolus non maneret. An igitur esse aliquem tam amentem putant, qui *generalem secessionem* numquam contigisse existimet? Nihilo magis vera esse, quæ aliqui de alia sede ab Apostolis, præter Hierosolymitanam, ante annum duodecimum non constituenda scribunt. Apollonium enim non de sede, sed de discessu, separationeque Apostolorum Hierosolymis esse loquutum (2). Esse igitur eorum verisimiliorem opinio-

(1) Satis est, ut diligenter Apollonii sententiam quisque consideret, si perspectum habere velit, quam sit Henschenii contorta interpretatio.

(2) Neque enim vis eorum argumentis ulla, si quid capio, inest. Nam primum quod afferunt ex *Act. Apost. cap.* VIII. *v.* 1. Apostolos post Stephani mortem, cum ceteri essent dispersi, Hierosolymis constitisse, etsi revocari in dubium non potest, efficere tamen nequit, licuisse Apostolis in alia oppi-

da

nem, qui Apostolos, posteaquam aliquamdiu versati Hierosolymis fuissent, inde excessisse, abiisseque in aliquas Provincias, ut cuique opportunum est visum, Evangelium prædicatum, e quibus deinde in alias, quæ propinquæ essent, penetrarint, atque eo pacto latissime propagarint Christianam religionem.

Sed etsi nihil de ea re statui certi potest, cum tanta sit scriptorum veterum, novorumque in eadem tradenda, expendendave dissensio, tamen negari non posse arbitror, Apostolos, antequam separati essent, convenisse, modumque descripsisse, quo essent novi discipuli in doctrina Christiana instituendi, ut summa omnium consensio in decretis religionis non tuendis modo, sed etiam recitandis esset. Itaque præcipuis religionis Christianæ capitibus brevi oratione (1) comprehensis, quo memoriæ ab imperitis etiam facile commendari possent, non uno tempore omnes, sed, ut ex usu Ecclesiæ fuit, Apostoli ex Palæstina profecti in provincias abierunt, quarum pleræque Populo Romano, aliæ barbaris Regibus parerent.

§. II.

da migrare; sedem vero alibi usquam figere non licuisse. Simile hujus est alterum ex 1. *Epistola ad Galatas capite v. 17.* expressum. Etenim dum Paulus scribit: *neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, & iterum reversus sum Damascum*, nihil statuit aliud, nisi aut omnes, aut aliquos Apostolos, quos suos *antecessores* vocat, quarto summum a Resurrectione Christi anno Hierosolymis egisse. Hinc vero quo tandem modo concludi, efficique potest, fas Petro, ceterisque Apostolis fuisse alias urbes peragrare, sedem vero, præterquam Hierosolymis, figere nefas fuisse? Quodsi Apostoli, qui Hierosolymis erant, baptizatum fuisse Cornelium a Petro intellexerunt, anno, si quidem placet, 35. æræ Christianæ, quid inde elici poterit, quod vim majorem ad eam rem demonstrandam, quam adversarii vellent, obtineat? Extremum quod proferunt de Petro, qui posteaquam Joppen, Lyddam, aliaque nonnulla oppida circumcursavit, Hierosolymam reversus sit, minus habet, mea quidem sententia, virium. Nam inde sequeretur, ne post duodecimum quidem annum integrum Apostolis fuisse sedem extra principem Judææ urbem figere, cum diu etiam post XII. illum annum Petrus ipse Hierosolymam redierit. Atque hoc, quod ajunt de sede non figenda, videant ne traditionem alteram, quæ est de Antiochena sede ante Romanam constituta, funditus labefactet.

(1) Neque enim symbolum; quod Apostolicum vocatur, in omnibus Ecclesiis jam usque ab antiquissimis temporibus obtinuisset, nisi ab Apostolis, virisque Apostolicis, quod ad sententias fere omnes, quas continet, spectat, compositum fuisset. Quod si aliqua erat in verbis diversitas, ea aut exigua erat, aut non erat ejusmodi, ut sententiæ vim eandem non haberent. Non nego articulum aliquem, quod ita ratio instituendi novos Orthodoxos contra hæreticos nonnullos posceret, fuisse additum. Sed id additamentum non efficit, ut Apostolis symbolum omnino adscribi non possit. Sed de hac re disseram, ubi erit instituendus de Catechumenis sermo, quo etiam loco ostendam, probari nequire quorumdam opiniones de articulis, quos Apostolus quisque pronunciarit, de loco, in quo conditum symbolum fuerit, deque aliis rebus ejusmodi, quæ sunt minus, ut arbitror, verisimiles.

§. II.

De Sanctorum Apostolorum, imprimisque Petri, & Pauli itineribus.

QUas autem regiones lustraverint, non facile est existimare. Sunt enim veteres novique historici in eis describendis inter se magnopere discrepantes. Quos cum evolverem, sic inveniebam. Fuisse aliquos, & hos quidem antiquos imprimis, magnæque existimationis homines, qui Andream Petri fratrem ad (1) Scythas, Thraces, Achivosque abiisse, ut quod sibi esset impositum, Apostoli munus obiret, arbitrarentur. Recentiorum autem Græcorum ne verisimilem quidem esse opinionem, qui Byzantiorum (2) Episcopatum ab eodem Apostolo fuisse institutum scripserunt. Nam Jacobum Zebedæi filium duodecim tribubus, quæ dispersæ fuerant, Evangelium (3) nunciasse. Phrygiam obtigisse Philippo (4), qui Hierapoli decesserit. Jacobum minorem Hierosolymis (5) constitisse, ibique Judæos docuisse quæ credere deberent. Ad Indos se

 con-

(1) Origenes apud Eusebium *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* I. Ἀνδρέας, inquit, τὴν σκυθίαν. *Andreas Scythiam*. Idem statuit Hippolitus, quem Fabricius laudat *salut. Luce Evangel. cap.* v. *pag.* 90. Addit is ipse Thraces: Ἀνδρέας, inquit, σκύθαις, & θρᾳξίν. *Andreas Scythis, & Thracibus*. Epirum quoque cum Apostolum petiisse tradit Gregorius Nazianzenus *Orat.* xxv. *pag.* 438. *Tom.* I. De Achaja luculenta sunt Hieronymi *epist. alias* CXLVIII. *p.* 171. *P.* I. *T.* IV. *opp. edit. Martianæi* verba. Adisis Tillemontium *Tom.* I. *Mon. Hist. Eccl. pag.* 318. *& seqq. edit. Veneta*. Ac de his quidem Ecclesiis, quas ab Andrea fuisse constitutas ferunt, erit II. *parte hujus libri* accurate dicendum.

(2) Vide Tillemontium *ibid. in vita* S. *Andreæ not.* I. *pag.* 188. Lequienium *Tom.* I. *Orientis Christiani pag.* 10. Natalem Alexandrum *Hist. Eccl. sec.* I. *cap.* VIII. At erit nobis *in secunda hujus libri Parte* de hac item re disputandum.

(3) Ita quidem Sophronius *in Interpret. Graca Libri de viris illustrib. Tom.* II. *opp. S. Hieronymi pag.* 943. *edit. Vallarsi*. Beda *in Collectaneis Tom.* III. *opp. pag.* 485. cum in Hispaniam quoque contendisse Evangelium prædicatum scribit. Sed de hoc Jacobi itinere alias.

(4) Sic enim habet Sophronius *ibid. pag.* 943. Walafridus Strabus de S. Philippo canit hoc modo *Tom.* XV. *Biblioth. Patrum edit. Lugdun. pag.* 253.

Barbara, qui docuit doctrinis agmina sacris
Credere per Scythiam salvantem secula Christum,
Inde Asiam properat sanctis convertere byblis;
Sic felix Asia convertit dogmate regnum,
In qua post obitum fatali sorte quiescit.

Sed de Philippo *erit* II. *Parte hujus libri* agendum. Interea videntor Tillemontius *Tom.* I. *Mon. Hist Eccl. pag.* 384. *& seqq.* & Bollandiani *Tom.* I. *mens. Maji pag.* 10. *& seqq.*

(5) *Euseb. Hist. Eccl. lib.* II. *cap.* I. *& Hieronym. lib. de Viris Illustr. cap.* 2. *pag.* 817. *Tom.* II. *opp. edit. Vallarsi*.

contulisse (1) Bartholomæum, post in Armeniam venisse, & functum vita fuisse (2) Albanopoli, quod majoris Armeniæ oppidum esset. A Matthæo Persiam, partemque (3) fuisse Æthiopiæ peragratam. Parthis Thomam, Indisque Evangelium (4) proposuisse. Johannem & Romam venisse, & in minore (5) Asia diu mansisse, atque in Pathmum insulam fuisse a Domitiano relegatum. Etenim Simonem (6) Cananæum Jacobo Episcopo urbis Hierosolymæ successisse. Atque esse plerosque, qui Judam Thaddæum lustrasse Mesopotamiam (7), ac Pontum defendant. Matthiam denique partem alteram Æthiopiæ (8) petiisse, agrestesque homines, ut mansuescerent, utque Christiana Sacra colerent, movisse.

Longe esse certiora, quæ de Petri, Paulique itineribus memoriæ tradita fuerunt, quod partim Actis Apostolicis, partim Epistolis Pauli contineantur. Esse de ipsis aliqua ab antiquis Patribus scripta, quæ etsi non tam certa sunt, quam ea, quæ in divinis libris leguntur, tamen revocari in dubium non possint, propter eorum, qui eadem scripserint, auctoritatem. Ergo cum Petrus Judææ, Samariæ, & Galilææ permulta oppida (9) percurrisset, in principem Syriæ urbem Antiochiam venit, eamque Ecclesiam, quam incœptam (10) ab aliis invenerat, suo labore mirifice auxit, & sancte, integreque aliquamdiu (11) administravit. Æqua enim res videbatur, ut

(1) Vide Eusebium *lib.* v. *Hist. Eccl. cap.* ix. Socratem *lib.* i. *Hist. Eccl. cap.* xix. & Rufinum *lib.* i. *cap.* ix. Hoc autem nomine citeriores Indos Æthiopiæ vicinos intelligunt.

(2) Οὐρβανόπολιν vocat Nicetas *pag.* 396. & Pseudo Dorotheus Κορβανόπολιν. Videndus Tillemontius *ibid. pag.* 397. *& seqq. edit. Veneta.*

(3) Vide Socratem *lib.* i. *cap.* xix. Tillemontium *ibid. pag.* 390. *& seq.* De Matthæi peregrinationibus agunt etiam, præter multos alios Protestantes, Jobus Ludolphus *comment. ad Histor. Æthiop. pag.* 280. & Joh. Alb. Fabric. *salut. Lucæ Evang. cap.* v. *pag.* 105.

(4) Quod ad Parthos attinet, vide Eusebium *lib.* iii. *cap.* i. qui locum Origenis *ex* iii. *Tomo in Genesi* affert. De Indis, quibus Thomas prædicarit, loquitur Ambrosius in *Psal.* xlv. Gregorius Nazianzenus *Orat.* xxv. *pag.* 438. *Tom.* i. *opp.* Sed de his alias.

(5) In secunda hujus libri parte erit de Johanne, ubi de Propagatione Evangelii in minore Asia agemus, opportunior copiose dicendi locus.

(6) Consule Tillemontium *ibid. pag.* 399. *& seqq.*

(7) Tillemont. *ibid. pag.* 402. *& seqq.*

(8) Tillemont. *ibid. pag.* 406. Hæc ego leviter attigi, quod eadem in ii. hujus libri parte fusius persequi constituerim.

(9) Vide quæ dixi *cap. Superiore* §. 2. *&* 3.

(10) Confer *cap.* xi. *Act. Apost. v.* 19. *& seqq.*

(11) Vide Origenem *homil.* vi. *in Lucam* T. ii. *opp. p.* 137. *edit. an.* 1604. Eusebium *l.* iii. *c.* xxxvi. *pag.* 130. *edit. Cantabrig.* S. Hieronymum *commentar. in epist. ad Galat. Tom.* iv. *opp. edit. Martianæi*. Et *de viris Illustribus cap.* xvi. *pag.* 841. *T.* ii. *edit. Vallarsi.* Innocentium i. *Pont. Max. epist.* xxiii. *ad Bonifacium Presbyterum pag.* 850. *& epist. ad Alexandrum Episcopum Antiochenum* epist.

ut qui primas in Collegio Apostolorum partes obtinebat, ei regendæ Ecclesiæ, in qua est primum auditum nomen Christianorum, negotium daretur. Itaque nemini post ea tempora dubium fuit, Episcopos Antiochenorum dici successores Petri (1) oportere. Hierosolymam deinde, quod ita res Christiana posceret, revertit (2). Quam in urbem Paulus circa annum XXXVII. venit, propterea quod dictum eum ceterorum principem fuisse sciret, cumque eo colloqui optaret. Paulo post dies quindecim dimisso, Petrus venisse jam tempus illud arbitratus, quo sibi e Syria discedendum, inque alias regiones, ut imperata magistri faceret, abeundum esset, antequam Romam navigaret, Pontum, Galatiam (3), Bithyniam, & Cappadociam peragravit, multisque, ut facile crederent, inductis, cœtus Christianorum in eis provinciis plerosque instituit.

Anno Claudii Augusti secundo, qui æræ Christianæ secundus atque quadragesimus fuit, Romam (4) pervenit. Cum ulline in Urbe

epist. LXXV. *pag.* 851. *& seq. Tom.* I. *epist. Romanor. Pontific. edit. Constantii*. Multa præterea in hanc rem laudantur veterum Scriptorum a Tillemonsio *Tom.* I. *Mon. Hist. Eccl. pag.* 159. *edit. Veneta*, & a Petro Francisco Fogginio *Exercitatione* IX. *operis de Itinere S. Petri*, *& Episcop. pag.* 157. S. Johannes Chrysostomus *homil.* LXII. *Tom.* I. *opp. edit. an.* 1621. *pag.* 567. diu S. Petrum Antiochiæ constitisse scribit.

(1) Vide eos, quos modo laudavi, imprimisque Eusebium *l. c.* Consule Tillemontium *ibid.* & Lequenium *Tom.* II. *Orientis Christiani pag.* 674.

(2) Ita quidem texuit seriem itinerum Tillemontius *vit. Petri Art.* XXVII. *& seq. pag.* 160. *& seq. edit. Veneta*. Eum ego distinctionis caussa, non quo certum id esse putem, sequi doctissimi viri ordinem statui. Ceterum etsi Patres, quos nominavi, Petrum ante quam Romam venisset, Antiochenam Cathedram fundasse tradant, idque verisimillimum esse censeam, tamen quo anno Antiochiam primum pervenerit, disertis verbis non statuunt. Neque est, cur statui satis solide a quoquam posse, arbitremur. Nam quod Lequenius *l. c. pag.* 675. *& pag.* 699. anno circiter 44. æræ Christ. Antiochenæ Sedis initia ponat, id neque ostendi ullo satis gravi monumento potest, & cum Eusebio, aliisque Antiquis pugnat, qui summa consensione & a. Claudii Imperii anno, hoc est XLII. æræ *vulg.* Petrum Romam venisse, & ante illud tempus instituisse Antiochenam Sedem prodiderunt.

(3) Origenes apud Eusebium *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* I. *pag.* 88. *& cap.* IV. *pag.* 91. *edit. Cantabrig.* Adeundus Tillemontius *l. c. Art.* XXVIII. *pag* 161. *edit. Venet. & not.* XXVI. *pag.* 519.

(4) Petrum Romam venisse tam certum est, ut vix alia reperiri testatior historia possit. Namque Clemens Rom. Petri auditor, Ignatius Martyr Johannis discipulus *in ea epist. quæ est ad Romanos scripta*, Papias Hierapolitanus, qui Johannem seniorem audivit, apud Euseb. *Hist. Eccl. lib.* III. *c.* XXXIX. Dionysius Corinthiorum Episcopus auctor imprimis antiquus apud *Euseb. lib.* II. *cap.* XXV. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus Carthaginensis, uno verbo ceteri omnes, qui de Petri itineribus loquuti sunt, eum Romam venisse narrant. Eorum Scriptorum testimonia recensent Baronius ad *annum* XLIV. *num.* 27. *seq.* Bellarminus *lib.* II. *de Rom. Pont. cap.* 1. *seq. Tom.* I. *opp. edit. Nova Venet.* Natalis Alexander *dissert.* XIII. *in sec.* I. *pag.* 168. *edit. Luc. T.* I. *H. E. N. T.* Augustinus Calmetius *dissert. Præfixa comment. in epist.* 1. *S. Petri*, aliique innumeri. De hoc argumento integrum volumen eruditionis, atque gravitatis plenum edidit vir clarissimus Petrus Franciscus Fogginius, quem consule. Adeo autem perspicua ea res est, ut etsi fuerint nonnulli Protestantes, qui id ausi fuerint negare, post peritiores harum rerum inter ipsos, etsi male essent in Romanam Ecclesiam animati, concedendum esse confessi sunt. Ita Caveus *Hist. Litt. part.* I. *pag.* 4. *& part.* II. *pag.* 2. Hammondus *dissert.* V. *de Episcopis, & Presbyteris*, Pearsonus *opp. Posthum. pag.* 27. 32. 43. *&c.* Grotius *in* 1. *Petri*

Urbe Christiani ante ea tempora Evangelium prædicassent, investigarem, multa in iis historicis, quibus plurimum crederem, inveni, quæ me in eam opinionem adducerent, ut neminem ante Petrum functum illo munere fuisse arbitrarer. Compereram enim ab Dionysio Corinthiorum Episcopo vetere auctore imprimis traditum memoriæ fuisse, primordia Christianæ religionis in Urbe esse a Petro repetenda (1). Eodem Irenæi Episcopi Lugdunensis sententiam spectare. Esse his duobus alios plerosque consentientes (2), quorum etsi parem esse nequire, esse tamen multam oportere auctoritatem. Ab his si novi aliqui, aut malevolentia in Romanam Ecclesiam, aut contradicendi voluntate incitati, dissentiant, non esse eorum dicta vetustati anteponenda. Nam quod Basnagius (3) Petrum censeat Judæorum, non Ethnicorum Apostolum fuisse, nihil id impedire, quo minus Romam primum omnium Petrum venisse, religionemque Christianam intulisse arbitremur. Ac leve præterea esse, quod is ipse Basnagius adjungit: si Petrus Romanos instituisset, ad eos Paulum numquam scripturum fuisse. Scribere namque ad eas etiam gentes Paulum consuesse, quas ab Apostolis aliis doctrinam accepisse (4) certum erat. Pendi autem nihil debere, quod tertio loco animadvertit; Judæos nempe, qui Romæ agerent, non fuisse interrogaturos Paulum de religione, quam ipse profiteretur, si eam nunciatam in Urbe a Petro fuisse (5) accepissent. Nam si alii, ut visum Basnagio est, doctrinam Christi Romæ ante vulgarant, quam eo Petrus, ac Paulus appulissent, neque ea res fuit impedimento, quin ex Paulo Judæi Romani, quæ esset Christiana religio

Petri v. 13. Usserius *ad ann. 66. 67.* Daniel Chamierus *Panstrat. Tom.* II. *lib.* XIII. *cap.* IV. Blondellus *de Primat. &c. pag.* 14. *& seq.* Patricius Junius *in not. ad epist. S. Clement. ad Corinth. apud Labbeum Concil. Tom.* I. *edit. Veneta pag.* 172. Josephus Scaliger *in not. ad Chronicon Eusebii*, *& in libris de Emend. Tempor.* Thomas Ittigius *Hist. Eccl. sec.* I. *cap.* IV. Samuel Basnagius *ad ann.* 64. *n.* 9. *& seqq.* aliique, quos recenset in opere mox indicato *pag.* 9. *& seq.* Petrus Franciscus Fogginius.

(1) Nam Dionysius Corinthius apud Eusebium *lib.* II. *cap.* XV. *Hist. Eccl. pag.* 84. *edit. Cantabrig.* „ *Ita & vos*, inquit, *ex tanta admonitione vestra plantationem* φυτείαν *Romanorum*, *& Corinthiorum a Petro*, *& Paulo factam commiscuistis &c.* Similia habet Irenæus *lib.* III. *contra Hæreses cap.* III. *pag.* 175. *edit. Massuet. Paris.* Plantata igitur, his referentibus, fuit Romana Ecclesia a Petro, & Paulo. At Paulus prima ejus fundamenta non jecit. Nam erant Romæ, dum ille venit, Christiani. Restat igitur ut ea fundata a Petro fuerit, quamque huic Apostolo Paulus deinceps ad delendam superstitionem Romanorum cum Ethnicorum, tum Judæorum socium se, atque adjutorem adjunxerit.

(2) Vide Fogginium *ibid. pag.* 91. *& seqq.*

(3) *Ad an.* XLIV. *pag.* 524.

(4) Neque intelligo cur si Petrus prædicasset, scribere Paulus non potuerit, cum scripserit iis, quibus jam fuisse prædicatam ab aliis religionem constaret.

(5) At nunciatam fuisse certum sibi esse Basnagius ibidem affirmat. Puerile est autem, nolo enim gravius dicere, negare, quæ ante ipse dixeris tibi esse certa.

ligio quærerent ; quid erat , cur idem percuntari nequirent , si ea in Urbem Petri opera invecta fuisset ? Extremum de Christianis , qui in Urbe Tiberii ætate versarentur , inane omnino esse . Vetus enim monumentum extare nullum , quod simile quidpiam possit efficere . Orosium, qui id retulerit , neque tam antiquum , neque tam (1) diligentem historicum esse , ut ab iis , qui versati in hoc genere sint , extorquere assensionem posse videatur . Quodsi auctore Tertulliano Tiberius Christum in Dis ponere decrevit , fieri id quidem facile potuisse , quin ulli Romæ Christiani degerent (2) .

Quum Petrus in Urbe esset , magnosque prædicando progressus faceret , Simonem magum , de quo supra (3) demonstratum est, multa apud plebem auctoritate valere (4) , propterea quod præstigiis , maleficiisque delectaretur , accepit . Itaque ne improbi , sceleratique hominis artibus populus Romanus a cognoscenda , probandaque veritate deterreretur , Petrus castigandi ejus , coercendique consilium (5) suscepit . Interea priorem Epistolam ad disper-

(1) Multa in hanc rem egregie disputat loco mox indicato Fogginius *pag.95. & seq.*

(2) De hac re dicam paullo post in eo hujusce libri capite , ubi de Imperatorum quorumdam erga Christianos benevolentia disseram .

(3) *Cap.* v. §. II. *pag.* 297. Veteres Patres omnium hunc Simonem veterum hæreticorum parentem fuisse affirmant . Vide Irenæum *lib.* I. *cap.* XXIII. §. V. *pag.* 100. *cap.* XXIV. §. I. *cap.* XXVII. §. I. & II. *pag.* 105. *& seq. & Præf. lib.* II. §. I. *pag.* 115. ubi ,, Nos , *inquit* , progenitoris hæreticorum do- ,, ctrinam , Simonis Magi Samaritani , & omnium eorum , qui successerunt ei manifestavimus , & *lib.* I. *cap.* XXVII. §. IV. *pag.* 106. ,, Nunc , *inquit* , necessario meminimus ejus , ut scires , quoniam om- ,, nes , qui quoquo modo adulterant veritatem , & præconium Ecclesiæ lædunt , Simonis Samaritani ,, Magi discipuli , & successores sunt : quamvis non confiteantur nomen Magistri sui ad seductionem reliquorum &c. Simon æquari Christo volebat . Consule Irenæum *lib.* I. *cap.* XXIII. *pag.* 99. Justinum *Apolog.* quæ secunda dicitur , etsi est prima revera *pag.* 69. *opp. edit. an.* 1615. Clementem Alexandrinum *lib.* II. *Strom. cap.* XI. Hinc eum Simoniani δύναμιν τοῦ Θεοῦ *Dei virtutem* appellabant . Origenem *contra Celsum lib.* V. *p.* 272. *edit. Cantabrig.* & S. Augustinum *lib. de Heresibus c.* I. Samaritam fuisse Simonem contendunt veteres , Just. Mart. *Apolog. eadem pag.* 69. Epiphanius *heresi* XXI. *pag.* 55. & auctor *recognitionum Clement. lib.* I. *cap.* XII. Vide Johannem Baptistam Cotelerium *in notis ad lib.* II. *cap.* VII. *Constit. Apostol.* Sed novi quidam Cyprium fuisse arbitrantur freti Josephi Judæi auctoritate , qui *lib.* XX. *cap.* VII. *Antiq.* Simonem quemdam Judæum Magum in Cypro natum commemorat . Placet hæc opinio Thomæ Ittigio *de Hæresiarch. ævi Apostol. pag.* 26. 27. Johanni Christophoro Wolfio *in curis Philolog. ad Acta Apost. pag.* 1125. Sigeberto Havercampio *ad Joseph. Antiq. pag.* 696. aliisque; sed utra vera sit opinio , parvi refert .

(4) Quæ res ex eo patet etiam , quod statuam illi Romani , ut Deo , posuerint . Vide Justin. Mart. *l. c. pag.* 69. & 91. Irenæum *lib.* I. *cap.* XXII. Id ipsum est traditum a Tertulliano, Cyrillo Hierosolymitano , Eusebio , Theodoreto , & aliis , quorum testimonia refert Maranus *in nov. edit. operum* Justini . Justinum , eosque, quos nominavi, Patres sequuntur Tillemontius *Tom.* II. *Mon. Hist. Eccl. pag.* 340. *edit. Paris.* Monachi Benedictini *Congr. S. Mauri in nov. edit. opp. S. Justini* , & e Protestantibus Stianus Thirlbyus *in notis ad Justini opp. pag.* 40. Contra agit Anabaptista Antonius Vandale singulari *diss. subjecta diss. de Oraculis pag.* 579. Mitto ceteros, ne sim longus .

(5) Jam usque a tertio seculo fuerunt Scriptores, qui existimarent, Simonem Romæ Imperatore Claudio , aut si mavis Nerone , promisisse civibus fore , ut in aera raperetur , admirabilique modo volaret . Id cum faceret , Petri precibus fuisse præcipitem actum , paulloque post periisse . Ita Arnabius *lib.* II. *adv.*

perſionis advenas (1) ſcripſit. Sed antequam in Simonem animadverteret, Roma ſibi excedendum, & Hieroſolyma contendendum putavit. Quo cum perveniſſet, ibique aliquamdiu manſiſſet, conjectus ab Herode (2) Agrippa in vincula, exque his, ut ſupra dictum eſt, liberatus ab Angelo fuit. Poſt annos aliquot orta inter eos, qui ceremonias legis ab his etiam colendas eſſe arbitrarentur, qui Gentiles cum fuiſſent (3), tum noſtris ſacris ſeſe addixerant, alioſque Chriſtianos, qui contra ſentirent, contentio eſt. Ea res cum ad Apoſtolos eſſet delata, concilium Hieroſolymis (4) convocarunt. Petrus ei ſynodo non adfuit modo, ſed etiam præfuit. Is jugum legis imponi ethnicis oportere (5) negavit. Aſſenſi ceteri ſunt. Jacobus, qui frater Domini dicebatur, propterea quod Jeſu ſanguinis propinquitate conjunctus erat, Petrum, ita ut Prophetarum oracula poſcerent, loquutum eſſe affirmavit. Hoc addidit, præcipiendum Chriſtianis ex gentibus eſſe, ut ſibi a fornicatione, a ſanguine, & ſuffocatis (6) animantibus temperarent. Scriptæ in eam ſententiam a concilio (7) litteræ fuerunt.

Antiochena diſcordia ſedata, Petrus Hieroſolymis manſit. Sunt, qui eum deinde Antiochiam acceſſiſſe, & cum ethnicis Chriſtianis factis verſatum initio fuiſſe: ſed ubi a Jacobo miſſos eo e genere Judæorum quoſdam fuiſſe, intellexit, ſubduxiſſe e Græcorum ſocietate ſe, & ad Hieroſolymitas illos adiiſſe, proptereaque a Paulo acriter fuiſſe reprehenſum, narrent (8). Interim ille quum

adv. gentes pag. 64. edit. Heraldi. Hunc deinde ſequuti ſunt Cyrillus Hieroſolymitanus, Ambroſius, Iſidorus, Theodoretus, aliique, quos accurate numerat Tillemontius *Tom. 1. Hiſt Eccl. in vita S. Petri Art.* xxxiv. Sunt qui negent, 1. quia in re ipſa narranda ſumma eſt inter Scriptores diſſenſio. 2. quia ſeculi ſecundi Scriptores ejus rei mentionem nullam faciunt. In eaque ſententia eſt Valeſius. Tillemontius nihil ſtatuit, cum anceps hæreat. Cotelerius *in not. ad Conſtitut. Apoſtolicas Tom. 1. PP. Apoſtolicor. pag.* 341. liberum cuique eſſe dicit, ut quod de ea re lubet, teneat. Adeundus vir eruditiſſimus Petrus Franciſcus Fogginius *de Rom. S. Petri itinere, & Epiſcop. exercit.* xi. *pag.* 247. *& ſeqq.*

(1) Vide Tillemontium *in vita S. Petri Art.* xxxi. *Tom.* 1. *Mon. Hiſt. Eccl.* & Fogginium *oper. cit. exercit.* x. *pag.* 186. *& ſeqq.*

(2) *Act.* xii. *v.* 1. Tillemont. *ibid. Art.* xxx. *pag.* 163. *edit. Veneta*.

(3) *Act.* xv. *v.* 1. *& ſeqq.*

(4) *Act. cap.* xv. *v.* 7. *& ſeqq.*

(5) Vide clariſſimi viri Joſephi Auguſtini Orſii S. P. A. Magiſtri *lib.* 1. *de Rom. Pontificis Auctoritate cap.* vi. *Art.* 1. *pag.* 23. *& ſeqq.*

(6) De hoc Apoſtolorum decreto agam, ubi de jejuniis, & abſtinentia veterum Chriſtianorum diſſeram.

(7) *Act. Apoſt. cap.* xv. *v.* 23. *& ſeqq.*

(8) Cepham namque Lucæ Evangeliſtæ in Actis Apoſtolicis memoratum, eumdem atque Petrum fuiſſe putant plerique veteres. Negant alii. Itaque novi quoque ſcriptores inter ſe de eadem re diſſident. Johan-

quum multas provincias obiiſſet, ac late, longeque Chriſtianam Religionem propagaſſet, Nerone (1) Imperatore Romam reverſus eſt. In Urbe cum multa prodigia patraſſet, remque Chriſtianam mirifice auxiſſet, intellexit ex Chriſto fore, ut brevi (2) interfici deberet. Igitur epiſtolam alteram ad eos, qui ab ſe inſtituti erant, ſcripſit, qua ſignificavit (3), impendere ſibi ſupremum diem, hortatuſque eos etiam, atque etiam eſt, uti ſibi ab hæreticis caverent, utque in fide ſervanda, atque in officio manerent, gratique Deo magis, magiſque eſſe curarent. Anno (4) LXV. vel LXVI. æræ Chriſtianæ ut Nero intellexit, eum Romæ agere, dareque operam, ut eorum religio, quos ipſe Imperator incendii reos egerat, exquiſitiſque ſuppliciis cruciari juſſerat (5), propagaretur, cruci hominem affigi, eoque mortis genere affici præcepit, quo Chriſtus Servator interiſſet, ne qui ſimilis magiſtro eſſe, dum viveret, ſtudebat, is ne mortis quidem ſupplicio diſſimilis eſſe videretur.

Tom. I. S ſ Hic

Johannes Harduinus differre Petrum a Cepha putat. Contra acriter pugnat Boileau. Utriuſque argumenta refert, atque expendit Auguſtinus Calmetius *diſſertatione de Cepha Commentariis in Acta Apoſt. præfixa*. Non eſt autem opus, ut in ea quæſtione evolvenda operam mihi eſſe collocandam cenſeam.

(1) Auctor *libri de Mortibus Perſecutorum c.* II. „ Cumque jam Nero imperaret, *inquit*, Petrus „ Romam advenit, & editis quibuſdam miraculis, quæ virtute ipſius Dei, data ſibi ab eo poteſtate, „ faciebat, convertit multos ad juſtitiam, Deoque templum fidele, & ſtabile poſuit „. Communis autem omnium ad Scaligeri uſque tempora ſententia fuit, Petrum Imperatore Claudio primum veniſſe Romam; inde vero abiiſſe; poſt reverſum eodem fuiſſe, cum Nero imperaret. Scaliger ſeculo XVI. primus omnium Petrum ad Urbem acceſſiſſe ait Neronis tempore. *In notis ad Chronic. Euſebii.* Stephanus Baluzius cum in *librum de Mortibus Perſecutorum* incidiſſet, & in eo legiſſet, Apoſtolorum Principem Nerone Imperatore Romam advenisse, facile ſe conceſſurum dixit, modo ſibi liceret a vulgata opinione recedere, non ante ea tempora licet Romanum fuiſſe ingreſſum Petrum. *Tom.* I. *Miſcellaneorum p.* 5. *edit. Pariſ. an.* 1679. Ergo Pagius deinde, aliique nonnulli e noſtris, tum e Proteſtantibus plerique eamdem ſunt amplexi ſententiam, inter quos numerandi Samuel Baſnagius *ad an.* LXIV. *num.* IX & Johannes Fellus *in Præf. ad opus de Mort. Perſecut.* Sed non video cur compoui Lucius Cæcilius (nam hoc erat Auctoris *libri de Mortibus Perſecutorum* nomen) cum ceteris omnibus, qui ante eum, poſtque floruerunt, non poſſit. Nihil enim obſtat, quin is de reditu Petri Romam loquatur. Sed fac cum omnibus pugnet, an unius viri & ignoti, & qui ſæpe labi ſoleat, teſtimonium tot veterum, ut Euſebii, ac Leonis, ut Hieronymi, auctoritati anteponendum eſt? Non equidem arbitror. Vide Fogginium *lib. indic. exercit.* v. *& ſeq. pag.* 87. *& ſeqq.*

(2) Vide *epiſt.* II. B. Petri Apoſtoli *cap.* I. *v.* 14. *& ſeq.* (3) Confer *epiſt. eamd. ibid.*

(4) Euſebius anno 68. narrat affectum ſupplicio Petrum fuiſſe. Euſebio aſſentitur Baronius. Dupinius Petrum mortuum fuiſſe defendit anno LXIV. Pagius & Bolland. *an.* LXV. Contra Tillemontius, & Graveſonus, & Fogginius Epiphanium ſequuti, in annum LXVI. Petri Martyrium eſſe conjiciendum cenſent. Pagio, & Bollando præſidio eſt Catalogus antiquiſſimus Romanorum Pontificum, quem Liberianum vocant. Præterea Cornelii Taciti teſtimonium de vexatione Chriſtianorum ſub Nerone ad rem eamdem maxime confirmandam confert. Conſule Pagium ad an. LXV. & Fogginium *exercit.* XVI. Obiit S. Petrus die XXIX. menſis Junii, ut Catalogi omnes, Eccleſiæque Romanæ traditio poſtulat, utque recte oſtendit Fogginius *ibid. pag.* 372. *& ſeqq.*

(5) Ita Lucius Cæcilius *l. c.* Ac ſævitum in Petrum a Nerone fuiſſe ob repreſſam Simonis Magi improbitatem ſcribit S. Maximus *ſerm.* v. *in Natal. Sanctorum Apoſtolorum*. S. Ambroſius factum id fuiſſe ob redactas in meliorem frugem mulieres, quarum honeſtati Nero inſidiabatur. *Serm.* LXVIII. *contra Auxentium*. *Tom.* II. *opp. pag.* 866. *& ſeq. nov. edit.* Eodem fere ſpectat S. Johannis Chryſoſtomi ſententia *homil.* XLVI. *in Acta*.

Hic exitus Principis Apostolorum, primique Romæ Episcopi Petri fuit. Romani uti se a tanto pastore institutos esse, ostenderent, nihil umquam prætermiserunt, quod ad sancti viri honorem conducere posse videretur. Nam ejus memoriam stato die (1) quotannis, jam usque ab antiquissimis temporibus celebrarunt, imaginesque aut pingi (2), aut lapidibus insculpi curarunt, ut veluti præsentem contemplarentur, & sepulcrum, in quo ejus conditum corpus erat (3), tanti faciebant, ut illud tropæi loco habere consuescerent.

Paulus, ita ut supra demonstratum est, cum vexandi Ecclesiam fecisset finem, nostrisque mysteriis initiatus esset, in Judæorum invidiam incurrit. Aretas erat (4) eo tempore tertius Arabum, Damascenorumque rex. Is Damasco hominem, nescio quem, nimium credulum præfecit; qui cum accusari ab Judæis (5) Paulum audisset, hunc comprehendi, punirique jussit. Ea re cognita, quod minus diligenter celata esset, Paulus ex oppido elapsus in Arabiam profugit. Nam etsi eumdem ejus partis Arabiæ, Damascenorumque regem esse intelligebat, nihil tamen sibi esse ab eo metuendum arbitrabatur, propterea quod non Arabas, sed Judæos, quorum aut nulli, aut perpauci in Arabia erant, in sui perniciem conspirasse (6) sciret.

(1) Vide Bollandianos *ad d.* xxix. *mensis Junii*, & Fogginium *l. c. pag.* 372. *& seqq. exercit.* xvi.

(2) Vide Aringhum *lib.* iv. *cap.* xlvii. *pag.* 403. *seqq. Tom.* II. Bonarrotium *Tab.* 10. *seqq.* Fogginium *exercit.* xx. *pag.* 453. *& seqq.* Boldettum *osserv. sopra i Cimiterj. lib.* 1. *cap.* xxxix. *pag.* 193. *Tom.* 1. Nos vitri illius ectypon referre hoc loco voluimus, quod vitrum a Cœmeteriis effossum relatum ab Aringho fuit *lib.* iv. *pag.* 403. *Tom.* II. *fig.* 5. Ejus vitri simile est, quod nuper inventum servatur apud Illustrissimum virum Johannem Baptistam Lercarium Basilicæ Liberianæ Canonicum. In eo cernuntur SS. Petri & Pauli imagines. Capitibus imminet laureola, quæ coronam gloriæ significat; medius inter Apostolos cernitur codex novi testamenti. Similem item figuram explicat Bonarrotius *ne' Vetri Antichi Tav.* x. *fig.* 1. *pag.* 75. *seq* Sed de his imaginibus erit alibi disserendum.

(3) Cajus antiquissimus Romanæ Ecclesiæ Presbyter apud Eusebium *lib.* II. *Hist. Eccl. cap.* xxv. „ Ego „ vero, *inquit*, Apostolorum tropæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem „ viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt. Confer Tillemontium *Tom.* 1. *Mon. Hist. Eccl. in vita S. Petri Art.* xxxvii. *de hoc* argumento egregie disserentem.

(4) *Aretas* III. *Arabiæ*, *& Damasci* rex fuit. Ei initio iratus Augustus fuit, quod se nescio Regnum occupasset. Sed lapsu temporum ei irasci desiit, utque Regnum quietum obtineret, fecit. Gesta hæc autem fuerunt eo circiter tempore, quo Saturninus Syriæ Pro-Consul erat. Consule Josephum *lib.* xvi. *Antiq. cap.* xvi. *&* xvii. Hunc illum esse Aretam, cujus Præfectus Damascenus capere Paulum tentarit, censent eruditi viri, quibus equidem facile assentior. Consula Cellarium *dissert. de Amœnit. Historicis Geograph. ex Itineribus Sancti Pauli pag.* 152. *& seqq. edit. Dissertationum an.* 1712.

(5) II. *ad Corinth.* xi. *v.* 32. *& seqq.*

(6) *Epist. ad Galat.* 1. *v* 17. Lucas hanc Pauli peregrinationem silentio prætermisit. S. Hieronymus *in hunc locum Epist. ad Galat.* ejus silentii hanc fuisse fortasse caussam putat, *quod nihil dignum Apostolatu in Arabia perpetrarit*. Sed impetrare a me non possum, ut ei assentiar. Nam Paulus loco mox indicato, *cum autem placuit ei*, inquit, *qui me segregavit ex utero Matris meæ, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni, & sanguini, neque veni Hierosolymam*

ad



Ectypon Vitri ab Aringo relati pag. 403. T. 11.

ſciret. In ea regione cum ſe triennium fere (1) continuiſſet, prodire in publicum, officioque tandem ſuo fungi ſtatuit. Itaque Hieroſolymam primum ad Petrum viſendum venit. Chriſtiani Hieroſolymitæ, quoniam, quæ ab ipſo adverſus noſtros ante annos paucos geſta fuerant, memoria tenebant, verebantur, ne ille Chriſtianum ſe eſſe ſimularet, quo conſilia, numerumque ſectatorum Chriſti cognoſcere, inque eos crudeliter ſævire poſſet. Quamobrem ejus colloquium, converſationemque defugiebant (2). Sed Barnabas, cui erat exploratum, quod Damaſci evenerat, Paulum evocavit, atque ad Apoſtolos conduxit, hiſque rem omnem, ut acta in Syria fuerat narravit. Ejus rei certiores facti Apoſtoli Paulo in Eccleſiam veniendi, cumque ceteris, qui in cœtu noſtro eſſent, agendi poteſtatem facile fecerunt. Interim ille Judæos, Ethnicoſque premebat, diſputandoque ita implicabat, ut cum reſpondere non poſſent, de eodem ſupplicium ſumere decrerint. Qua re ad Apoſtolos celeriter perlata, committendum non eſſe cenſuerunt, ut Paulus Hieroſolymis diutius maneret. Igitur auctores ei fuerunt, ut Cæſaream proficiſceretur, indeque Tharſum contenderet. Ergo Barnabas, & Paulus, adſcito in ſocietatem Johanne Marco, Tharſum petierunt. Sed quoniam illis cauſſa, propter quam a Deo delecti fuerant, explorata erat, curabant, ut ne qua ab ſe intermiſſio officii fieret. Quamobrem Evangelium prædicare non deſinebant, magnumque hominum numerum ad religionem Chriſtianam perducebant.

Tharſo relicta, Antiochiam venerunt. Qua in urbe cum in locum unum oratum Chriſtiani conveniſſent, precibuſque inſtarent juſſi

 divi-

ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abii in Arabiam &c. Quibus verbis ſatis indicat, dediſſe etiam diligentem operam in Arabia ſe, ut multos ad Chriſtianam Religionem perduceret. Aliòqui quorſum illa ſpectarent, *continuo non acquievi carni, & ſanguini, ſed abii in Arabiam*. Arabia hæc Damaſcenorum tractui ex latere conjuncta erat, & longe in auſtrum ad ſinum uſque Arabicum recedebat. Aretæ Regnum fuit, cujus Petra Metropolis, & ſedes Regia erat. Conſule Cellarium loco modo indicato *pag.* 153.

(1) Ludovicus Cappellus in Hiſtoria Apoſtolica *pag.* 9. *edit.* 1682. poſt ſolidum a ſua converſione triennium, quod totum fere in Arabia contriverit, *Paulum* Hieroſolymam adveniſſe pugnat, quod *loc. cit. Epiſt. ad Galat. v.* 18. legatur μετὰ ἔτη τρία *poſt annos tres*. Contra Uſſerius *Annalium pag.* 629. *primum Apoſtolatus triennium apud Damaſcenos Paulum exegiſſe* ſcribit. Nos magnam ejus triennii partem conſumtam in Arabia a Paulo fuiſſe arbitramur. Placet hæc opinio Cellario *l.c. pag.* 154. Tillemontius *nota* x. *in Pauli vitam pag.* 574. *edit. Pariſ. Tom.* 1. *Mon. Hiſt. Eccl.* potuiſſe Paulum diu Damaſci, exiguoque tempore in Arabia morari ſtatuit. At nos quod veriſimilius eſt, non quod fieri potuerit, quærimus.

(2) *Act. cap.* IX. *v.* 26. *& ſeq.*

divinitus sunt, ut Paulo, (1) & Barnabæ manus imponere, atque ad nunciandam gentibus doctrinam Christi mittere ne cunctarentur. His rebus confectis Paulus, & Barnabas in Seleuciam, quæ est ad mare, profecti sunt, atque hinc (2) in Cyprum insulam navigarunt. Salaminæ cum diebus aliquot mansissent, atque munus, quod sibi impositum erat, obiissent, universam pene insulam peragrarunt, tandemque Paphum, quod item oppidum ejus insulæ est, pervenerunt. Sergio Paulo Proconsule, de quo supra mentionem fecimus, ut idolorum cultum, superstitionemque abjiceret, & ab se Pseudoprophetam (3) Barjesu magum depelleret, inducto, e Cypro solverunt, brevique tempore Pergen, quæ urbs est Pamphiliæ (4) attigerunt. Itinere deinde instituto, Antiochiam Pisidiæ venerunt. Erat in eo oppido synagoga Judæorum. In eam Paulus, & Barnabas, ut supra demonstratum est, ingressi, tanta vi orationis de Christo, rebusque præclare ab eo gestis disseruerunt, ut magna hominum multitudo iis accesserit, eosque hortati sint, ut ne fortiter agere cessarent. Judæi, qui primas in eo cœtu obtinebant, ira inflammati, quod sese deseri, honoremque Christi discipulis haberi viderent, quos ipsi vehementer detestarentur, reprehendere eos primum, erroisque arguere cœperunt. Sed Apostoli, cum eorum perfidiam compertam haberent, in hunc modum locuti sunt; sese genti, ex qua orti essent, cuique Christus nunciari primum Evangelium jussisset, plurimum confiteri debere; sed quoniam Verbum Dei repellere Judæi auderent, ne mirarentur, si ad Ethnicos Apostoli se converterent, hosque docere constituerent. Qua re audita Ethnici læti magnopere sunt, maturandumque plures sibi esse censuerunt, ut ei religioni, quam tot prodigiis, argumentisque confirmari perspexerant, nomen darent. Interim Judæi auxilium a mulieribus religiosis, ut alio loco demonstratum est, petere, primosque civitatis improba oratione concitare non destiterunt, quoad impetrarent, ut Apostoli e finibus Antiochenorum expellerentur. Sed Paulus, sociusque Barnabas Iconium, quæ urbs est in Lycaonia, profecti, exper-

(1) *Act. XIII. v. 1. & seqq.* Vide, quæ de hac urbe scribit Cellarius *l. ind. num. 9. & seq. pag. 154. & seqq.* Ea urbs Pauli veluti palæstra fuit, ubi ἐνιαυτὸν ὅλον annum integrum versatus est, & quo sæpe cum inde discessisset, reversus, magno cum Christianæ rei incremento.

(2) *Act. Apost. ibid. v. 4. & seqq.*

(3) De Barjesu, qui professionis ratione *Elymas*, hoc est *magus* appellabatur, vide, quæ notant Interpretes in hunc *Actor. locum v. 6.*

(4) *Cap. XIII. Actor. v. 12. & seq.*

expertique rurſum in ſe odium Hebræorum, Lyſtram, Derben, aliaſque ejuſdem regionis civitates luſtrandi conſilium ceperunt. Lyſtræ claudo mirabili modo ſanato, tanta repente admiratio plebem inceſſit, ut Sacerdos Jovis, quod Paulum Mercurium, Barnabam (1) vero Jovem a populo vocari intellexiſſet, coronas, tauroſque afferre, eiſque rem divinam facere ſtuderet. Apoſtoli repentina re perturbati, conſciſſis tunicis, ita ut fieri in eventu (2) conſimili ſolebat, in mediam plebem invadunt, ſeque jam non Deos, quales eos Ethnici putabant, ſed homines eſſe, ac mortales clamant, qui veri Dei religionem publicare pergerent, quibuſque ſacrificare nemini liceret. Vix in officio populum continuerant, cum inſidiis, improboque ſermone Judæorum tanta voluntatum commutatio facta eſt, ut qui Deos eſſe duos illos Apoſtolos putarant, iidem lapidibus Paulum appetere, ac pene mortuum ex urbe ejicere non dubitaverint (3).

Ea accepta injuria Paulus poſtero die Derben cum Barnaba contendit. Poſt ubi multos inſtituit, Lyſtram primum, deinde Iconium, iterumque Antiochiam Piſidiæ revertit, obteſtatuſque diſcipulos, ut in fide manerent, Presbyteros, qui eos docerent, Eccleſiaſque adminiſtrarent, conſtituit, atque in Pamphiliam rediit, indeque in Attaliam deſcendit, poſtremoque Antiochiam Syriæ cum ſocio Barnaba pervenit. Qua in urbe cum explorata Chriſtianis eſſe vellet, quæ Dei præſidio fretus geſſiſſet, Eccleſiam convocat, & quæ prodigia patraſſet, quæque pertuliſſet tormenta, quaſque gentes Chriſto conciliaſſet, narrat.

Eodem

(1) *Act. cap.* XIV. *v.* 1. *& ſeqq.* Chriſt. Frid. Boernerus ſingulari Diſſertatione complexus eſt *Acta Pauli, & Barnabæ Lycaonica*. *Cap.* II. ejus Diſſertationis, quæ geſta ab iis Apoſtolis Lyſtræ fuerunt deſcribit. Cauſſam vero cur Paulus Mercurius, Barnabas exiſtimatos Jupiter fuerit, hanc afferri a pleriſque dicit, quod Paulus magna vi eloquentiæ valeret, Barnabas gravitate vultus, ut eſt animadverſum a Chryſoſtomo, venerandus eſſet. Rem ipſam eadem ratione explicavit Guilielmus Caveus *vit. Apoſt. cap.* II. Sed Boernero hæc ratio rei explicandæ non probatur. Itaque Cornelium Adamium *Exercit. Exeget. pag.* 290. ſequutus, Barnabam ideirco Jovem dictum a Lyſtrenſibus fuiſſe putat, quod is miraculum patraſſet, Paulum autem Mercurium, propterea quod ceu interpres Barnabæ habitus fuerit. Jovem enim ab Ethnicis Dei omnipotentis, Mercurium autem ejus interpretis loco haberi conſueſſe. Hoc addit, cultum imprimis a Lyſtrenſibus Jovem fuiſſe. Itaque tribuiſſe ipſos prodigium Jovi, & exiſtimaſſe Barnabam Jovem eſſe, & Paulum Mercurium, quod Mercurius comes Jovis, & interpres eſſet. Quare Lucas Paulum exiſtimatum fuiſſe Mercurium docet: ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου, *quod ipſe eſſet dux verbi*. Extat ſingularis Diſſertatio Jo. Jacobi Pfizeri *de Apotheoſi Pauli & Barnabæ diſſertatio inſerta Tom.* II. *Theſauri Theolog. Philol. edit. an.* 1732. *pag.* 648. *& ſeqq.*

(2) Veſtes lacerare ſignum illud erat ſolemne, quo Judæi luctus acerbitate incitati, vel ira inflammati, reique alicujus indignitate commoti, ſuum dolorem exprimere conſuerant. Vide Boernerum *ibid. num.* XII.

(3) *Act. Apoſt. cap.* XIV. *v.* 18. *& ſeqq.*

Eodem fere tempore Hebræorum, qui ex Judæa Antiochiam venerant, ſtudio de ceremoniis legis (1) a Gentilibus etiam, qui Chriſtiana ſacra colerent, obſervandis exorta quæſtio eſt, quam ut dirimerent, Paulus, & Barnabas Hieroſolymam aſcenderunt, impetratiſque ab Apoſtolis ad Antiochenam Eccleſiam litteris, omnem poſthac contendendi occaſionem ſeditioſis ademerunt. Antiochiam reverſi Paulus, & Barnabas, ibi aliquamdiu, ut diſcipulis proſpicerent, conſtiterunt. Sed (2) quoniam utile Eccleſiis fore exiſtimarunt, ſi quos in inſula Cypro, in Piſidia, Pamphilia, Lycaonia, ceteriſque, quas perluſtrarant, regionibus diſcipulos nacti erant, inviſerent, inque officio, fideque ſervanda confirmarent, Barnabas cum Johanne Marco, de quo alio loco diximus, Cyprum navigavit, Paulus vero cum Sila, quem ſibi itineris ſocium delegit, Syriam, & Ciliciam luſtravit. Is cum Lyſtram rediſſet, & Timotheum patre Gentili, matre autem Judæa natum, qui ſe Chriſtianis maxime probarat, inveniſſet; cum nocere ceremoniæ legis cuiquam (3) nondum poſſent, circumcidendum putavit, ſecumque in Phrygiam duxit. E Phrygia in Galatiam progreſſus, juſſuſque a Spiritu Chriſti, ut ne ſuam doctrinam, quam profiteretur, Aſianos doceret, (4) in Myſiam venit, fruſtraque Bythiniam petere tentavit. Itaque Troadem (5) contendit. Quo in oppido cum inſtinctu divino intellexiſſet, eſſe ſibi in Macedoniam tranſeundum, Lucam (6) Evangeliſten ſocium adlegit, atque in Samothracen, quæ inſula

(1) Vide *Act. cap.* xv. *v.* 1. *& ſeqq.*

(2) *Actor. Apoſt. cap.* xv. *v.* 35. *& ſeqq. & cap.* xvi. *v.* 1. *& ſeq.*

(3) *Act. cap.* xvi. *v.* 1. *& ſeqq.* Vide Interpretes in hunc locum. De ceremoniis legis, ut mortuæ jam eſſent, non autem *mortifera*, multis poſt Auguſtinum *epiſt.* 82. *ad Hieron. Tom.* II. *opp. pag.* 194. *edit. Monach. S. Mauri* diſputant Natalis Alexander *diſſert. in Hiſt. ſec.* 1. & Calmetius *diſſert. de Cepha præfixa commentar. in epiſt. ad Galatas*.

(4) *Act. Apoſt. ibid. v.* 6. *& ſeqq.* In tracta Phrygiæ Laodiceni, & Coloſſenſes erant. Ad hos ſcripta eſt a Paulo Epiſtola. Vide ejus *epiſt. cap.* II. *v.* 1. *& c.* IV. *v.* 13. *& ſeq.* Quare nugantur Suidas, aliique nonnulli, qui inſcriptam Rhodiis fuiſſe putant, quos idcirco Coloſſenſes appellatos exiſtimant, propter mirandam coloſſi ſtatuam. Nam deſignat Paulus Coloſſas antiquum oppidum ad Lycum amnem non procul Mæandro, qui Lycum excipit, ſitum. Conſule Herodotum *lib.* VII. *cap.* XXX. Hoc idem oppidum Nerone Imperatore concuſſum, everſumque eſt, ſuperſtite fortaſſe adhuc Apoſtolo. Quamobrem factum eſt, ut ejus Ptolemæus, poſterioreſque Geographi non meminerint. Oroſius *lib.* VII. *cap.* VII. *In Aſia*, inquit, *tres urbes*, *hoc eſt Laodicea*, *Hieropolis*, *Coloſſæ terræmotu conciderunt*. Laodiceæ brevi poſt tempore facta eſt ab Joanne in Apocalypſi mentio. Hieropolis non longe Coloſſis, & Laodicea aberat. Igitur Apoſtolus *ad Coloſſ.* IV. *v.* 13. memorat τοὺς ἐν Ἱεραπόλει. Sunt aliæ urbes, altera in Syria, altera in inſula Creta ejuſdem nominis. Sed Paulus hanc, quæ erat in Phrygia ibidem nominat.

(5) Troas in ora Aſiæ eſt. Id Urbis, & regionis nomen eſt. In *Actis* hoc ipſo nomine urbs potius, quam regio indicatur *cap.* xvi. *v.* 8. Quare Syrus Interpres, qui εἰς Τρωάδα *in Troadem regionem* vertit, labitur. Multa de hac re diſputat Cellarius *l. c. pag.* 160. *& ſeq.*

(6) *Act. cap.* xvi. *v.* 10.

insula ad septentriones Ægæi maris spectat, insignisque superstitione, & Asylo erat, navigavit. Postero die Neapolim (1), quæ juxta mare inter Philippos, & Ænum oppida sita erat, abiit, postque Philippos (2) pervenit. Ibi cum Lydiam purpurariam ad Christiana sacra observanda perduxisset, exceptus ab ea una cum sociis hospitio fuit. Puella erat Philippis serva a dæmone vexata. Magno hæc hero suo commodo, utilitatique erat, propterea quod divinare, indeque lucrum facere soleret. Eadem cum Paulum, sociosque ire in definitum locum oratum cerneret, eos subsequebatur, servosque Dei appellabat, ac cives Philippenses hortabatur, ut eorum dicto audientes essent, si salutem consequi optarent. Paulus, qui veram religionem testimonio mendacium dæmonum neque egere, neque laudari debere sciret, in mulierem sese convertit, atque Jesu nomine, malo dæmoni præcepit, ut ex ea continuo excederet, eamque molestia afficere cessaret. Heri puellæ cum spe quæstus deinceps faciundi dejecti essent, Paulum, & Silam capi, atque ad Principes civitatis adduci in forum curant. Hos turbarum, ut qui sint Judæi, auctores esse contendunt. Namque ea ab ipsis in populum efferri, quæ Romanis civibus non modo agere non liceat, sed ne audire quidem. Magistratus graviter ferens, quæ gesta ab optimis viris essent, eorum vestes scindi ipsosque virgis cædi, atque in carcerem contrudi, pedesque ligno constringi jubet. Noctu cum concussus vehementi terræmotu carcer, januæque reseratæ, & Pauli, Silæque vincula soluta singulari prodigio essent, custos carceris re animadversa, veritus, ne vincti profugissent, gladium strinxit, seseque interficere decrevit. Sed a Paulo prohibitus, ne quid sibi mali faceret, quis auctor prodigii esset, cognovit, atque a sanctis viris quæsivit, quid sibi, ut salvus esse posset, faciundum esse judicarent. Carceris janitore in doctrina Christi instituto, ipsoque una cum sua familia baptizato, cum cibo Paulus, & Silas se refecissent, missi a Magistratu homines fuerunt, qui janitori præciperent, ut quos in custodia haberet, liberos abire pateretur. Illi posteaquam cives se Romanos esse dixerunt, quos leges, ne magistratus verberibus cæderent,

(1) *Act.* XVI. *v.* 11. *& seqq.*

(2) *Ibid. v.* 12. Philippi *πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις primaria urbis partis Macedoniæ*, quæ trans Strymonem est, vocatur a Luca *ibid.* Ea olim urbs Thraciæ adjudicata erat. *Plin. lib.* IV. *cap.* XI. Colonia Romana fuit. Extat Claudii Augusti nummus: COL. AVG. JVL. PHILIP. & alter Vespasiani COL. AVG. JVL. PHILIP. refertur ab Holstenio *not. in* Stephanum *pag.* 346. Errat Patinus, qui *pag.* 99. nummum modo laudatum Claudii *Philippos* nescio quam urbem Thessaliæ indicare censet. Adeundus Cellarius *l. c. pag.* 162.

rent, cavebant, & Philippenses perterruerunt, rogati multis verbis a civibus, ut egredi, exque urbe alio proficisci vellent, assensi facile sunt. Sed ante ad Lydiam, de qua muliere paullo ante diximus, adire, discipulosque omnes consolari, quam Philippis excederent, statuerunt. Lustrata deinde Amphipoli, & Apollonia (1) venerunt (2) Thessalonicam; qua in urbe cum magnum numerum Judæorum, Ethnicorumque & gravitate sermonis, & prodigiorum magnitudine ad veritatem agnoscendam, colendamque virtutem convertissent, Hebræi (3) nonnulli, qui male erant in nostros homines affecti, de perdendis Paulo, sociisque consilia inire incipiunt. Itaque plebem concitant, & Jasonem, qui eos hospitio exceperat, & aliquos eidem conjunctos religionis societate in jus vocant, petuntque a magistratu, ut eos, qui novum quemdam regem Jesum comminiscerentur, graviter puniant. Quibus cum esset a magistratu satisfactum, discipuli quid facto sit opus deliberant. Paulum, & Silam evocant. Eos, ut Beræam concedant, hortantur. Illi ne quid Thessalonicensis Ecclesia gravius ferat, Beræam (4) veniunt, & nobilioribus Judæorum, atque Ethnicis permultis sibi conjunctis, adeo Hebræorum Thessalonicensium animos irritant, ut hi eodem sese conferant, multitudinemque incendere curent. Qua re cognita Christiani, Paulum dimittunt, Silam, & Timotheum retinent, quod hos minus esse Judæis cognitos putent. Paulus cum Athenas deductus esset, indicibus itineris, qui rediturі Beræam erant, mandat, ut Silam, & Timotheum ad se, quam fieri cito possit, mittant. Interea dum eos expectat, quod acerbe patiatur Athenas tanta in superstitione versari, sermones de Deo uno, de Christo, deque restitutione mortuorum cum Judæis, atque Gentilibus conferit. Ethnici rei novitatem indignati, hominem comprehendunt, atque in Areopagum (5) trahunt. Illic cum quæri ex se audisset, quam tandem doctrinam profiteretur, miseratur communem Atheniensium statum. Queritur de superstitione, quam coli

(1) Plinius *lib.* IV. *cap.* X. *Regio*, inquit, *Mygdoniæ subjacens, in qua recedentes a mari Apollonia, & Arethusa*. Has duas in Macedonia conjungit, & utramque [illegible] *civitatem Græcam* appellat. Ita Cellarius *ibid.* §. XXI. *pag.* 162.

(2) Insignem Macedoniæ urbem maritimam.

(3) *Act. cap.* XVII. *v.* 5. *& seqq.*

(4) Quæ item Macedoniæ, in tractu inter Arium, & Aliamonem fluvios, urbs est.

(5) De *Areopago* ad hunc locum Actorum extat singularis Johannis Schedii Dissertatio edita *Witteberg. an.* 1677. Huc etiam spectant Joh. Henrici Maji Dissert. de Gestis Pauli in urbe Atheniensium *edit. an.* 1727. & altera de eodem argumento Godfridi Olearii *edit. Lips. an.* 1706.

coli in urbe videret. Inspexisse simulacra perplura se dicit, quæ satis indicent, quanta in opinionum pravitate Athenienses versentur. Incidisse præterea se in aram aliquam, in qua erat inscriptio, quæ sic haberet. *Ignoto Deo* (1). Igitur esse sibi in animo exponere

Tom. I. T t quis

(1) *Act. cap.* XVII. *v.* 23. De Ara hac Atheniensium multis Interpretes, aliique plures eruditi viri disputant. Præcipuos, qui hoc argumenti genus illustraverunt, numerant Tobias Pfannerus *System. Theolog. Purior. Gentil. cap.* III. §. XIV. Johannes Albertus Fabricius *Bibliograph. Antiquariæ cap.* III. §. VIII. *pag.* 297. Johannes Chrystophorus Wolfius *in curis Philologicis in IV. Evangelia & Act. Apostol. pag.* 1261. & Tobias Eckardus *in testimoniis non Christianorum de Christo cap.* II. §. XIX. *pag.* 51. Sunt autem inter eos Scriptores, quos hi recensent, nonnulli, qui Aræ Inscriptionem non fuisse talem omnino, qualem Paulus exhibuit θεῷ Ἀγνώστῳ *ignoto Deo*, *sed* θεοῖς ἀγνώστοις *Diis ignotis* putent. Caussæ, cur ita existiment, hæ præcipuæ sunt. Prima, quod nulla inscriptio ejusmodi reperta usquam sit. Secunda, quod Sponius cum Athenas lustraret, nullam invenire similem quiverit. Ceteras mitto, ut quæ sint leviores. Sed ex eo quod nulla hodie ejusmodi extet, non sequitur, nullam olim talem aram fuisse. Quod ipsum est de Sponii diligentia dicendum, qui etsi memorat *Aras ign. tor. Deor. T.* VII. *pag.* 235. non potest concludere, nullam inveniri potuisse aram ignoti Dei. Neque vero Paulum tam fuisse incautum quisquam existimabit, ut pluralem numerum in singularem converterit, discriminique hac differendi ratione Christianam religionem exposuerit. Itaque merito Laurentius Ramirez de Prado in Pentecontarcho *cap.* XVI. *pag.* 106. Salmeronem, qui de pluribus ignotis Diis opinionem sequitur, refellit. Id ipsum agunt Thomas Reinesius *Syntag. Inscript. pag.* 102. & Johannes Jacobus Helierus *Exercit. de Ignoto Athenien. Deo* §. IV. *In Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* VII. *pag.* 225. *& seqq. edit. Batav.* Mea sic est ratio: Dicatam ab Atheniensibus aram fuisse Deo rerum omnium conditori, quem ignotum idcirco vocare consueverant, propterea quod neque videri, neque comprehendi cogitatione possit. Quare jure Paulus hujus se Dei nomen prædicare dixit, ut omnes veram ejus notionem assequerentur, & decreta, religionemque agnoscerent, sine qua salutem consequi nemini liceat. Hæc vero sententia plerisque non solum Orthodoxis, sed etiam Protestantibus, ut Michaeli Waltero, Danieli Heinsio, Abrahamo Calovio, Johanni Conrado Dieterico, Johanni Jacobo Hellero probata est. Vide Anselmi Abbatis Parisini *dissert. de Ignoto Atticorum numine Tom.* VIII. *Acad. Bonar. Artium. & Antiquit. pag.* 298. Quæ autem, ut sic arbitrer, me rationes inducant, ostendendum est. Principio negari nequit, quin Paulus veritatis assertor vera prædicarit. Paulus autem se ejus Dei nuncium esse dixit, quem ignotum Athenienses vocabant, & cui aram erexerant. Jam vero erat Paulus Dei solius omnipotentis, hujusque Universitatis conditoris nuncius. Ara igitur illa conditori hujus Universitatis rerum dicata erat. Nam si illud aliud fuisset numen, mendax Paulus omnino fuisset, ut qui ejus se, cujus non esset, Dei nuncium esse affirmaret. Vide locum *mox ind. Act. Apost.* Deinde eumdem suum Deum esse Doctor Gentium statuit, atque illum ignotum, quem ignorantes Athenienses colebant. At idem non fuisset, si superstitiosum aliquod numen eo nomine Athenienses indicavissent. Tertio loco si ea inscriptione Deus aliquis minorum gentium, non conditor omnium rerum indicatus fuisset, quemadmodum Paulus impune dicere Atheniensibus potuisset, *Deum illum ignotum cæli, & terræ Dominum esse &c.* Quarto nullum dubium est, quin Græci, ceterique populi, qui eruditionis laude florerent, summum quemdam omnium rerum parentem, atque opificem, cunctisque rebus superiorem venerarentur. Id vero post Athenagoram, Justinum, Tertullianum, Lactantium, Eusebium a novis deinceps Orthodoxis, ut a Petro Daniele Huetio in quæstionibus Alnetanis *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 21. *edit.* 1719. & Johanne Boivino *Tom.* V. *Hist. de l'Acad. des Inscription &c. pag.* 2. *& seqq.* atque etiam a Protestantibus, ut Hugone Grotio *lib.* 1. *de Verit.* Religionis Christianæ *pag.* 41. *& seq.* Radulpho Cudwortho *in System. intellect. cap.* IV. Tobia Pfannero *System. Theolog. Gentil. cap.* II. §. XII. Johanne Laurentio Moshemio in Cudworthi *loc. cit. &c.* demonstratum est. Cum autem Athenienses ceteris populis laude philosophiæ præstarent, si inferiorum Deorum, quos ipsi putabant, superstitione detinebantur, eisque templa extrui curabant, cur ei ne aram quidem consecrari, appellationemque ignoti tulissent dari, quem omnium principium esse, quemque percipi humana comprehensione non posse a Platone, aliisque Philosophis accepissent? Ac trita scilicet multorum sermone sunt Socratis apud Platonem in Timeo § XIII. verba, τὸν μὲν οὖν ποιητὴν, καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. *Opificem, & parentem hujus Universitatis reperire difficile est, nunciare autem in omnes, ne fieri quidem potest.* Atque is locus apud majores nostros magna in celebritate fuit,

quis ille Deus sit, quem ipsi se nescire confiterentur. Deinceps Christianorum doctrinam de Deo, de Jesu Christo, de pœnitentia, de extremo Judicio, de restitutione corporum humanorum explicat. Hanc ut ne contemnant, utque amplectantur, hortatur. Etsi erant in Senatu nonnulli, qui irriderent, aliique, qui se eum de rebus ejusmodi differentem audituros iterum pollicerentur, fuerunt tamen, qui assentiri Apostolo, Christumque consectari, quam mores, atque instituta majorum probare mallent. Quo tempore Damaris mulier, & magnus ille Dionysius Areopagita nostræ se disciplinæ adjunxerunt.

His rebus peractis Paulus Corinthum venit, & cum Aquila Pontico Judæo (1), qui Christianis sacris accesserat, pulsusque Roma, jussu Claudii Augusti, cum Hebræis ceteris in exilium fuerat, mansit, Ethnicosque multos, ut superstitionem desererent, atque Christianam doctrinam colerent, induxit. Post in Syriam reverti constituit. Cum Ephesum attigisset, discipulis rogantibus, ut si fieri ejus voluntate posset, sua eos præsentia aliquamdiu consolaretur, paucis quas ob caussas ibi consistere diutius nequiret, proposuit; sed tamen ad eos se reversurum promisit. Inde Cæsaream profectus est, ac salutata, quæ ibi erat, Ecclesia, Antiochiam Syriæ contendit. Qua in urbe cum diebus aliquot mansisset, abiit Phrygiæ, Galaticæque regionis Ecclesias visitatum. In Asiam Ephesum, ita ut promiserat, reversus, in discipulos quosdam incidit, qui Spiritum Sanctum ignorarent. Hos in decretis religionis institutos baptizavit in nomine Jesu, (2) propterea quod, etsi Christum colerent, baptismo

fuit. Confer Justinum Martyrem *Apolog. quæ 1. dicitur pag. 48. edit. an. 1615.* Quinetiam Plotinus *Ennead.* VI. *lib.* IX. *De Bono, vel Uno cap.* IV. *pag.* 761. dictum hoc item a Platone fuisse scribit: *Deum* οὐδὲ ῥητὸν, οὐδὲ γραπτὸν εἶναι *neque dici, neque scribi posse*. Ac ne Poetæ quidem Latini idipsum ignorarunt. Statius *lib.* IV. *Thebaid. v.* 514. *& seqq.* sic habet.

Scimus enim & quidquid dici, nescique timetis,
Et turbare Hecaten, ni te Thymbræe, vererer,
Et triplicis mundi summum, quem scire nefastum est.
Illum sed TACEO.

Concedendum est igitur, neque latuisse Athenienses conditorem, *ineffabilem, incomprehensibilemque* Deum, neque fuisse alienum, ut ei aram consecrare possent. Immo vero dari omnino debet, consecratam ejusmodi aram eidem fuisse, cum id Paulus disertis verbis testetur, fasque non sit eum aut mendacii, aut simulationis reum agere. Plura in hanc sententiam disputat Moshemius *medit. sacrar. cap.* IV. *pag. 77. & seqq.*

(1) *Act. cap.* XVIII. *v.* 1. *& seqq.*

(2) *Actor cap.* XIX. *v.* 1. *& seqq.* Extat Augustini Calmetii dissertatio singularis *de Baptis. in nomine Jesu*, ut & altera Josephi Augustini Orsii viri doctissimi, & Sacri Palatii Apostolici Magistri: qui cum esset a Doctore quodam Sorbonico refutatus, vindicias Dissertationis scripsit, Florentiæque publicavit.

ptiſmo tantum Johannis erant initiati. Hi omnes aucti donis Spiritus Sancti, prophetarum virtute excellere, atque futura prædicere cœperunt.

Ephesi dum Paulus morabatur, in ſynagogam ſtatis diebus ſe conferebat, atque oracula, quæ fuſa a Prophetis fuiſſent, de Chriſto Jeſu intelligi oportere demonſtrabat, multiſque auctor erat, ut ſuperſtitionem abiicerent, atque ad noſtra ſacra accederent. Id cum pati magiſtri Judæorum, qui obſtinati in ſententia manebant, non poſſent, ei obſiſtere, ac religioni, quam doceret, turpiter maledicere cœperunt. Paulus quod nullam occaſionem rei bene gerendæ dimittere vellet, cum in ſynagoga, propter turbas, & altercationes, quæ oriri improborum hominum cauſſa ſolerent, vix quidquam profici poſſe intelligeret, inde diſcedendum, ſibique in Tyranni cujuſdam domum, quo Judæis, Ethniciſque accedendi libera poteſtas, & diſſenſionum periculum nullum eſſet, abeundum exiſtimavit. Ibi cum in enuncianda Chriſtiana religione biennium conſumſiſſet, atque illuſtria prodigia non verbo ſolum, ſed etiam ſudariis, veſtibuſque, quibus uſus ipſe aliquando fuerat, ut a Deo patrarentur impetraſſet, hocque jam modo quamplurimis, ut pietatem, virtutem, veramque religionem amplecterentur, perſuaſiſſet, Macedoniam, & Achajam luſtrare, poſtque Hieroſolymam petere decrevit. Interim Timotheo, & Eraſto diſcipulis, ut ſe præcederent, atque in Macedoniam concederent, imperavit. Ipſe in Aſia ſibi paullulum adhuc eſſe conſiſtendum, duxit. Eodem fere tempore Demetrii cujuſdam Argentarii ſcelere magna in Eccleſiam commota tempeſtas eſt. Is cum Ædes argenteas Dianæ extrueret, artifices, quibus eſſe uſui conſuerat, ad ſe evocat. Queritur vehementer de Paulo. Hunc Deos, qui manibus fiant, nullos eſſe affirmare, exponit. Quod ſi perſuadere populo pergat, quæ cœperit, argentarios, artificeſque omnes coacturum, dicit, ut ex arte ſua nihil ſibi lucri deinceps polliceri poſſint. Epheſum, quid autem Epheſum? Totam pene Aſiam Pauli doctrinam ſequi, demonſtrat. Quamobrem ne cunctentur. Injuriam ſtatuariis, diiſque, ac magnæ imprimis Dianæ illatam, ut depellant, utque ulciſcantur, ſuadet. Qui aderant, ira inflammati, magnam Dianam Epheſiorum invocant. Celeriter ad plebem fama perfertur. Fit tumultus. Qui ceteros audacia ſuperant, impetum faciunt, captoſque Pauli ſocios Gajum, & Ariſtarchum, vi in theatrum rapiunt, petuntque, ut faci-

norum pœnas luant. Interim Paulum in mediam concitatam plebem invadere conantem, Christiani ne faciat, prohibent. Tumultu ægre sedato, Paulus evocatis discipulis, atque in religione confirmatis, in Macedoniam proficiscitur. Macedonas, ut in officio manerent, hortatus, in Græciam venit. Inde cum in Syriam conferre se vellet, insidias sibi ab Judæis parari cognoscit. Igitur periculum declinaturus, consilium redeundi in Macedoniam, atque hinc in Syriam proficisci capit. Quo tempore Sopatrum Beroeensem, Aristarchum, & Secundum Thessalonicenses, Gajum Derbeum, Timotheum, & Asianos Tichicum, ac Trophimum socios itineris eligit. His ut præcedant, utque Troadem petant, ibique se præstolentur, imperat. Discipuli, quod jussi sunt, faciunt. Quinto die ipse cum Luca Troadem appellit, ubi diebus septem sibi esse consistendum putat. Hoc ipso tempore vitam Evtyco adolescenti, qui e cœnaculo ceciderat, mortuusque erat, restituit. Exactis diebus septem discipuli Assum navigant. Paulus, quod id fortasse (1) censeret civitatibus utile futurum, terrestre iter ingredi voluit. Assi (2) socios nactus, Mitylenem (3) contendit. Inde navigans, secundo die Chium (4) insulam præteriit, tertio Samum appulit (5), & quarto die Miletum (6) pervenit. Erat Paulo propositum, ne Ephesum attingeret, propterea quod vereretur, ne se ejus oppidi incolæ Christiani detinerent, impedirentque, quo minus sibi die festo Pentecostes pertingere Hierosolyma liceret. Igitur Mileto Ephesum legatos mittit, præfectosque Asianæ Ecclesiæ ad se omnes (7), quos potest, vocat. Quid ipse fecerit, ex quo primum die in Asiam pervenit, ostendit. Se Hierosolymam proficisci, ait. Esse sibi explorata, quæ sibi ipsi mala immineant: Horum tamen nihil se vereri affirmat. Nunc se, quem visuri deinceps numquam essent, ab eis etiam, atque etiam id poscere, ac flagitare, ut gregis diligentem

(1) *Act. cap.* xx. *v:* 14. *& seqq.*

(2) Est id Phrygiæ minoris oppidum ad mare. Multa de eo scribit Salmasius In Solinum *pag.* 847.

(3) Celebrem Lesbi Insulæ Urbem, Ciceroni, Horatio, allisque veteribus memoratam.

(4) Quæ Smyrnensi opposita sinui est, atque ab antiquis multis laudibus celebrata.

(5) Insula est e regione Ephesi.

(6) Miletus mater innumerabilium coloniarum fuit, eratque in nobilissimis civitatibus Joniæ. Vide Strabonem *lib.* xiv. *pag.* 438.

(7) Non enim solis Præfectis Ecclesiæ Ephesinæ præscripta hæc a Paulo fuisse credendum est, ut qui de omnibus Ecclesiis Asiæ loqueretur, quibus certe alii præerant. Itaque Asianarum Ecclesiarum Præfectos Ephesum mittens accivit, quod Epheso, quæ urbs ceu Metropulis Asiæ erat, mitti ad ceterarum civitatum Episcopos viri facile poterant, qui nunciarent, quæ Paulus vellet, eosque, ut Miletum peterent, hortarentur. Sed de hoc erit in IV. hujus operis libro fusius differendum.

tem curam gerant , cui ſint a Sancto Spiritu præfecti . Fore prædicit , ut impoſtores ex ipſis prodeant , qui in fraudem incautos , atque in errorem , ut ſibi diſcipulos parent , illiciant . Eos , ut arceant a ſocietate, utque ne ſævire in gregem ſinant, hortatur. Hac oratione dicta , magnam animorum commotionem videre licuit . Amplecti Paulum omnes , oſculari , flere cœperunt , quod fore dixiſſet , ut numquam illum impoſterum viderent .

Mileto deinde profectus (1) Coum primum , inde Rhodum , poſtremoque Pataram venit . Ibi cum nactus eſſet navim , atque opportunum ad navigandum tempus , Tyrum (2) contendit . Quo in oppido Chriſtianos invenit , qui hortarentur , ne Hieroſolymam migraret . Sed Paulus nihil horum verba moratus , quod multo ante , quæ ſibi imminerent , proſpexiſſet , Ptolemaida navigavit . Inde Cæſaream (3) petiit, atque apud Philippum Diaconum (4), de quo ſupra facta eſt mentio , cuique quatuor filiæ Virgines , atque Prophetides erant , manſit . Eodem tempore Propheta Agabus e Judæa Cæſaream venit , atque Paulum , ſocioſque adiit . Is cum zonam Pauli accepiſſet , ea manus ſibi , pedeſque ligavit , atque ſcirent , prædixit , ut is , cujus ea zona eſſet , ligari eodem modo ab Judæis , tradique Ethnicis deberet . Ea re audita Lucas , & qui aderant , ceteri orant , atque obſecrant Paulum , ſui ut miſereatur, utque ne ſe in tam grave periculum adduci ſinat . Ille paratum ſe eſſe reſpondet , ut non ligetur ab improbis modo , ſed etiam ut occidatur . Quare ut deſinant ſibi eſſe moleſti , jubet .

Cum Hieroſolymam perveniſſet , Jacobum convenit , eique , ac ſenioribus , quæ ab ſe geſta eſſent , narravit . Deinde , ut ſibi Judæos , ſi fieri poſſet , placaret , quemadmodum ſancitum a Moſe fuerat, (nondum enim nocere cuiquam ceremoniæ poterant, eorum præſertim , qui orti parentibus Judæis eſſent) in templum (5) una cum

(1) *Act. cap.* XXI. *v.* 1. *& ſeqq.*

(2) De Tyro , Coo , & Rhodo non eſt , cur quidquam eſſe dicendum putem . Sunt enim hæ duæ poſtremæ Inſulæ non minus , quam Tyrus Phæniciæ urbs, omnibus imprimis notæ .

(3) Principem Palæſtinæ , poſt Hieroſolymam , urbem . Olim turris Stratonis dicebatur . Ornata autem ab Herode , atque amplificata eſt , & Cæſarea , ut Cæſari Auguſto palparet , dicta . Conſule Joſephum *lib.* 1. *de Bello Jud. cap.* XXI. *pag.* 106. *T.* II. *opp. edit. Havere.* Sedes fuit deinde Procuratorum Palæſtinæ , quod ex *cap.* XXIII. *& ſeqq. Actor. Apoſt.* plane conſtat .

(4) De Philippo Diacono , qui Evangeliſta etiam dici conſuerat , præter Interpretes , conſule Bollandianos *Tom.* 1. *menſis Junii pag.* 618. *& ſeqq.* & Tillemontium *Tom.* II. *Mon. Hiſt. Eccl. pag.* 65. *& ſeqq. edit. Veneta* .

(5) Sunt , qui Paulum more Nazaræorum , voto ſuſcepto , ſibi capillos amputaſſe dicant . Hinc extant virorum eruditorum de Nazareatu Pauli Diſſertationes . Sed nuſquam id eſt memoriæ traditum a Luca . Conſule Tillemontium *in vit. Pauli T.* I. *Mon. Hiſt. Eccl. pag.* 271. *edit. Veneta.*

cum Christianis quatuor, quibus votum, quod nuncuparant, solvendum erat, sese purificaturus, remque Divinam facturus ascendit. Sed cum in templo ageret, cognitus ab Judæis quibusdam fuit, qui concitata multitudine, eum ex æde sacra educere, atque interficere tentarunt. Quod cum nunciatum tribuno militum esset, is eodem cum militibus accurrit, & in catenas Paulum conjici, atque in castra abduci imperavit. Eo ut pervenit, petiit a Tribuno, ut sibi pauca loqui concederet. Tribunus, cum illum græco sermone uti audisset, rogavit, an Ægyptius ille esset, qui collectis quatuor millibus sicariorum, eis sese præficere non dubitarat? Paulus Tharsi, quod oppidum est Provinciæ Ciliciæ, ortum se esse a parentibus Judæis respondit, obsecravitque, ut sibi alloqui populum liceret. Quod cum impetrasset; paucis quis esset, & quam disciplinam jam usque a prima adolescentia coluisset, utque deinde singulari prodigio ad Christiana sacra vocatus esset, narravit. Ubi populus, quod erat de conversione, Apostolatuque Pauli, audivit, ira incensus, petiit a Tribuno, ut eum interficeret (1), quasi indignus, qui vita frueretur, esset. Tribunus cum plebem nullum clamandi finem facere, pulveremque jactare, vestesque projicere vidisset, introduci in castra Paulum, & flagris cædi imperavit, ut quamobrem tanta esset perturbatio in civitate coorta cognosceret. Ubi adstrictum se loris Paulus vidit, quæsivit ex Centurione, Tribunone civem Romanum, cujus cognita caussa non erat, flagellis cædere liceret? Ut res delata ad Tribunum fuit, is Paulum convenit, scicitatusque verane essent, quæ Centurio prædicaret, intellexit, non pretio illum civitate donatum, sed natum civem Romanum fuisse. Quare veritus, ne quid infortunii ferret, solvi hominem, adducique in Judæorum concilium præcepit. Intererat ei concilio Ananias Pontifex. Is cum Paulum initium dicendi facere audisset, adstantibus, illi os ut percuterent, imperavit. At vir Sanctus, quoniam injuste id esse præceptum norat, *Percutiat (2) te Deus, paries dealbate,* inquit, propterea quod Pontifex, contra atque sancitum lege fuerat, innocentem, atque indemnatum percuti jussisset. Sed ut animadvertit, eum Principem Sacerdotum esse, purgavit iis, qui aderant, sese, ac se ipsum numquam ea verba usurpaturum fuisse dixit, si talem esse ante, qualem tunc cognorat, comperisset. Deinde cum se Pha-

(1) *Actor. cap.* xxii. *v.* 22. *& seqq.*
(2) *Act. c.* xxiii. *v.* 3. Vaticinantis hæc verba, non maledicentis esse plerique Interpretes arbitrantur. Consule Calmetium in hunc locum.

Pharisæorum disciplina imbutum fuisse Paulus (1) affirmasset, essentque in concilio multi de secta Sadducæorum, nata dissensio inter Pharisæos, atque Sadducæos est. Itaque tribunus metuens, ne in Paulum impetum facerent, eumque occiderent, militibus, ut eum in castra deducerent, præcepit. Interim Judæi plus quadraginta inter se conjurant, seque jam neque manducaturos, neque bibituros, antequam Paulum interficiant, vovent, atque ad Principes sacerdotum adeunt, orantque, ut ad se hominem deportari iterum a tribuno petant. Id si accidat, fore, ut ipsi eum aggrediantur, atque interficiant, promittunt. Qua re audita, Pauli Sororis filius ad avunculum venit, quidque Judæi moliantur, proponit. Paulus Centurionem unum ad se vocat, & quid fieri velit, ostendit. Centurio adolescentem ad tribunum adducit, qui cognitis insidiis ducentos milites, equites septuaginta, & lancearios milites item ducentos parari jubet, qui noctu Paulum Cæsaream deducant. Eis præterea litteras committit, quas ad Felicem Palæstinæ Præsidem deferant, quibusque significat, quamobrem Paulum transferri alio imperasset. Præses Paulum accersit, & ex qua sit Provincia percuntatur; Ubi ex Cilicia esse audivit, eum se, cum ejus accusatores Cæsaream pervenerint, iterum auditurum pollicetur. Post (2) dies quinque Ananias Pontifex ad Præsidem accessit. Accusante Tertullo oratore, Paulus suam per se caussam egregie defendit. Sed dijudicata lis a Felice non fuit. Nam is, ut Judæis gratum faceret, vinciri Paulum, detinerique voluit, quoad Festus, qui ei designatus ab Imperatore successor erat, venisset.

Dum Festus Hierosolyma (3) pervenit, petentibus Judæis, ut in Paulum animadverteret, se brevi Cæsaream petiturum, & caussam judicaturum, respondit. Ergo post dies aliquot, cum Cæsaream venisset, ex Paulo num Hierosolymam redire vellet, quæsivit. Sed vir Sanctus, quoniam compertum, quorsum hæc spectarent, habebat (nam gratificari Festus Judæis statuerat), *Cæsarem*, inquit, *appello*. At Festus: *Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis*, respondit. Paucis post diebus Rex Agrippa (4) Cæsaream Festum saluta-

(1) Pharisæum se esse Paulus dicit, quod quæ optima essent in doctrina, & disciplina Pharisæorum retinuisset. Ac tum quidem de resurrectione egit, pro qua acriter contra Sadducæos Pharisæi pugnabant. Extat Alberti Joachimi Krakewitzii *dissertatio de Paulo post conversionem Pharisæo edit. Rostochii an.* 1703.

(2) *Cap.* xxiv. *Actor. v.* 1. *& seqq.*

(3) *Cap.* xxv. *Actor. v.* 1. *& seqq.*

(4) Agrippa Rex filius Herodis Agrippæ fuit, qui Jacobum Johannis fratrem occidi jussit. Vide Inter-

lutatum venit; cumque sermo de Paulo incidisset, esse sibi in optatis, hominem videre, atque alloqui, dixit. Apostolus a Festo accitus, tanta vi, tantaque gravitate orationis suam apud (1) Agrippam, communemque Christianorum caussam egit, ut Rex dimitti hominem liberum posse affirmarit, nisi Cæsarem appellasset. Itaque Festus Julio cohortis Augustæ Centurioni Paulum in custodiam transdi, atque in Italiam deportari, jussit. Julius rebus celeriter, ut fieri potuit, paratis, navem Adrumetinam nactus, in eam una cum Paulo, hujusque sociis conscendit. Cum secundo die Sidonem appulissent, Julius, qui nihil esse in Paulum severe, crudeliterque agendum arbitrabatur, ei ut discipulos inviseret, atque amicos conveniret, facile concessit. Ut Lystram urbem Lyciæ attigerunt, Julius inventa navi Alexandrina, in hanc suos omnes transferri voluit, atque in Italiam (2) navigavit. Post multos dies, cum contrariis ventibus (3) conflictarentur, ad Melitam (4) insulam, quæ Africæ adjacet, naufragium fecerunt. Antequam eo delati essent, Paulus quæ sibi, sociisque itineris, nautisque contingere deberent, prædixerat. Etsi vero ejus verbis Centurio tunc fidem adjungere nolebat, quod auscultandum potius nauclero esse putaret, post tamen, eventu rerum edoctus, ei uni non ipse solum, sed etiam ceteri credebant. Atque barbari incolæ ejus Insulæ, cum ne morsu quidem viperæ, quæ e sarmentis prodierat, infici veneno Paulum, morique potuisse (5) animadvertissent,

terpretes in hunc locum. Accurate agit de eo Cellarius *in Vindic. Flavii Josephi de Histor. Herodum* contra Hardnioum *num.* XXIII. *& seqq. pag.* 224. *& seqq. edit. Dissertationum an.* 1712.

(1) *Act. cap.* XXVI. *v.* 1. *& seqq.*

(2) Alexandrinæ naves dictæ a Luca sunt, non quod formam Alexandrinarum navium præseferrent, ut Ariæ Montano est visum, sed quod Alexandria venissent. Ea res multis ostenditur a Jacobo Hasæo *dissert. de Navibus Alexandrinis S. Paulum in Italiam deferentibus edita Bremæ an.* 1716.

(3) *De difficili Pauli itinere* extat M. P. Adolphi Boyseni Dissertatio *edit. Halæ an.* 1713. & recusa *in Tom.* II. *Thesaur. Theolog. Philol. edit. an.* 1732. *pag.* 727. *& seqq.*

(4) *Act. cap.* XXVII. *v.* 15. *& seqq.* Melitam autem, quam Africanam vocant, non Dalmatiæ vicinam indicari a Luca censeo; primo, quod ita cursus inde ad Syracusas, & Rhegium postulet. Secundo, quod ventus cujus est a Luca facta mentio, non in Adriaticum sinum, sed in Melitam nostram navem impellere deberet. Placuit hæc ipsa sententia non Interpretibus nostris modo, sed etiam Protestantibus Bocharto, Cellario, & imprimis Johanni Friderico Wandelino, qui anno 1707. *Hafniæ* singularem edidit *de Melita Pauli Dissertationem*, quæ deinde inserta fuit *Tom.* II. *Thesaur. Philol. Theol. edit. an.* 1732. *pag.* 733. *& seqq.* Pro Illiricana Melita pugnavit hoc seculo vulgata prolixa Dissertatione Ignatius Georgius Ragusinus Monachus Benedictinus, *Congregationis Melitensis*, vir summa eruditione, qui certe vicisset, si melioris caussæ patrocinium suscepisset. Responsum ei a Melitensi Comite Chantario, & Ruperto a S. Gaspare Carmelita Excalceato fuit. Sed ut Illiricanis non patronus, sed caussæ æquitas, ita Africanis Melitensibus, etsi caussa justa erat, patroni tamen, qui defenderent, ut arbitror, defuerunt.

(5) Extat Joh. Gottl. Ermanni *de Melitensium Judicio, ad Act.* XXVIII. *v.* 4. *& seq.* Dissertatio inserta *Tom.* II. *Thesaur. Theol. Philol. edit. an.* 1702.

vertissent, Deum esse existimabant. Publius erat eo tempore Melitæ Princeps. Is Paulum, ac socios ad se accersivit, hospitioque comiter excepit: cui Paulus gratiam rependit, ac patrem Publii, qui dysenteria laborabat, prodigio sanavit. Multis ægrotis in Insula curatis, magno cum mœrore incolarum Paulus, sociique alteram navim Alexandrinam, quæ ibi in hibernis fuerat, conscenderunt, ac Syracusas venerunt. Postridie Rhegium, postque inde Puteolos navigarunt; ubi septem dies cum Christianis versati sunt. Hinc Romam petierunt. Christiani qui in Urbe erant, Paulo, sociisque obviam processerunt. Hos ut Paulus vidit, æquiore esse animo cœpit. Postridie ejus diei (1), quo Romam pervenit, primarios Judæorum convocavit, eisque quamobrem perductus in Urbem esset, proposuit. Illi ab se ullas esse de illo ex Judæa litteras missas negarunt. Esse quidem sibi exploratum, ubique gentium a plerisque contradici sectæ Christianorum. Itaque ab se ipsis vehementer optari, ut ex eo, quæ ejusdem esset de religione sententia, intelligerent. Paulus, quo ad se venirent, deque rebus religionis agerent, diem constituit. Eo cum, ut erat indictum, convenissent, & Apostolum de Christo disserentem audissent, divisi in factiones fuerunt, ita ut pars quidem Messiam, Christumque Jesum esse diceret, pars contra vehementer negaret. His rebus visis, Paulus repugnantes commonefecit, ut etiam, atque etiam considerarent, quod agerent. Caverent, ne oraculum Isaiæ, quod de cæcitate populi erat, in ipsis exitum haberet. Quod si repugnare pergerent, scirent, Gentes eorum loco credere, potirique sempiterna gloria oportere. Paulum, posteaquam biennium in docendis Romanis consumsit, sunt, qui deinceps in Hispaniam profectum fuisse (2) arbitrentur. Hoc certum est: religionis caussa fuisse virum sanctissimum Romæ a Nerone capitis (3) condemnatum. Flagrarat autem ille incredibili studio tuendæ, propagandæque Christianæ religionis. Itaque gravissimis itineribus susceptis, non verbo solum, sed etiam scriptis ad discipulos, qui longius abessent, litteris, eos

(1) *Act. cap.* XXVIII.

(2) Consule Natalem Alexandrum *dissert.* XV. *in sec.* 1. *Hist. Eccl. pag.* 180. *edit. Luc.* & Tillemontium *Tom.* 1. *Mon. Hist. Eccl. pag.* 314. 609. *edit. Paris.*

(3) Etsi omnes Nerone Imperatore Paulum Romam primum venisse hactenus defenderint, inventus tamen est Arletius, qui an. 1732. edidit Jenæ *de Pauli in Urbem ingressu Exercitat.* quique contra omnia vetera monumenta existimavit, pervenisse eum in Urbem cum Claudius imperaret. Sed hujusmodi viris numquam assentiar, cum vetustati plurimum semper esse in Historia, non conjecturis tribuendum putem.

hortari consuerat, ut in fide, atque in officio manerent, utque exemplo Ethnicis, Judæisque essent, atque eos, qui alieni a nostris sacris erant, ad veritatis cognitionem adducere curarent. Extant ejusmodi Epistolæ quatuordecim, ad Romanos (1) una, ad Corinthios duæ, ad Galatas 1., ad Ephesios 1., ad Philippenses 1., ad Colossenses 1., ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum 1., ad Philemonem 1., atque ad Hebræos 1. datæ.

§. III.

Quemadmodum mortuis Apostolis admirabilem in modum propagata Christiana Religio sit.

IGitur Apostoli tot laboribus, periculis, cruciatibus, ac morte denique perfuncti, magno Christianæ reipublicæ commodo fuerunt. Namque collegerunt mortales sese, ac secum considerarunt, falsam esse eam religionem non posse, quam illi suo sanguine confirmassent. Neminem enim tam esse dementem, ut si falsa esse, quæ ipse prædicet fuisse ab se visa, cognoscat, vitam nihilominus suam in mortis discrimen (2) adducere, quam ea negligere, negareque malit. Apostolos sæpe ac multum palam fuisse testatos, vidisse suis ipsos oculis Christum ad vitam reducem; neque solum vidisse, sed etiam tetigisse, atque una interdum manducasse. Ob eam rem tot esse illos perpessos calamitates. Nam & damnatos (3) ad leonem fuisse,

(1) Quibus temporibus gesta hæc omnia, scriptæque Epistolæ a Paulo fuerint, ostendit vir eruditissimus Tillemontius *in vita Pauli Tom. 1. Mon. Hist. Eccl.* quem Lector, si est otium, consulat volo. Ex Acatholicis quoque in eodem argumento explicando versati sunt Jacobus Usserius *in Chronolog. sacra*, Johannes Pearsonus *in Annalibus Paulinis*, qui cum ejus operibus posthumis editi sunt, Janus Bizaherodius in serie Chronologica *Actor. Sanctor. Petri & Pauli, edit. Afniæ 1665.*

(2) Isidorus Pelusiota *lib.* II. *Epist.* CCXII. *pag.* 222. *edit. Paris.* „Quonam pacto, *inquit*, digni, „quibus fides haberetur, testes non essent, qui per sexcenta pericula, & mortis genera resurrectionis „veritatem confirmarunt, testimoniumque suum non atramento, sed cruore suo obsignarunt? Vide quæ diximus *lib.* I. *cap.* III. §. XIX. *pag.* 149.

(3) Paulus II. *ad Timoth: cap.* IV. *v.* 17. Dominum sibi adstitisse, ac robur addidisse, seque jam ex ore leonis liberatum fuisse, scribit. Sunt qui leonis nomine indicari Neronem putent. Adeundi Theodoretus in hunc Epist. ad Timotheum secundæ locum, Hieronymus *in Catal. Script. Ecclesiastic. c.* V. Baronius *ad an.* LV. *n.* VI. Tillemontius *T.* I. *Mon. H. E. p.* 688. *edit. Paris.* Sed recentiores quidam Helium Cæsareanum, cui Nero in Græciam proficiscens Urbem administrandam reliquerat, leonis nomine innui affirmant. Ita quidem censeat Acatholici Johannes Pearsonus in *Annalib. Paulinis opp. Posthum. pag.* 24. Johannes Clericus *Not. ad Hammond. pag.* 422. Beausobrius, & Lensantius in *Nov. Testam. Gallicum pag.* 892. At nihil impedit, quo minus leonis appellatione, bestias Paulus indicaverit: primo, quia liberatus certe ex Neronis, aut Cæsareani faucibus Paulus non fuit, cum Nerone Imperatore martyrio coronatus fuerit, cumque scriberet, proximam suam mortem esse affirmarit; secundo

fuiſſe, & cum beſtiis (1) quandoque pugnaſſe, & vel cruce denique, vel alio ſupplicii genere interiſſe. Itaque reſurrectionem Chriſti, quæ horum tam gravi teſtimonio fulta eſſet, revocari in dubium nequire. Quotum autem quemque eſſe, qui hominem malum, mendacem, impoſtorem, tot prodigiis clareſcere, excitari e mortuis, ſummaque gloria præſtare potuiſſe arbitretur? Jeſum igitur talem fuiſſe, qualem & ipſe ſe, & Apoſtoli cognitum prædicarant. Quare quam ipſe introduxerat religionem, non inanem, neque contemnendam, ut Ethnici, Judæique ante cogitarant, ſed ut veram obſervandam, ac retinendam eſſe.

Accedebat ad hæc, quod Ethnici, Judæique non ſolum cruciatus tolerari a Chriſtianis, qui cum Chriſto vixiſſent, cernerent, ſed etiam tanta alacritate, tantaque fortitudine, ac ſpe felicitatis ſempiternæ optari, perferrique viderent, ut perſpiceretur, eos non obſtinatione duci, ſed veritate eorum, quæ ab ſe inſpecta eſſe dicere ſolerent. Quæ cum ita ſeſe haberent, ab oriente ad occidentem ſolem ita auctus eſt numerus eorum, qui ſe Chriſtum colere profiterentur, ut diſcipuli Apoſtolorum id jam palam affirmare pergerent (2), quique inſtituti ab his eſſent, ne unam quidem hominum (3) ſeu Græcorum, ſeu Barbarorum, ſeu aliorum, qui

cundo conſtat, alios, qui eamdem religionem profiterentur, fuiſſe ad beſtias damnatos. Vide Lucam Holſtenium *in not. ad Act. SS. MM. Perpet. & Felicit. pag.* III. Octavium Ferrarium *lib. de veter. Acclam. & Plauſu lib.* VII. *cap.* XVIII. & Antonium Gallonium *de Martyr. Cruciatibus pag.* 437. Confer Epiſtolam Smyrnenſium de Martyrio *Polycarpi* §. XII. *T.* II. *PP. Apoſtolicor. pag.* 200. *edit. Cotelerii*, *Acta SS. MM. Perpetuæ, ac Felicit.* §. VI. *apud Ruinart. in Act. Sincer. SS. MM. pag* 95. *& ſeq.* & Epiſt. S. Ignatii ad Roman. §. VIII. *pag.* 73. *edit. Coteler. T.* II. *Apoſtolicor. Patrum*. Quod ſi cui fortaſſe difficile id creditu videatur, propterea quod ex ore leonum potius, quam leonis tunc dicturum Paulum fuiſſe exiſtimet, ei facile ſatisfieri poterit, ſi animadvertat multitudinem, quæ maleficos ad beſtias depoſcebat, clamare conſueſſe ad *leonem*, non ad *leones*. Ælius Lampridius in vita Comodi §. XVIII. Senatum Maximo acclamaſſe ait: *Delatoribus fuſtem, te ſalvo, delatores ad leonem, te imperante*. Quinetiam Tertullianus in *Apolog. cap.* XL. clamaſſe ſæpe Ethnicos affirmat, *Chriſtianos ad leonem*, & Smyrnenſes *in Epiſt. de Martyrio* Polycarpi *num.* XII. *pag.* 201. Ἐπεβόων, ἐ ἠρώτων τὸν ἀσιάρχην Φίλιππον, ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. *Clamabant, rogabantque Aſiarcham Philippum, ut leonem adverſus Polycarpum emitteret*.

(1) Beſtiis expoſitum fuiſſe Paulum plerique putant. Conſule Tillemontium *in vita Pauli not.* XXXX. *pag.* 560. *& ſeq. T.* I. *Mon. H. E. edit. Venetæ*, & Calmetum *Diſſert. præfixa Commentar. in* I. *Epiſt. ad Corinth.* Extat præterea de eodem argumento Severini Lintrupii diſſertatio inſerta *Tom.* II. *Theſaur. Philol. Theolog. edit. an.* 1732. *pag* 862. *& ſeq.*

(2) Clemens Romanus *Epiſt. ad Corinth.* §. V. *Tom.* I. *Epiſt. Romanor. Pontif. edit. Conſtantii* de Paulo loquens: *in Oriente*, inquit, *& Occidente verbi præco factus, illuſtrem ſuæ fidei famam ſortitus eſt, in juſtitia mundum univerſum inſtruens, & ad Occidentis penetrans terminos &c.*

(3) Conſtat enim Juſtinum Martyrem, & Irenæum diſcipulos eorum fuiſſe, qui Apoſtolos audierant. Jam vero Juſtinus *in Dialogo cum Tryphone pag.* 345. *edit. an.* 1615. „ Ne una quidem eſt hominum „ natio, *inquit*, ſive Barbarorum, ſive Græcorum, ſeu etiam aliorum omnium, quocumque appellen„ tur nomine, vel in plauſtris degentium, vel domo carentium, vel in tentoriis viventium, & peco-
„ ra

quocumque alio nomine vocarentur, nationem esse defenderent, in qua Christi nomen auditum non esset, & vero Deo gratiarum actiones non redderentur. Fuerunt præterea eorum aliqui, qui per universum orbem ab Apostolis, eorumque discipulis sparsam fuisse religionem Christianam, secundo seculo prædicarent. Quamobrem (1) Tertullianus auctor imprimis vetus Ethnicis, qui nos contemnere auderent, etsi hesternos esse nos facile permitteret, tamen omnia, quæ ab inimicis nostris obtinerentur, a nobis esse impleta, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum, dicebat. Quinetiam, ut Judæis quanta esset virtus nominis Christi ostenderet, nullam esse gentem tam feram, tamque barbaram demonstravit, in qua plerique non essent, qui nostram religionem colerent. Atque eadem Origenis (2), Arnobii (3), aliorumque dicendi ratio esse consuerat.

ΠΑΡΕΡ-

„ ra alentium, inter quos per nomen crucifixi Jesu preces, & gratiarum actiones Patri, & conditori „ universi non fiant „. S. Irenæus *lib.* I. *cap.* II. *contra Hæreses* „ Ecclesia, *inquit*, per universum „ Orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & a discipulis eorum accepit eam fidem &c. „ & *cap.* III. edit. vero Massueti x. *pag.* 49. „ Et neque hæ, *inquit*, quæ in Germania sunt fundatæ Ec- „ clesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ, quæ in Iberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, „ neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Lybia, neque hæ, quæ in medio mundi constitutæ.

(1) Tertull. *Apolog. cap* XXXVII. „ Hesterni sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, „ castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum, sola „ vobis reliquimus templa „ *Et contra Judæos cap.* VII. „ In quem alium, *inquit*, universæ gentes „ crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, „ Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pon- „ tum, & Asiam, & Pamphyliam, immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem, „ inhabitantes, Romani, & incolæ tunc in Jerusalem Judæi, & ceteræ gentes, ut jam Getulorum „ varietates, & Maurorum multi fines, & Hispanorum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, „ & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero Deo subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, „ & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & Provinciarum, & insularum „ multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare non possumus; in quibus omnibus locis Christi no- „ men, qui jam venit, regnat ... Christi autem regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omni- „ bus gentibus supra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur „ æqualiter „.

(2) *Lib.* I. *contra Celsum pag.* 6. *edit. Cantabrigiensis* „ In Christianorum, *inquit*, dogmata Se- „ natu Romano, Imperatoribus, exercitibus, populis ipsis fidelium necessitudinibus conspirantibus, op- „ pressa fuissent utique a tot inimicis, infestata undique, nisi divina virtute sustentata, e tot pressuris „ emergerent, totumque mundum in se concitatum vincerent „ & *pag.* 7. „ Per totam Orbem notior „ est Christianorum prædicatio, quam Philosophorum placita „ & *pag.* 41. Omnium gentium homines „ crediderunt Deo per eum, & in nomine ejus spem fixerunt „ & *lib.* II. *pag.* 110. „ At ego nescio, an „ homo ausus universum Orbem ad sui cultum, suamque doctrinam attrahere, potuisset sine Deo tan- „ tum successum habere, superareque omnia suæ doctrinæ obstacula, etiam Reges, Imperatoresque, Se- „ natum ipsum Romanum, & omnes omnium populorum principes. *Et lib.* IV. *Peri Archon cap.* I. „ In omni Orbe terrarum, in omni Græcia, atque universis ceteris nationibus innumeri sunt, & im- „ mensi, qui relictis patriis legibus, & his, quos putabant Deos, ad observantiam Mosaicæ legis, „ & disciplinarum se Christi cultum tradiderunt: & hoc non sine ingenti odio adversum se commoto „ eorum, qui simulacra venerabantur ... Et est videre quomodo brevi tempore ipsa religio crevit, „ pœnis multorum, mortibusque proficiens &c. .... Prædicatur tamen in toto Orbe terrarum, ita ut „ Græci, ac Barbari, sapientes, & insipientes religionem Christianæ doctrinæ suscipiant.

(3) Arnobius *lib.* II. *Adversus Gentes pag.* 50. „ Virtutes sub oculis positæ, *inquit*, & inaudi-

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

De Propagatione Christianæ Religionis a Neronis Augusti ad Trajani tempora, contra Campegium Vitringam.

§. I.

Plurimos Christianos a Neronis ad Trajani ætatem floruisse.

NON dubito futuros plerosque, qui genus hoc disputationis prætermitti a me potuisse arbitrentur, quod traditum ab antiquis scriptoribus sit, magnum a Nerone ad Trajanum usque fuisse numerum Christianorum, sitque jam omnium fere novorum summa in eadem re statuenda consensio. Sed hi certe si considerarint, quam sint multi hoc tempore ita animo comparati, ut non ea solum, quæ vim, notionemque hominum fugiant, sed res quoque manifestas, atque testatas, ut valere ingenio videantur, negent; non admirabuntur, me in originibus, antiquitatibusque Christianis explicandis hunc item mihi laborem sumsisse, ut eos breviter refellere studerem, qui & decepti eodem in genere fuissent, & incautos vel decipere, vel ad dubitandum de re minime incerta cogere curassent. Cumque Campegium Vitringam (1) hominem de numero Protestantium, qui apud suos magna in doctrinæ, eruditionisque celebritate versaretur, maxime laborasse animadvertissem, ut pervulga-

„ ta illa vis rerum, vel quæ ab ipso fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in Orbe toto, „ eas subdidit appetitionum flammas, & ad unius credulitatis assensum mente una concurrere gentes, & „ populos fecit, & moribus dissimillimas nationes. Enumerari enim possunt, atque in usum computa- „ tionis venire ea, quæ in Italia gesta sunt, apud Seras, Persas, & Medos: In Arabia, in Ægypto, „ In Asia, Syria; apud Galatas, Parthos, Phrygas; in Achaia, Macedonia, Epiro, in Insulis, & Pro- „ vinciis omnibus, quas sol Oriens, atque Occidens illustrat, ipsam denique apud dominam Romam, „ in qua cum homines sint Numæ Regis artibus, atque antiquis superstitionibus occupati, non di- „ stulerunt tamen res patrias relinquere, & veritati coalescere Christianæ „. Præterea *lib.* I. „ Un- „ de tam brevi tempore totus mundus ista religione completus est „? Adeundi Lucius Cæcilius *lib. de Mortibus persecutorum cap.* II. Eusebius *Orat. de Laudibus Constantini pag.* 662. *& lib.* I. *Præparationis Evangelicæ cap.* III. *& lib.* II. *Hist. Ecclesiasticæ cap.* III. Lactantius *lib.* V. *cap.* XIII. *Institut. Divinar.* S. Johannes Chrysostomus *Tom.* VIII. *opp. edit. Montfauconi pag.* 9. *& de Laudibus Pauli Apostoli homil.* I. *Tom.* II. *pag.* 477. S. Hieronymus *in cap.* V. *Amos Tom.* III. *opp. pag.* 1412. & *epist.* XXXV. *ad Heliodorum Epitaph. Nepotiani T.* IV. *opp. pag.* 268. & *epist.* LVII. *ad Latam pag.* 591. *edit. Martianæi*, Theodoritus *lib.* IX. *Therapeutices pag.* 115. *T.* IV. *opp. pag.* 610. *editionis Sirmondi.* Isidorus Pelusiotes *lib.* I. *epist.* CCLXX. Julius Firmicus *lib. de errore Profanar. religion.*

(1) *Observat. Sacrar. lib.* IV. *cap.* VII. *per totum.*

vulgatam opinionem ex animis Chriſtianorum, ſi poſſet, evelleret; ſacile mihi perſuaſi, aut nullos omnino, aut ſi quos uſquam, perpaucos quidem certe futuros, qui ſi onus illius refutandi ſuſcepiſſem, meum eſſe conſilium reprehendendum putarent.

Omnis autem veteris ſententiæ conſtituendæ duplex eſt ratio. Una ex ethnicorum teſtimoniis, altera ex auctoritate majorum noſtrorum ducitur. Utque ab ethnicis ſcriptoribus initium ſumam orationis: Cornelius tacitus in xv. Annalium libro (1), Neronis ætate ingentem fuiſſe multitudinem Chriſtianorum, ſcribit. Brutius quoque vetus Chronographus imprimis ab Euſebio, a Compilatore Chronici Paſchalis (2), atque ab Syncello laudatus, auctor eſt, de multis Chriſtianis Domitianum Imperatorem (3) ſupplicium ſumſiſſe. Ac ne in cogitationem quidem cadit, potuiſſe in multos imitatorem Neronis Domitianum animadvertere, ſi pauci tunc erant, qui Chriſtianam religionem profiterentur. Quid ſi pleroſque noſtrum eo tempore mortis, tormentorumque periculum declinaſſe credibile ſit? Ex qua re plane eſt conſequens, longe majorem fuiſſe eorum numero, qui in cruciatum veniſſent, numerum ſuperſtitum Chriſtianorum. Nam fuiſſe e magnis familiis Romæ eo ipſo tempore viros, ac fæminas, a quibus noſtra inſtitutio coleretur, quis neget? Flavius Clemens Domitiani (4) patruelis, ac Flavia Domitilla, de qua alio loco facta a nobis eſt mentio, quod Chriſtiani eſſent, pœnas Imperatori improbo dederunt. At ſi dites, nobiles, e gente denique Auguſtorum viri, mulieresque noſtræ religioni nomina dederant, quot cives, quamque magno numero plebejos eidem acceſſiſſe credendum eſt? Atque eſt illud etiam in memoriam revocandum, quod ſcriptum ad Trajanum a Plinio juniore fuiſſe, dixi. Nam ſi circa centeſimum æræ vulgaris, atque quartum annum adeo res Chriſtiana aucta erat, ut in Bithynia, ſi ſævitum in noſtros fuiſſet, maxima pars provincialium in extremum vitæ periculum (5) veniſſet, quis tam erit abſurdo ingenio, ut poſtremis ſaltem

(1) *Cap.* xliv. „ Repreſſa in præſens exitiabilis ſuperſtitio (*Chriſtianam Religionem hoc ille* „ *tam contumelioſo vocat nomine*) rurſus erumpebat, non modo per Judæam originem ejus mali; „ ſed per Urbem etiam ... Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum *multitudo* „ *ingens &c.*

(2) Conſule Fabricium *lib.* v. *cap.* iv. *Biblioth. Græca pag.* 136. *T.* vi.

(3) Confer Auctorem Chronici Paſchalis *pag.* 591. *ad an.* xiii. *Domitiani*, ubi ait, Brutio auctore, tunc multos Chriſtianos *μεμαρτυρηκέναι*.

(4) Vide Suetonium *in Domit. cap.* xv. & quæ dicta a nobis ſunt *lib.* i. *cap.* ii. §. xx. & xxiii.

(5) *Plin. lib.* x. *epiſt.* 97. „ Viſa eſt mihi res digna conſultatione propter periclitantium numerum. „ Multi

tem Domitiani temporibus perplures fuisse in Bithynia Christianos, inficietur? Namque tum primum, cum imperio potitus Trajanus est, præcones religionis, qui ante otio indulsissent, mutique in angulis constitissent, subito excitatos prodire in publicum statuisse, sacrisque Christianis, atque doctrinæ propagandis dedisse operam, inque re tanta tam admirabiles progressus fecisse, quis putet, ut paucorum annorum intervallo Christianis Bithyniam universam implerent, ac desolata idolorum templa, & sacra pene intermissa essent? Accedit Tiberiani auctoritas, qui in prima Palæstina Præsidis officio functus fuisse Trajani (1) tempore dicitur. Scio esse aliquos, qui ejus ad eumdem Imperatorem litteras in spuriis esse numerandas putent. Sed fuisse aliquos non Anglorum Episcopalium modo, verum etiam sociorum Vitringæ magna eruditione viros (2) certo scio, qui Cotelerio irascerentur, propterea quod sibi suspectas esse falsitatis, scripsisset. Quod si is eadem fere de Palæstinis Christianis, quos Galilæos appellat, scripsit, quæ dicta a Plinio de Bithyniæ incolis fuerunt, indicio est eadem ætate tot fuisse in ea Provincia nostrorum hominum, quot fere in Bithynia numerabantur. Est illud præterea animadvertendum, injuriam Apostolorum discipulis, ac Johanni imprimis Evangelistæ a Vitringa conflari, qui cum superstites essent, tamen silerent, propterea quod deferbuissent, eoque *spiritu* diminuti essent, quo vivis Petro, ac Paulo excelluerant.

Nam si de Christianis scriptoribus loqui velimus, quotus quisque est, qui revocare in controversiam possit, quæ sunt ab ipsis monumentis mandata litterarum? Ac Clementis quidem, quod paullo ante productum testimonium est, nonne satis ostendit, in oriente, & occidente quo tempore ipse scribebat, viguisse Christianam religionem? Quid? si tanta fuisset segnities, atque indiligentia nostrorum ubique terrarum non ob vexationes modo, quibus in nos sævierat Nero, sed etiam ob improbitatem hæreticorum, qua tandem fronte Clemens Corinthios accusasset (3), quod magna dissensione animorum certarent, inque caussa essent, cur Ecclesiæ, quæ

„ Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est... Prope jam desolata templa, & sacra solemnia diu intermissa &c.

(1) Vide eam Epistolam apud Suidam ad v. Τραϊανὸς, & apud Cotelerium *T. I. Apostolicor. Patrum edit. an.* 1724. *pag.* 181.

(2) Johan. Alb. Fabricius *Salutari Luce Evangelii cap.* VII. *pag.* 137.

(3) Discrepant scriptores in constituendo anno, quo scripta hæc Epistola fuit. Hoc conveniunt (nisi

quæ instituta ab Apostolo Paulo fuisset, nomen laceraretur? Ego vero etsi Hermæ eum, qui *Pastor* inscribitur, (1) librum tanti non faciam, ut esse in sacris Scripturis ponendum existimem, tamen & ante commotam in nostros tempestatem a Domitiano, & vivo Clemente, qui primas tunc in Romana Ecclesia partes obtinebat, perscriptum fuisse defendo. In eo autem libro & plures Romæ, & in Provinciis permultos fuisse Christianos legimus, ad quos mittendæ a Clemente Hermæ visiones essent. Quodsi perpauci Christiani & Romæ, & alibi erant, quid caussæ fuisset, cur Domitianus in eos omnia cruciatus exempla edi oportere arbitraretur, a quibus certe nihil fuisset propter paucitatem metuendum? At Tertullianus, & qui post eum floruerunt Eusebius, atque Cæcilius nonne statutum a Domitiano fuisse tradiderunt, ut in nostros, quibus modis

(nisi eos excipias, qui vetera monumenta voluntate contra dicendi ducti rejiciunt) neque ante martyrium SS. Apostolorum Petri, & Pauli, neque post Domitiani interitum esse scriptam. Itaque si quid continet de magno Christianorum numero, hoc necesse est Vitringæ sententiam evertat. Principio igitur Clemens nusquam de imminuto numero Christianorum, præsertim in Romana Ecclesia, queritur. At id quidem certe questus fuisset. Nam si qua Ecclesia Domitiano Imperatore vexata est, ea quidem certe Romana fuit. Quodsi, auctore Vitringa, *persequutio* in caussa fuit, cur tepesceret caritas, & fervor Christianorum, tepuerit scilicet oportet Romæ potius, quam uspiam alibi. Atque ut vexationes, quas perpessa Ecclesia Romana erat, non prætermisit, ita ne imminutum quidem persequutione numerum Christianorum prætermisisset. *Num.* enim 1. epist. hæc leguntur: *Propter calamitates, & casus adversos, qui nobis acciderunt, fratres, tardius videmur convertisse animum re ad eas res, quæ a vobis, dilecti, quæsita sunt.* Secundo autem loco non exprobrasset, quasi iis peculiare quidpiam esset, Corinthiis Clemens *n*. 2. *& seqq.* tepuisse nempe *illorum sollicitudinem pro universa fraternitate, ut cum misericordia, & conscientia servaretur numerus electorum Dei*, si hoc commune non Corinthiorum modo, sed etiam omnium aliorum, immo vero Romanorum quoque vitium fuisset. Tertio, de martyribus, qui proxima in persequutione obierant (ea vero Domitianea, mea quidem sententia, fuit) loquens „ His viris, *inquit*, *nempe Apostolis Petro, & Paulo*, qui divinam vitam duxerunt, aggregata „ est πολὺ πλῆθος ἐκλεκτῶν *multitudo magna electorum*, qui multas contumelias, multaque tor„ menta propter æmulationem passi, pulcherrimo apud nos exemplo extiterunt. Quodsi πολὺ π[illegible] *multa tormenta* pertulit Domitiani tempore, (scriptam enim, ut dixi, hanc Epistolam fuisse verisimilius arbitror post persequutionem Domitiani) magnus profecto numerus Romæ Christianorum fuerit, Domitiani tempore, necesse est. Alioqui nisi plurimi Christiani fuissent, ne magna quidem multitudo martyrum esse Romæ potuisset. Præterea, cum de Ecclesiis per provincias varias constitutis ab Apostolis *num.* 42. disserit, tantum abest, ut eas defecisse scribat, ut solum Corinthios ob Schisma, & divisionem reprehendens, de ceteris nihil omnino queratur. Denique si segniores fuissent a Nerone ad Domitianum in propaganda Religione Christiani, ut Vitringa putat, adeoque imminutus fuisset numerus Christianorum, quemadmodum alios post Apostolos percurrisse provincias, Episcoposque constituisse *num*. 44. Clemens affirmasset? Ac si altera ad Corinthios Epistola genuina est (genuinam autem viri gravissimi, & criticæ facultatis studiosi permulti esse arbitrantur, neque ulla fortasse est, cur in spuriis numerari debeat, caussa) nullum jam dubium erit, quin auctore Clemente, perplures fuerint sub Domitiano Principe ubique gentium Christiani. *Num. enim* 11. *apud Coustantium T*. 1. *epist. Rom. Pontif. pag* 41. „ Quod dixit, *inquit*, lætare sterilis, quæ non paris, nos dixit; sterilis quippe erat Eccle„ sia nostra, antequam ei essent dati liberi ... Quod autem dixit, quia multi filii desertæ magis, quam „ ejus, quæ habet virum: quandoquidem populus noster (*Gentilis scilicet*) a Deo desertus esse vi„ debatur; nunc autem, cum credimus, πλείονες ἐγενόμεθα *plures facti sumus* iis (Judæis) qui „ Deum habere censebantur.

(1) Consule Hermæ *Pastor. l.* 1. *c.* 11. §. 1. *& seqq. pag.* 36. *& seqq.*

dis posset, animadverteret (1)? Quod si a Nerone ad Trajanum pietas, & multitudo Christianorum adeo decreverat, ut Vitringa putat, explicari nullo modo poterit; quemadmodum tam brevi tempore non quæ mansuetæ solum essent, sed efferatis etiam moribus nationes Christianis sacris assuevissent, ut Antoninorum ætate nullæ fere essent, in quibus vero Deo honor, precesque non adhiberentur?

§. II.

Solvuntur argumenta Vitringæ.

SED rem ipsam multo fore existimo clariorem, si argumenta, quibus tota nititur Vitringæ sententia, proposita, accurateque confutata sint. Igitur ille primum omnium Ecclesiam initio admirabilem in modum floruisse scribit. Ac miror equidem, quid fuerit, quod primordiis religionis pepercerit is, qui progressibus tantopere adversaretur. Mox addit, Christianos paullo post, quam Spiritus Sancti donis aucti Apostoli fuerunt, vexatos a Synedrio sub Cajo Caligula Imperatore, deinde ab Herode sub Claudio exagitatos, postremoque Neronis jussu ad necem quæsitos, perterritos adeo fuisse, ut nonnihil quidem initio, plurimum autem extremis Neronis ejusdem temporibus de studio colendæ Orthodoxæ religionis remiserint. Atque improbos quidem aliquos homines, qui se nostrum fratres esse mentirentur, essentque multis, & magnis erroribus implicati in caussa fuisse, cur res Christiana pene intercideret.

Verumtamen tota hæc oratio magno in vitio est. Nam Cajo, & Claudio Imperatoribus tam est falsum, quidquam remissum a Christianis fuisse de studio, quo ante flagrassent, tuendæ religionis, ut certum sit fuisse eorum & auctum numerum, & mirifice amplificatam rempublicam. Quæ res cum paragraphis superioribus narratione rerum præclare ab Apostolis, imprimisque Petro, & Paulo gestarum demonstrata sit, nostra nunc oratione non eget. Namque Nerone

 Impe-

(1) Vide Tertullianum *Apolog. cap.* v. & Eusebium *lib.* III. *cap.* xiv. *editionis Christophorsoni pag.* 64. Itaque Xiphilinus *in epist. Dionis* (ac proinde potius Dio *in Domitiano*,, Eodem anno, ,, *inquit*, Domitianus cum alios multos, tum vero Flavium Clementem consulem (etsi patruelis ejus ,, erat, & Flaviam Domitillam Domitiani consanguineam uxorem habebat) morte affecit, illato ,, ambobus crimine Atheismi (*ita enim Christianam Religionem fuisse vocatam ostendimus supra* ,, *lib.* I. *cap.* III. *pag.* 113.) cujus rei caussa *multi*, qui in Judæorum Sacra transierant (*Judæorum* ,, *autem nomine Christianos intelligit*. Vide supra *lib.* I. *cap.* I. §. 23. *pag.* 95. *& seqq.*) damnati ,, sunt, quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus,,. Quod si multi fuerunt, qui passi sint sub Domitiano, multi eo intervallo temporis, quod a Nerone ad Trajanum fluxit, Christiani fuerint necesse est.

Imperatore magnos fuiſſe a Petro, & Paulo non in Oriente ſolum, ſed etiam in Occidente, Romæque potiſſimum progreſſus factos, revocari in controverſiam arbitror nullo modo poſſe. Eſt enim auctor in Actis Apoſtolicis Lucas, fuiſſe Romæ, quo tempore eodem Paulus acceſſit, homines, qui noſtra religione tenerentur. Quid? Si integrum eidem Apoſtolo fuit duorum annorum intervallo Romæ (1) agere, Chriſtianamque diſciplinam (2) impune docere? An eum tot laboribus ſuſceptis, nihil profeciſſe Vitringa dicet? Non audebit, opinor; niſi convinci velit auctoritate ſcriptorum Ethnicorum. Satis namque perſpicua eſt Cornelii Taciti acerrimi noſtrorum hominum hoſtis ſententia, qui anno 64. æræ Chriſtianæ, qui decimus Imperii Neronis annus fuit, *magnum numerum* Chriſtianorum fuiſſe tradidit, ut eſt paullo ante illius teſtimonio demonſtratum. Quod ſi hæreticis tantam vim, tantamque pervertendorum Chriſtianorum facultatem Vitringa tribuit, ut hos cauſſam ejus mali præcipuam fuiſſe defendat, quid eſt, quod reſtitutum priſtinum ſplendorem Eccleſiæ fuiſſe pugnet temporibus ſequentium Imperatorum Nervæ, Trajani, Hadriani, Antoninorum, quibus certe & multo plures, & gravioribus erroribus infecti hæretici in fraudem mortales illicere conarentur? Mihi autem ne veriſimile quidem videtur eſſe, plus Carpocrate, Valentino, Cerdone, Marcione, qui poſt Nervæ tempora Eccleſiam perturbarunt, decipiendi arte valuiſſe Nicolaitas, alioſque aliquos, qui etſi orti ante Domitiani ætatem fuerant, tamen minus erant in Philoſophicis, inque Bibliorum ſacrorum lectione verſati.

Reſtat, ut de annis fere triginta, qui a Neronis interitu ad Trajanum uſque fluxerunt, quid Vitringa cenſeat, videamus. Atque ut oſtendat, exiguum Chriſtianorum numerum eo intervallo temporis fuiſſe, abutitur Lucii Cæcilii ſcriptoris IV. ſeculi teſtimonio, qui reſciſſis ab Senatu actis Domitiani, non modo *reſtitutam Eccleſiam in priſtinum ſtatum fuiſſe, ſed etiam multo clariorem enituiſſe* (3) affirmat. Sed de afflictis Eccleſiæ rebus Veſpaſiani, ac Titi tempore in Lucii Cæcilii libro ne veſtigium quidem reperitur. De furore Domitiani loquitur, qui ſane effecit, ut noſtris vitæ periculum declinaturis prodire in publicum, amplificareque Eccleſiam non liceret. Ac facile pro-

(1) *Cap.* XXVIII. *v.* 30. (2) *Ibid. v.* 29. *& ſeq.*

(3) Verba Lucii Cæcilii *cap.* III. *libri de Mortibus perſecutorum pag.* 186. *& ſeq. edit. Nov. Pariſ. opp. Lactant.* „ Poſt hunc, *inquit*, (*nempe Neronem*) interjectis aliquot annis, alter non minor „ Ty-

profecto patiar, quum Imperatores in nostros sævirent, labi multos, idolisque sacrificare, ac proinde imminui aliquanto Christianorum numerum consuesse. Quod cum, Trajano Imperatore, (1) contigerit, quo floruisse Ecclesiam Vitringa non negat, cur item sub Domitiano non contigisset? Igitur quemadmodum cum Trajanus fecisset Christianos vexandi finem, restituta in pristinum statum Ecclesia dici potuit, propterea quod multi eorum, qui lapsi fuerant, ut credere quidem licet, resipuissent, qui vero in officio manserant, novos spiritus sumsissent, latiusque, ut factum omni ætate est, nomen Christianum propagassent, ita rescissis actis Domitiani, libertateque nostris in publicum procedendi, finesque Ecclesiæ dilatandi minime ademta, jure dictum a Cæcilio est, & restitutum pristi-

,, Tyrannus ortus est, qui cum exerceret injustam dominationem, subjectorum tamen cervicibus incubavit, quam diutissime, tutusque regnavit, donec impias manus adversus Dominum tenderet. ,, Postquam vero ad persequendum justum populum *instinctu dæmonum* incitatus est, tunc traditus in ,, manus inimicorum luit pœnas. Nec satis ad ultionem fuit, quod est interfectus: domi etiam memo- ,, ria nominis ejus erasa est ... Rescissis igitur actis tyranni, non tantum in statum pristinum Ecclesia ,, restituta est, sed etiam multo clarius, ac floridius enituit, secutisque temporibus, quibus multi, ,, ac boni Principes Romani Imperii clavum, regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa, ,, manus suas in Orientem, Occidentemque porrexit, ut jam nullus esset terrarum angulus tam re- ,, motus, quo non religio Dei penetrasset, nulla denique regio tam feris moribus vivens, ut non su- ,, scepto Dei cultu ad justitiæ opera mitesceret. Sed enim postea longa pax rupta est. Extitit enim ,, post annos plurimos Decius &c. ,, Ex quibus verbis hoc unum colligitur, ob sævitiam Domitiani nonnihil detrimenti, ita ut fieri *persecutionis* tempore solebat, Ecclesiam cœpisse; sed ei post rursum non solum suum pristinum splendorem restitutum, sed ejus etiam ad Decii usque tempora dilatatos terminos fuisse. Id vero negari non potest. Sed non sequitur, nullus a Christianis, antequam vexandi Domitianus initium fecisset, fuisse progressus factos, hosque in otio languescere consuesse, ut Vitringa putat. Atque ab Apostolis, eorumque discipulis ubique fere terrarum fuisse Evangelium prædicatum, & fundamenta Christianismi jacta, atque mirifice auctum numerum Christianorum, Cæcilius refert; *cap.* II. *pag.* 184. *& seq.* ,, Apostoli, *inquit*, dispersi sunt, *per omnem terram ad Evangelium* ,, *prædicandum*, sicut illis Magister Dominus imperaverat, & per annos xxv. usque ad principium ,, Neroniani Imperii per OMNES PROVINCIAS, ET CIVITATES Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque ,, jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit; & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei ,, data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele, ac ,, stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romæ, sed ubique ,, quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad Religionem novam, damnata ve- ,, tustate, transire, ut erat execrabilis, ac nocens Tyrannus, prosilivit ad excidendum cæleste tem- ,, plum, delendamque justitiam, & primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci adfixit, & ,, Paulum interfecit ,,. Quem locum eo attuli, ut si qui sunt, qui Vitringæ assentiantur, intelligant, non fuisse tum primum propagari cœptum Christianismum, cum Domitianus periit, ut neque tum demum perfecta propagatio Religionis est, cum Decius sævire in nostros cœpit, sed ante Neronis persequutionem in omne fere cognitum orbem Christianum nomen manasse, productum deinceps latius ad Decii tempora fuisse, & tandem magis magisque auctum sub Constantino; sed nondum esse perfectam propagationem, quod plures adhuc regiones sint, quæ neminem de Christo loquentem audierunt. Atque discipulos Apostolorum, mortuis Petro, & Paulo, segniores fuisse factos propter persequutionem, tumque spiritus novos sumsisse, cum potitus Nerva imperio est, numquam inducam animum, ut credam. Nam si nos monumenta deficerent, quibus eos diligentem operam convertendis Ethnicis, confirmandisque in officio Orthodoxis navasse demonstraretur, quæ sane nobis minime, ut vidimus, desunt, tamen quoniam augeri non minui res Christiana sanguine Martyrum solebat, semper in ea opinione manerem, ut cum Nero vexare nostros cessavit, multiplicatos fuisse Christianos arbitrarer.

(1) Quot enim lapsi fuerint Trajani tempore, constat ex Plinii ad Trajanum epistola modo laudata,

num statum Ecclesiæ fuisse, & rem Christianam magis magisque amplificatam. Quod si eorum testimoniis, qui IV. Ecclesiæ seculo floruerunt, agendum in hoc genere est, ut esse agendum Vitringa statuit, alioqui Lucio Cæcilio teste usus numquam fuisset; nihil negotii erit demonstrare veram esse, quam exposui, meam, adversarii autem longe distare a veritate sententiam. Eusebius Cæsariensis gravis auctor imprimis, ac Cæcilio æqualis in III. Historiæ Ecclesiasticæ libro (1), *magnopere splenduisse nostræ* institutionis doctrinam, scribit, quo tempore Domitianus de nostris hominibus supplicium sumere decreuit. Sed ne illud quidem vererer, si ex me antiquiora is peteret, qui confugit ad Cæcilium. Sunt enim mihi, quæ ex Dione, exque aliis Ethnicis collegi, illustria monumenta in promtu.

Dat quidem facile nobis Vitringa, nullam esse a Cæcilio factam illius temporis, quod a Nerone ad Domitianum fluxit, mentionem. Sed quoniam descriptis diligenter iis, quæ decreta, gestaque contra nostros ab Nerone fuerunt, mox is ad Domitianum venit, atque inde, ut hujus actis auctoritate Senatus rescissis, Ecclesiæ restitutus splendor, finesque dilatati fuerint, proponit; magno id quidem esse argumento Vitringa putat, a Nerone ad Nervam segniores nostros in colenda pietate, & studio promovendæ religionis fuisse.

At quid illud sit, quod esse consequens ex transitu Cæcilii a Nerone ad Domitianum censet, non intelligo. Neque enim fieri aliter a Cæcilio potuit. Nam is eorum tantum Imperatorum res impie, injusteque gestas describere instituerat, qui Christianorum rempublicam excindere curarunt. Post Neronem autem constat, neminem ad Domitiani tempora fuisse, qui in nostros sævire auderet. A Nerone igitur ad Domitianum, quin Vespasiani, ac Titi meminisset, veniundum Cæcilio omnino fuit, ni contra ea, quæ sibi erant proposita, peccare voluisset. Quod si Cæcilius tacitus prætermisit, quæ ante a Christianis præclare, magnificeque geri consuerant, quod ita ratio flagitaret, non prætermisit Eusebius, qui cum non minus diligens, ejusque æqualis esset, tum scripsit historiam non persecutorum modo, sed etiam rerum omnium, quæ Ecclesiæ jamusque a primis temporibus contigissent,

Nam

(1) *Cap.* XIV. *edit. Christophorsoni pag.* 64. „ Tantopere, *inquit*, temporibus illis (Domitiani) τῆς ἡμετέρας πίστεως διδασκαλία διέλαμπεν *nostræ fidei doctrina splendebat*, *ut hi etiam*
„ *Scriptores*, qui a sermone, & disciplina religionis nostræ videntur prorsus alieni, historiarum suarum
„ monumentis cum persecutionem, tum Martyria, quæ id temporis gesta erant tradere minime gra-
„ vati fuerint. Sed hæc verba contorquet Vitringa, quem refellam *cap.* VIII.

Nam alterum argumentum Vitringæ quale tandem eſt ? Hiſtoriam, inquit, triginta illorum annorum diminutam, & ſterilem habemus. Quaſi vero multo ea ſit copioſior, quæ res a Nervæ ad Antonini tempora in Eccleſia geſtas continet. Verum fuerit illa multis partibus diminuta, hæc perfecta; quid tum ? Quid ? inquit. Si tales animi eorum fuiſſent, quales eſſe debebant verorum Chriſtianorum, curatum ſine dubio a majoribus noſtris fuiſſet, ut qui eo tempore viri, qua doctrina, quibus moribus floruerint, quid ſcripſerint, quas gentes ad Chriſtianam religionem colendam traxerint, ſciremus. At rerum ejuſmodi aut nulla, aut perpauca, eaque jam non ab æqualibus, ſed ab iis, qui diu poſt vixerunt, tradita reperire in Hiſtoria exempla licet. Contemni autem, omittique potuiſſe, quæ magnam attuliſſent Eccleſiæ utilitatem, ſi mandata monumentis litterarum fuiſſent, ſuſpicari qui poſſumus ?

Ego vero metuo, ne hoc genus argumenti latius pateat, quam Vitringa velit. Nam exceptis Petro, & Paulo, a ceteris Apoſtolis quæ regiones peragratæ, quid actum, quæ gentes ad Chriſtum ſequendum inductæ fuerint, eſt ne a ſcriptore aliquo traditum, qui vel æqualis, vel recens ab illorum ætate eſſet ? Quis autem eſt, qui nihil ab eis, nihil, demtis Stephano, atque Philippo, a Diaconis,quos Lucas plenos Spiritu Sancto fuiſſe docet (1),nihil a ſeptuaginta diſcipulis actum fuiſſe præclare putet ? Ac ſexcenta ſunt ejuſmodi, quæ, ne moleſtus cuiquam ſim, prætermitto. At ne illud quidem eſt verum, quod, quaſi concedatur, Vitringa ſumit, neminem veterum fuiſſe, qui quæ fuerint eo tempore a noſtris facta referre in commentarios curarit. Sunt enim nobis in promtu non Chriſtianorum modo,qui,Domitiano Imperatore,viguiſſe Eccleſiam ſcribant; ſed etiam Ethnicorum, magnam copiam Martyrum,majoremque Chriſtianorum tunc ætatis fuiſſe, ajentium (2). Quod ſi quid ſit a quoque eorum geſtum Vitringa quærat; narret ipſe primum, quid a Matthæo, quid a Thoma, quid a Bartholomæo, quid a ceteris actum aut Lucas, aut alius quiſpiam ante Clementem Alexandrinum,atque Origenem poſterorum memoriæ commendaverit. Nam ſi *generalibus*, ut ajunt, teſtimoniis utatur, quæ ferant, Apoſtolos (3) prædicaſſe ubique, ſunt nobis item generalia, ut vidimus, teſtimonia, quot ſatis eſſe ad efficiendum, quod volumus, poſſint. Quid ?

(1) *Act. cap.* VI.
(2) Vide teſtimonia paullo ante recitata.
(3) Marcus Evangel. *cap. ult. verſ. ult.*

Quid? Si magnos viros, qui & libros scripserint, & nihil prætermiserint eorum, quæ conducere ad stabiliendam, augendamque Christianam religionem censerent, eo ipso tempore floruisse constet? An scriptum plus quidquam a Jacobo Apostolo fuit, quam ad Corinthios Clemens scripserit? Nam de Herma, qui librum, quem inscripsit *Pastorem*, edidit, quique prospexit futurum, ut a Domitiano nostri vexarentur, non est opus, ut multis esse agendum putem. Antipas (1) vero, & Episcopi Thyatiræ, Ephesi, Smyrnarum, quos laudat in Apocalypsi Johannes, nonne id enixi sunt, idque maxime laborarunt, ut fines Ecclesiæ dilatarent? Age vero credibile ne est, Ignatium Martyrem, Papiam Hierapolitanum, eosque omnes, quorum in septem Epistolis ab Ignatio facta est mentio, desides ante fuisse, tumque repente, cum Trajanus potitus imperio est, extitisse, atque opera, laboribusque suis impetrasse, ut digni esse, qui administrarent Ecclesias, existimarentur? Mitto nunc de iis agere, qui Ignatium a Petro dictum fuisse Episcopum Antiochenorum, scripserunt. Hoc enim si detur, qui vir quanta laude doctrinæ, atque virtutis a Neronis ætate ad Trajani tempora moderatus Antiochenam Ecclesiam fuerit, plane constaret. Sed quid opus est multis? Si plures Domitiano Imperatore, ut paullo ante demonstratum est, tanta erga Deum pietate fuerunt, quanta, ut cruciatus, extremaque supplicia incredibili constantia perferrent, requirebatur; necesse est, ut ante instituti in doctrina Christiana fuerint ab iis, quibus cordi propagatio religionis esset; viguerintque proinde in Ecclesia homines, qui ob eam rem nulli labori esse parcendum arbitrarentur.

Non moror tertium, quod est additum a Vitringa de Eusebio, qui de prima successione perpauca scripserit, quæ hausta magnam partem ex Justino, Irenæo, Dionysio Corinthio, Hegesippo, Papia seculi secundi scriptoribus sint, nullamque interdum obtineant auctoritatem. Negari namque nullo modo potest, non Apostolos solum, sed primos etiam eorum successores non tam curasse, ut quæ ab se, suisque sociis gesta essent, litteris mandarentur, quam ut in religione Neophyti manerent, ac Judæos, Ethnicosque ad Christiana sacra sese converterent. Quare mirum non est, si plura nos lateant, quæ digna fuissent, quæ a posteris cognoscerentur. Atque ea quidem pauca, quorum est ad nostram ætatem traducta memoria, a quibusnam, nisi ab eo-

(1) Vide *Apocalypsin Johan. cap.* 11. *& seq.*

ab eorum virorum diſcipulis Papia, Dionyſio Corinthio &c. repeti debuerunt? Quod ſi hi lapſi quandoque in re aliqua deſcribenda ſunt, quod homines eſſent, nihilque humani ab ſe alienum putarent, non tamen continuo ſequitur, non eſſe illis in ceteris adjungendam fidem. Quotus enim quiſque Hiſtoricorum eſt, qui cum res etiam illas, quæ ſua ætate contigiſſent, narraret, (ſacros excipio) vera ſcripſerit ſæpe, errarit numquam? Sed ne rem minime dubiam, argumentando dubiam videar facere, hoc ex Euſebio repetam, hunc ipſum, qui pauca ſe inveniſſe, quæ ad primam ſucceſſionem pertineant, ſcribit, alio in loco affirmare, tunc maxime Eccleſiam floruiſſe, cum illatum eſt illi a Domitiano bellum, idque jam eſſe non modo noſtrum hominum, ſed etiam hoſtium ſcriptis teſtatum.

Nam quartum, quo ille utitur, quodque ſatis grave eſſe argumentum putat, inane eſt. *Papias*, inquit, τῆς πρώτης διαδοχῆς *primæ ſucceſſionis* doctor, etſi in dicta factaque τῶν πρεσβυτέρων *ſeniorum*, Apoſtolorum ſcilicet, virorumque Apoſtolicorum diligenter ab ſe fuiſſe inquiſitum, ſcribit, tamen ſunt ea, quæ collegit omnino pauca, & plena, ne diſſimulante quidem Euſebio, fabularum.

At ſi vis ineſt huic argumentationi ulla, quid ſequatur, Vitringa viderit. Non enim a Nerone ad Trajanum tantum; ſed a Tiberio quoque ad Hadrianum geſtæ res nullæ præclare a Chriſtianis fuiſſent, quæ dignæ viderentur memoria poſterorum, cum pauca Papias collegerit. Igitur Apoſtoli, eorumque diſcipuli non id egiſſent, quod eſt a Marco relatum in commentarios. Qua re quid dici poteſt abſurdius? Ac ſi ex Papia, & Hegeſippo, qui ejus æqualis fuit, pauca mutuatus eſt Euſebius, quorum ſunt aliqua ſuſpecta falſitatis; hoc tamen contentus ero, quo monumenta extare imprimis antiqua ſciam, quæ plane efficiant, florentem tunc ætatis Eccleſiæ ſtatum fuiſſe, ut quæ magno numero & religionis defenſores, & fortes homines contineret, qui quoſlibet cruciatus perferre, quam ejurare Chriſtum Servatorem mallent.

At enim quid cauſſæ fuit, inquit, cur Hegeſippus prætermitteret, ſi ulla, quæ geſta a Neronis tempore ad Trajani imperium, & digna memoratu eſſent, habuit in promtu? Ego quid cauſſæ fuerit, ſi novit, neſcio. Ea homini minus fortaſſe comperta fuerunt. Quid? Si prætermitti etiam potuerunt ab Euſebio, ut qui alio ſibi eſſe properandum cenſeret? Nam aliqua ex Hegeſippo, & Diony-

ſio Co-

sio Corinthio vix attingit in III. libro Historiæ, quæ tam breviter ab illis fuisse comprehensa, ne suspicari quidem possumus. Sed sit, ut Vitringa volet. Nihil enim impedio. Illud certo equidem scio, fuisse alios, qui paucis verbis & vera, & multo plura, quam Hegesippus scripserit, referrent. Sed eorum testimonia, quoniam recitata paullo ante sunt, nunc omittantur. Nam quod (1) Dodwellum sibi habeat Vitringa consentientem, parvi refert. Viro, cui contra omnium veterum monumenta paucos fuisse in Ecclesia Martyres visum est, minus celebre gestis Christianorum illud intervallum temporis fuisse ajenti, nisi quod dicit antiquorum dictis ostenderit, numquam credam. Moveor enim non recentium, quantalibet eruditione præstent, sed veterum auctoritate; qui etsi singillatim non recensuerint, quæ gesta tunc temporis fuerunt, sic tamen descripserunt, ut facile, qui fuerit Ecclesiæ status, cognosci possit.

Est vero simile horum quinctum argumenrum, quo Vitringa abutitur. Quærit enim, cur præter Clementem nemo quidquam eo spatio temporis scripserit? Sed non vidit, innumeras esse caussas potuisse, quæ ceteros, ne scriberent, impedirent. Igitur ipse quoque ex illo quæram, cur præter Petrum, Johannem, Paulum, Matthæum, Jacobum, & Judam Apostoli ceteri nihil scripserunt? Cur Timotheus, cur Titus, cur Barnabas, numquam quidquam litteris tradiderunt? An illi aut nihil præclari egerunt, aut tam rudes fuerunt, atque imperiti rerum, ut qui alios docerent, quemadmodum esset scribendum nescirent? Quod si ridiculum est similia ex nobis de Barnaba, Timotheo &c. quærere, quid est, quo minus quod Vitringa petit, ridiculum item esse videatur? Verumtamen præter Clementem fuisse Hermam, qui *Pastoris* librum, & Johannem, qui Apocalypsim scripserit, testata res est. Ac nisi Romanos Corinthii certiores suarum dissensionum fecissent, nullum dubium est, quin litteris Clementis hoc tempore careremus. Occasiones si harum similes ceteri habuissent, revocassent aliquanto a quotidiano labore se, atque in scribendo aliquid fortasse otii consumpsissent. At si caussæ similes nullæ erant, non erat necesse, ut Verbum Dei enunciare populis, curareque, ut Christiani in fide confirmarentur, cessarent, atque operam ad scribendas Epistolas, librosque conferrent. Quid? Si suspicari licet, eorum, quæ edita a successoribus Apo-

(1) Dodwell. *Dissert. in Iren. cap.* I. §. XLII.

Apostolorum sint, fere omnia injuria temporum periisse? Neque enim, quia omissa ab Eusebio sunt, idcirco numquam scripta ab illis fuisse concludendum est. Nam Athenagoræ Apologiam, & de Resurrectione librum, ut & alia nonnulla quorumdam veterum opuscula tacitus Eusebius prætermisit, quin tamen quidquam, ubi inventa aliqua sunt, de illorum auctoritate detraxerit. Atque hæc ego suspicans dico. Non enim ita sum affectus animo, ut quæ tradita memoriæ a nemine sint, ea esse concedenda putem.

Sextum Vitringæ argumentum sic habet: Josephus Hebræus, qui summa historiæ laude florebat, aut numquam, aut certe perraro meminit Christianorum. Absolvit autem is Antiquitatum Judaicarum libros tertiodecimo Domitiani imperatoris anno. Meminisset vero, si res Christianæ quotidie, ut nostra fert opinio, eodem tempore crevissent. Nam quod aliqui censent, in decimo octavo Antiquitatum (1) libro factam ab Josepho & Christi, & Christianorum mentionem fuisse, etsi minus verisimile videatur, tamen si est concedendum, præsidio esse non poterit his, qui a Nerone ad Domitianum magnum fuisse numerum nostrorum hominum arbitrantur. Ita namque de Christianis loquitur, ut satis indicet, Christi tempore multos; a Nerone autem ad Domitianum paucos vixisse, qui doctrinam, disciplinamque nostram consectarentur.

Ego vero quorsum hæc pertineant, non intelligo. Non enim est necesse, ut quæ nata, dicta, gestaque sint, ea omnia quisque historicus complectatur. Alioqui nulla fere esset res in historia, quam in falsis ponere non liceret. Quare pleraque a scriptoribus gravibus imprimis, & accuratis narrantur, quæ quamquam sunt ab aliis prætermissa, jure tamen in veris numerari solent. Quod si ratio, qua Vitringa utitur, concludendæ sententiæ valeret, verendum esset, ne quæ de infantibus ab Herode interfectis, de piscina Bethesda, de tenebris, terræque concussione tempore mortis Christi &c. Evangelistæ scripserunt, non modo in dubium revocarentur, sed etiam reiicerentur. Horum enim omnium, quæ & magna erant, & ad Judaicam historiam illustrandam spectabant, nulla est a Josepho facta commemoratio. Sed cum hæc Vitringa concedat, quid est, quod ea esse neganda putet, quæ neque veteres, diligentesque scriptores taciti præterierunt, neque adeo fuerunt cum iis conjuncta rebus, de quibus Josephus agere instituerat? Igitur cum plures Mar-

(1) Vide quæ protuli *pag.* 289.

Martyras a Brutio, multos in exilium pulsos ab Dione, Ecclesiæ autem statum florentem a scriptoribus Ecclesiasticis, tempore Domitiani, fuisse, memoriæ traditum legam, Josephi silentium non moror. Quod nisi Vitringa velit, fateatur necesse est, non Flavii Clementis (1), non Flaviæ Domitillæ, non aliorum, quos ob Judaismi suspicionem

(1) Consule Suetonium *in Domit. cap.* xv. & Dionem *lib.* LXVII. *pag.* 766. quorum sunt alio loco a nobis verba recitata. Vide præterea Pagium ad *an.* 96. juxta *Baronium* 98. Anno Urbis conditæ 848, qui æræ Christianæ xcv. fuit, Clemens consul una cum Domitiano processit, annum aperuit, fascesque sumsit, gessitque ex temporum illorum instituto intervallo mensium duorum. Tunc autem eum Christianis sacris fuisse addictum non arbitror. Homo namque Christianus nefas sibi esse existimasset, eos ritus, easque Sacrificiorum ceremonias, quas adhibere consules debebant, facere. Itaque Edmundus de Vitry e Societate Jesu vir eruditus, qui singularem edidit Urbini an. 1727. *de Titi Flavii Clementis viri Consularis, & Martyris tumulo* Dissertationem, in ea opinione fuit, ut post duos ab inito consulatu menses, Clementem Christianorum Mysteriis initiatum fuisse arbitraretur *pag.* 57. Hujus autem ad nostra sacra conversionis caussam fuisse Flaviam Domitillam sororis Clementis filiam, quæ pariter ad colendam eamdem religionem alterum Flaviam Domitillam Clementis ejusdem conjugem induxerit, putavit. De qua re tamen nihil habeo certi, quod scribam. Ut ut sit, hoc esse perspicuum censeo, Clementem, cum consul esset, a Domitiano fuisse capitis, religionis caussa, condemnatum. Quare Dio *lib.* LXVII. *pag.* 766. eum non ὑπατεύσαντα, quasi consulatu functus ante fuisset, sed ὑπατεύοντα, *qui consul erat*, mori jussum ab Imperatore, scribit. A quo non dissidet Philostratus *in Vita Apollonii lib* VIII. *cap.* xxv. ut qui eum ἄνδρα ὕπατον *virum consulem* vocet. Recte proinde ab Eusebio *lib.* III. *Hist. cap.* XVIII. vocari Clementem puto ἕνα τῶν τηνικάδε ὑπάτων *unum ex iis, qui tunc erant Consules*. Adeunda Vitry *ibid.* Flavium denique Clementem & Christianum, & Martyrem fuisse & dictum alio loco a nobis est, & constat veterum testimoniis, *Brutii apud Eusebium in Chronico pag.* 165. *edit. Pontaci*, Eusebii *lib.* III. *Hist. cap.* XVIII. *edit. Valesii, aliorumque*, quos nunc recensere non vacat. Anno 1725. vicesima secunda Januarii die, cum vir Eminentissimus Annibal Cardinalis Albanus sacra lipsana Ignatii Martyris in Basilica Sancti Clementis quæreret; capsulam plumbeam invenit, qua ossa aliquot, ossiumque fragmenta, cineresque sacro cruore concreti, præterea vas vitreum, urceus fictilis, cruxque gemina continebantur. Capsulæ imposita erat marmorea tabula, quæ sic ex una parte habebat



cionem (1) veteres, Domitiani juſſu aut capitis condemnatos, aut exilio multatos fuiſſe, ferunt, veram eſſe hiſtoriam, propterea quod illius apud Joſephum ne veſtigium quidem extet. Denique vel meminit Chriſti Joſephus, vel illius memoriam omiſit. Si meminit XVIII. Antiquitatum libro, ut permulti putant, atque hinc ſequitur, falſa eſſe, quæ de magno numero Chriſtianorum a Nerone ad Domitianum diximus, falſa item erunt, quæ Lucas, quæ Lucius Cæcilius, quæ alii de Propagatione Evangelii a Tyberii ætate ad Neronis tempora facta prodiderunt, ut quæ omiſſa pariter a Joſepho fuerint. Sin autem ne de Chriſto quidem, rebuſque ab eo geſtis loquutus Joſephus eſt, quod ſane Vitringa magis credit, non erat, cur ſilentium Joſephi magni argumenti loco haberet, cui ſi vis aliqua ineſſet, Evangeliorum auctoritas nutaret. Neque excuſare ſe poterit, ſi ab aliis ſcripta fuiſſe de Chriſto, quæ ſunt a Joſepho prætermiſſa, dicat. Sunt namque nobis etiam Dionis, Brutii, aliorumque teſtimonia in promtu, quæ impediant, quo minus nos ipſos Joſephi ſilentium perturbet. Ita quoquo tandem ſe adverſarius verterit, jaceat neceſſe eſt ejus in ſua opinione ſtatuenda ſolertia.

Atqui idcirco, inquit, Chriſtianos Joſephus præteriit, quod nihil ab iis, quo tempore ipſe ſcribebat, dignum memoria geſtum eſſet. Quaſi vero nullum in Flavium Clementem Conſulem, & in Flaviam Domitillam neptem ab Domitiano admiſſum facinus indignum fuerit, quod in commentarios referri poſſet. Nam exilia, proſcriptio-

 nes

Parti alteri hæ litteræ inſculptæ cernebantur ☧. HC. D†O. Viri eruditi qui tunc Romæ florebant, multas, eaſque inter ſe diſcrepantes inſcriptionis interpretationes dederunt. Sed his annis paucis Joſephus Auguſtinus Orſius Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ord. Præd. vir ſumma rerum Eccleſiaſticarum peritia, cum P. Lupi de *Monumento S. Severæ Martyris* gravem, eruditioniſque plenam Diſſertationem legiſſet, ac *pag.* 26. obſervaſſet, quæ doctiſſimus ille Societatis Jeſu Alumnus de hac re ſtatuit; experiri voluit, utiam ne dare commodiorem interpretationem poſſet. Sic igitur eam inſcriptionem eſſe explicandam cenſuit.

Flavius Clemens Martyr
Hic feliciter eſt tumulatus
Leo idibus Octobris Chriſto conſecravi viro illuſtri Aſtyrio Patricio, & Conſule.

Quod ſi poſtremarum litterarum hæc interpretatio minime placeret, ſubſtituendam ejus loco hanc eſſe alteram putavit. *Chriſto conſecravi Aſtyrio, Protogene Conſulibus*. Fuerunt hi Conſules anno 449. & aliquæ extant S. Leonis Epiſtolæ, quæ notam hujus conſulatus exhibeant. Interpunctionis autem in hiſce inſcriptionibus habendam eſſe rationem Lupius negat §. x. quod ita multa monumenta poſtulent. Quare litteræ I. *Doct.* in idem recidere atque *Idibus Octobris* poſſunt, quin interpunctio ſit impedimento. Sequentes litteræ XP significare *Chriſtum* poſſunt, ut omnes rerum harum periti fatentur, probaturque a Lupio *ibid. pag.* 7. Quæ ſequuntur litteræ CO aut initiales ſunt verbi *conſecravi*, aut *conſulatum* indicant. Ceteræ ſunt initiales, ſignificareque Aſtyrium Patricium, vel *Aſtyrium*, & *Protogenem* poſſunt. Multa vir clariſſimus in eamdem ſententiam diſputat, quæ efficiant ſuam potius, quam reliquorum interpretationes propius ad veritatem accedere.

(1) Vide Euſebium *Hiſt. lib.* III. *cap.* XVIII. & Dionem l. ſupra indicato.

nes bonorum, ſupplicia denique, quæ multi (1) ob religionem Chriſtianam pertulerunt, digna, quæ ab Ethnicis; indigna, quæ ab Joſepho ſcriberentur, fuiſſe, quis credat? Poſtremo qua confidentia Vitringa, quaſi concedatur, ſumit eorum, quæ vigerent, quo tempore Joſephus ſcribebat, mentionem fieri debuiſſe; aliorum autem contra, quæ ante contigiſſent, nec tamen ea ætate obtinerent, non item? An Judæ (2) Galilæi ſectatores aut ulli, aut majore numero, quam Chriſtiani in Palæſtina, cum Joſephus hiſtoriam ſcriberet, fuerunt, ut Judæ Joſephus meminerit, Chriſti non meminerit? Sexcenta horum ſimilia proferre liceret, ſi longior eſſe vellem. Jam vero tot rerum, tanta magnitudine, quanta eas Ethnici fuiſſe Domitiani ætate narrant, cur nulla eſt (ſi ullius momenti Vitringæ conjecturæ eſſent) a Joſepho relata? Ac videant, ſi qui ſunt, qui eſſe Vitringæ aſſenſionem adhibendam putent, ne ſi cauſſas ſimiles de hiſtoricorum ſilentio comminiſcantur, effugere irriſionem virorum doctorum, reprehenſionemque non poſſint. Ego autem ſic cenſeo: eſſe interdum aliquas rationes ſolere, quæ apud unum hiſtoricum, ut rem quamdam certam omittat, valeant, apud alium pari diligentia item hiſtoricum minime valeant. Nam ut varia hominum ingenia ſunt, ita quæ cauſſa hunc, ut factum aliquod memoret, alterum ea, ut prætereat, impellit.

At enim Dodwellum (3) habet Vitringa conſentientem. Habeat ille quidem. Nam eo homine, nihil in hoc genere confidentius, cujus eo minus conjecturas moror, quo magis ſunt plenæ ineptiarum. Etenim quæ eſſe ineptior ea conjectura poteſt, qua factum eſt, ut in dubiis poni oportere arbitraretur, quæ non eſſent a ſynchronis; eſſent tamen a Trajani æqualibus ſcriptoribus memoriæ commendata? Quid enim? An qui, Trajano Imperatore, ſcribebant, iidem repente nati ſunt, appuleruntque animum ad publicandam hiſtoriam, quin ante annos decem vixiſſent, ut inſpicerent, quæ a ſuperioribus Auguſtis decreta adverſus Chriſtianos fuiſſent? Atqui Trajani (4) ætate hiſtoricos, ſcriptoreſque magni nominis floruiſſe, qui rerum noſtra-

(1) Dio *ibid.* „ Cujus rei cauſſa, *inquit*, καὶ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν *alii multi, qui in mores Judæorum transierant, damnati ſunt* .... Τὸν δὲ Γλαβρίωνα τὸν μετὰ τοῦ Τραϊανοῦ ἄρξαντα κατηγορηθέντα τά τε ἄλλα, καὶ οἷα οἱ πολλοί, καὶ ὅτι θηρίοις ἐμάχετο, ἀπέκτεινεν. *Glabrionem quoque, qui cum Trajano Magiſtratum geſſerat, accuſatum præter cetera ſuperioris criminis, etiam cum beſtiis quando pugnaſſet, interfici juſſit.*

(2) Joſeph. *lib.* XVIII. *cap.* I. *pag.* 870. & *pag.* 872.

(3) Dodwell. l. c.

(4) Vide quæ diximus *lib.* I. *cap.* II. §. XVII. *pag.* 90. & *ſeq.*

noſtrarum meminerint, ut Suetonium, Tacitum, Plinium, non negat. Quid ſi Juvenalis Poeta æqualis Domitiano commotam in Chriſtianos ab eo Imperatore tempeſtatem narret? Ac vereor ne, ſi admittatur, hoc latius ſerpere debeat argumentum. Etenim ne ſub Hadriano quidem Chriſtianæ res viguiſſent, quod eas Plutarchus tacitus præterierit.

Septimo loco Vitringa immemor eorum, quæ paullo ante de hæreticis a Nerone ad Domitianum Eccleſiæ infortunium inferre conantibus, deque imminuto tunc ætatis numero Orthodoxorum dixerat, ſtatuit ante ortum hæreticorum perpaucos fuiſſe in Eccleſia Chriſtianos. Ita ſcilicet, ejus ſententia, quod factum, infectum, quodque ratum ante erat, irritum eſt. Sed videamus, quo tandem hoc genus argumenti ſpectet.

Sic enim ſtatuit: Celſum etſi hoſtem Chriſtianorum, indignum tamen non eſſe, cui aliqua fides adhibeatur. Atque eſſe profecto cur ejus, in hac quæſtione præſertim, non ſit teſtimonium contemnendum. Nullam namque ſingularem rationem fuiſſe, quæ illum ad decipiendum lectorem impelleret. Hunc igitur, initio paucos (1) fuiſſe Chriſtianos, ſcribere. Diviſos deinde fuiſſe, cum numero creviſſent, in factiones, diſtractoſque diverſitate ſententiarum: Oriri autem hæreticos, factioneſque, ut viſum Dodwello (2) eſt, Trajani tempore cœpiſſe. Paucos igitur floruiſſe Chriſtianos antequam Trajanus potitus imperio fuiſſet.

Demus quod eſt Celſo probatum. Nihil enim huic diſputationi adverſatur. Quod Dodwellus de ortu hæreticorum tempore primum Trajani contendit, cenſetne Vitringa componi cum veritate

(1) Celſus apud Origenem *lib.* III. *num.* 10. *pag.* 453. *T.* 1. *opp. edit. Monach. S. Mauri* „ Principio, *inquit*, cum pauci eſſent, una ſententia erant. Sparſi autem in multitudinem εἰς πλῆθος σπαρέντες, ſtatim diviſi in partes ſecantur, & quod cupiebant ab initio, ſuam quiſque factionem habent „. Ex qua Celſi ſententia, num is Chriſtianæ Religionis hoſtis conſilium decipiendi incautos ſuſcepiſſet, Vitringa viderit. Loqui Celſum de factionibus, ut de re nova, adverſatius animadvertit. Sed quid inde præſidii ſibi polliceatur, neſcio. Neque enim multo vetuſtior fuiſſet origo Sectarum ſi e Domitiani, non e Trajani temporibus eſſet repetenda. Ac ſi ex Trajani tempore primordia hæreſeon Celſus duxiſſet, erraſſet profecto, convincique auctoritate Pauli, & Johannis facile erroris poſſet.

(2) Dodwelli de primordiis hæreticorum opinio ſic habet. Sub Trajano manifeſtam fuiſſe ab hæreticis defectionem factam, Tribuit hoc initium diſceſſionis Menandro. Suæ ſententiæ Hegeſippum imprimis teſtem appellat; apud *Euſeb. H. E. lib.* III. *cap.* XXXII. *& lib.* IV. *cap.* XXII. *Diſſert.* 1. *in Irenæum* §. x. Sed Hegeſippus non Menandrum, ſed Thebuten primum defectionis auctorem fuiſſe ſcribit. Quinetiam addit vetus ille ſcriptor, hæreticos poſt Jacobi mortem, quo tempore Simon Cleophas auſpicatus Hieroſolymitanum Epiſcopatum eſt, nempe anno 72. ut Dodwellus exiſtimat, diſcidiſſe Eccleſiæ unionem, ab eaque ſeſe diviſiſſe. Atque adverſus Dodwellum non pauca obſervavit Thomas Ittigius, *in præf. ad Diſſert. de Hæreſiarchis. Edit. an.* 1690.

ritate ullo modo posse? Hæresis enim Hymenæi, & Phileti (1) annon, vivo Apostolo Paulo, nata est, latiusque per Asiam manavit? Quid? Tempore Domitiani, nullane Hæresis Ecclesiam perturbabat? Nicolaitæ profecto, quos nominat in Apocalypsi (2) Johannes hæretici consebantur, & erant, quosque poterant, horum sibi animos ut conciliarent, curabant. Itaque si, Domitiano Imperatore, hæretici unitatem Ecclesiæ scindere conabantur, cumque jam hæreses cœpissent, late, longeque, auctore Celso, propagatum nomen Christianum erat, consequens sane est, non tempore Domitiani modo, sed ante etiam magnum fuisse numerum Christianorum. Atque haud scio, an reperiri quisquam possit, qui minime hac in re Vitringæ acumen desideret. Nam si Celsus, cum multiplicati Christiani sunt, tum introductas factiones pugnat, ante quidem certe multiplicatos fuisse Christianos existimarit, oportet, quam introductæ factiones essent. Quæ ergo illa est concludendæ ex verbis Celsi sententiæ ratio: *Ante ortum hæreticorum* (3) *paucos Christianos fuisse*? An repente & propagationem religionis, & sectarum ortum extitisse dicet? Næ ille, nisi derideri velit, gradibus quibusdam crevisse Christianam rempublicam concedet. Quod si ita est, veraque Celsus prædicat, ut Vitringa censet, dandum etiam illud est, desitum a majoribus nostris minime fuisse, quoad ita amplificata Christiana res fuit, ut aliqui aut invidia, aut falsa opinione ducti discindere in partes Ecclesiam tentarent. Sed extorquere a me Adversarius numquam poterit, ut Celsum vel errore, vel mendacii crimine vacare putem. Hominis inimici, subdoli, atque imperiti nostrarum rerum, qui id unum contendit, ut quocumque tandem modo posset, Ethnicos ab religione, institutisque Christianis averteret, fides mihi perpetuo suspecta erit. Neque enim Vitringæ assentior ajenti, caussam nullam esse, cur mentiri Celsum voluisse, incautosque decipere suspicemur. Norat enim homo imprimis astutus, paucitatem despicatui mortalibus esse solere; dissensiones autem, diversasque de religione sententias ad eam confirmandam conducere non posse. Itaque initio paucos fuisse Christianos, dixit. Cumque auctam mirifice rem Christianam fuisse negare non auderet, propterea quod id satis suo præsertim tempore pateret (vixit enim, ut

(1) De his loquitur Paulus in 2. *epist. ad Timoth. cap.* 2.

(2) *Consule Apocalyps. cap.* II. *vers.* 6. 15. Irenæum *lib.* I. *cap.* XXVII. Tertullianum *de Præscription. cap.* XLVI.

(3) Vitringa *ibid. pag.* 972.

ut aliqui existimant, cum Hadriano) divisionem tum natam, cum crevisset, objecit; quasi falsa ea esset religio, seque proinde ipsam sustinere nequiret. Atque Origenes, cui primordia, progressusque religionis perspecti erant, tam impudenter mentiri (1) Celsum non tulit. Quare egit, ut debuit, diligenter, ut quisque quanto in errore versatus Epicureus ille Philosophus fuisset, cognosceret. Verum permitto, quæ Celsus tradidit vera esse. Pauci ergo Christi ætate, pauci, vivis Apostolis, Christiani fuerint necesse est. Qua re quid dici, aut excogitari potest absurdius? Itaque nutat partibus omnibus, claudicatque Vitringæ ex Celsi testificatione ducta oratio.

At si fuerunt, *inquit*, scriptores, qui Trajani tempore magnam fuisse copiam Christianorum dicerent, cur nulli fuerunt, qui de florenti Ecclesiæ statu sub Vespasiano, & filiis loquerentur? Atque hoc ab illo octavi argumenti loco habetur. Jam vero sic adjungit: Eusebius „ *Servatoris quidem*, inquit, *Ecclesia magis ac magis* (sub Trajano) *in dies efflorescens, continuis incrementis augebatur* (2). Similia horum sunt, quæ disseruit, cum de Hadriani temporibus ageret.

Miror Vitringam, qui Eusebium testem appellet, dissimulasse eo loco, quæ consignata litteris ab eodem de Christianis essent quo libro earum rerum est persequutus historiam, quæ Domitiano Imperatore contigerunt. Etenim *lib*.II. *Historiæ* „ Nihil in nos a Vespasiano (3) sævitum scribit. Domitianum deinde secundum fuisse testatur, qui in nos ipsos crudeliter agere decrerit. Post
„ Tantopere, *inquit*, temporibus illis, quæ supra demonstravimus
„ nostræ fidei doctrina splendescebat, ut hi etiam scriptores, qui
„ a sermone, & disciplina religionis nostræ videntur prorsus alieni,
„ historiarum suarum monumentis cum persecutionem, tum mar-
„ tyria, quæ id temporis gesta erant, tradere minime fuerint gra-
„ vati „. Quod si magis magisque amplificatam Trajano primum, postque Hadriano, inde sequentibus Imperatoribus Christianam rempublicam, affirmat, fuisse, id quidem certe non efficit, ut ea ante minime floreret: quemadmodum quod propagatam Christianam religionem, quo tempore Hadrianus Imperium obtinebat, latissime

(1) Origenes l. c. „ Manifestum quidem est, *inquit*, paucos initio fuisse Christianos, si comparen-
„ tur cum multitudine, quæ consequuta est. Quamquam non omnino pauci erant. Hinc enim conflata
„ est Jesu invidia, & Judæi ad construendas ei insidias excitati sunt, quod ipsum in solitudines multi-
„ tudo sequeretur &c. „ Vide quæ supra attulimus *lib*. I. *cap*. III. §. XIX. *pag*. 149.

(2) Euseb. *lib*. IV. *c*. II. *H. E.* & *lib*. *eodem*. *cap*. VII.

(3) *Cap*. XVIII.

me fuisse dicat, non evertit, que de aucta eadem statuerat sub Trajano.

De Plinii ad Trajanum Epistola nihil dico. Est enim supra demonstratum, quam ea nostram confirmet sententiam. Vidit hoc Vitringa. Itaque ut ingratiis paucos Christianos fuisse ante Trajanum efficeret (quasi sit Christiano viro laudi tribuendum, si cum incredulis omnem religioni veræ gloriam adimere conetur) multis modis everti ab se argumentum posse respondit, quod ex ejus generis monumento a nostri similibus duceretur. Igitur loqui se, ait, *comparate* ad progressus, quos Ecclesia Trajani, Hadrianique Imperatorum ætate fecit. Quid hoc est *comparate*? An, Trajano Imperatore paucos omnino Christianos fuisse dicere possemus, quod *comparate* ad eos, qui Constantini tempore vigebant, longe esset minor numerus Christianorum? Atque si hoc modo intelligebat, cur segniores in propaganda religione Apostolorum discipulos? Cur nihil tum fere scriptum? Nihil actum præclare fuisse? Cur silentium veterum magno esse argumento, ut paucos fuisse religionis veræ cultores arbitremur, dixit? Nam quod addit, falsos fratres fuisse in caussa, cur is, quem vellet, eo tempore Ecclesiæ status esset, jam est illud paullo ante satis, ut censeo, solide refutatum. At de Asia minore, inquit, Plinius loquitur, in qua Johannem curasse constat, ut confirmaretur, augereturque religio. Ridiculum! Quasi vero Brutius, Dio, Eusebius, ceteri denique de Asia minore loquuti sint. Sed instat Vitringa. Etenim si tanta vis Christianorum Romæ fuisset, inquit, quantam in Bithynia reperit Plinius, qui tandem tam ignarus fuisset nostrarum rerum? Ego vero paullo esse in disputando acutiorem Vitringam vellem. Principio Plinii locum, quem ipse laudarat, ut Trajani ætate magnopere fuisse nostram religionem amplificatam ostenderet, ubi sibi adversari animadvertit, contorsit ita, ut in unam Asiam cadere videretur. Deinde, ut suum errorem defenderet, statuit ex imperitia, ignorationeque rerum nostrarum, in qua Plinius versabatur, concludi paucitatem nostrorum in Italia posse, quin prospexerit, quid sequatur. Namque si Plinii ignorantiam argumentum esse paucitatis nostræ putat, pauci fuerint a Claudio ad Neronem, pauci Trajani, pauci Hadriani, pauci deniquè Antoninorum temporibus in Romano imperio Christiani necesse est, quod Tacitus, quod Trajanus ipse, quod Celsus, quod alii denique ethnici, quæ decreta Christianæ religionis essent,

igno-

ignorarent. Ac Judæos Romæ magno numero ætate Taciti fuisse, quis neget? At Tacitus de Judæorum doctrina, & legibus disputans, turpissime labitur. Non ergo concludere paucitatem gentis alicujus ex imperitia eorum, qui de illa scripserint, licet.

Extremum argumentum, quod Vitringa adhibet, simile esse arbitror superiorum. Magnam enim copiam nostrorum hominum vigere a Nerone ad Trajanum potuisse, quin ulli una floruerint litterati viri, qui libris editis religionem defenderent, id vero sibi incredibile videri, dicit. Confirmatum autem etiam atque etiam in sua sententia se, cum seculo secundo tantam scriptorum in Ecclesia copiam fuisse consideraret. Numerat deinde Ignatium, Polycarpum, Papiam, Quadratum, Aristidem, Justinum martyrem, Hegesippum, Athenagoram, Melitonem Asianum, Theophilum Antiochenum, Dionysium Corinthium, Pinytum, & Philippum Cretenses, Irenæum, Clementem Alexandrinum, quos secundo seculo vixisse constat.

Equidem, nisi hæc ipse in Vitringæ libris legissem, ne suspicatus quidem fuissem, tantum ingenium in tam ineptas sententias, tam levi de caussa, incidere potuisse. Primum enim, quod totum seculum secundum cum triginta annorum intervallo conferat, facit quod profligatæ caussæ patroni solent, ut ea congerant, quæ ne similia quidem esse videantur. Ac si par cum pari intervallo temporis comparasset, minus id scilicet graviter tulissem. Atqui ab anno nonagesimo octavo vulgaris æræ, quo auspicatus Trajanus imperium fuit, ad annum centesimum tricesimum octavum, quo Hadrianus periit, quadraginta nempe annorum spatio, quot ille habet scriptores Christianos quos numeret? An, demtis Ignatio, Quadrato, Aristide, nominare alios ullos potest, qui scripserint, cum Trajanus, Hadrianusve imperium obtinerent? Nam de Papia num ante, vel eo tempore scripserit, non satis liquet. Si ergo a 60. ad 100. æræ vulgaris annum, quod est quadraginta annorum intervallum, Paulus, Johannes, Lucas, Clemens, Hermas viguerunt, negari non potest, quin tot saltem scriptores ab anno 60. ad 100. vixerint, quot ab anno 100. ad 138. floruisse constat. Atque haud scio, an Ignatius, Papias, Polycarpus, Quadratus, Aristides, qui Apostolos aut cognorunt, aut propter temporum propinquitatem cognoscere potuerunt, ad secundum potius, quo scribebant, quam ad primum, quo sunt scribendi facultatem, atque scientiam consequuti, spectent.

Quid? Si absurdum est, eorum temporum magno numero scriptores poscere, quo vel latebant Christiani, ut supplicia declinarent, vel præparatum ad scribendum otium non habebant, cum id maxime laborarent, ut Ethnicos ad sacra nostra perducerent, restituerentque Ecclesiæ eos, qui lapsi vi tormentorum fuissent? Quod si Ignatius captus ab inimicis extremo suæ vitæ tempore non fuisset, totque Ecclesias non peragrasset, ut ante fecerat, numquam fortasse animum ad scribendas septem Epistolas induxisset, propterea quod ei ab instituendis verbo Antiochenis minime vacasset.

Mitto quæ ex Prophetis Vitringa collegit, ut prævisam longe ante fuisse paucitatem Christianorum a Nerone ad Trajanum ostenderet. Ea namque de afflictis ob vexationes Ecclesiæ rebus a Tiberio ad Constantinum, non de exiguo nostrorum hominum a Nerone ad Trajanum numero intelligenda sunt, ut mirum sit, hominem eruditionis laude celebrem ausum esse divina oracula contorquere, aptareque tam absurdæ, quam certe est ea, quæ ipsi placuit, opinioni. Neque moror, quod paullo post animadvertit, reprehendi Ephesiorum Episcopum ab Johanne (1), quod de studio, quo ante flagrabat, virtutis plurimum remisisset. Non enim sequitur Ecclesiam minus tum fuisse, quam ante fuerat, florentem. Quod ni ita esset, concederet Vitringa, Apostolorum ætate minus fuisse studiosos pietatis Christianos, quod Paulus Corinthios (2), qui divisi in factiones essent, acriter, acerbeque redarguisset. Verum recte Vitringa ex eo Apocalypsis loco paucos fuisse Christianos concluserit. Id nunc permittam. At sumam meo ipse jure, & plurimos eo tempore, & singularis laude virtutis viguisse. Pugnantia hæc quidem videntur, sed si ratio Vitringæ quidquam habet virium, fatendum est, esse vera. Etenim dum Ephesiorum Angelum Johannes reprehenderet, Angeli Smyrnensium (3) laudavit studium virtutis, inque perferendis adversis rebus fortitudinis, atque constantiæ. Quare ut e reprehenso uno Ephesio sequitur, auctore Vitringa, paucos fuisse, ita e laudato Smyrnensi, consequens erit, perplures eo tempore, quo

(1) *Apocalyps. cap. II. v. 4. & seq. Sed habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti.* Atqui Vitringa prætermittere, quæ præcedunt, non debebat, ut cognosceretur, non ita deferbuisse ardorem Angeli Ephesii, studiumque religionis, ac pietatis, ut indiligens, otiosusque esset. Nam v. 2. & seq. hæc habet Johannes, *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & invenisti eos mendaces; & patientiam habes, & sustinuisti, propter nomen meum, & non defecisti.*

(2) *Epist. I. cap. v. & seq. & II. cap. XIII. v. I. & seqq.*

(3) *Apoc. cap. II. v. 9. & seqq.*

quo Domitianus imperabat, claruisse, eosque jam insigni virtute præditos Christianos. Atque hæc satis esse puto ad evertendam ejus viri opinionem, qui etsi Christianum se esse diceret, quasi tamen quidquam pretii in deprimenda primorum temporum Ecclesia esset, contra atque veritas posceret, conatus est laudem ei adimere non modo amplitudinis, sed studii etiam virtutis, integritatisque morum.

CAPUT VII.

De prodigiis, prophetiæ dono, atque Visis, quæ post mortem Apostolorum, tribus potissimum primis Ecclesiæ seculis, obtinuerunt, ac de aucto inde numero Christianorum.

§. I.

De Prodigiis, & Prophetiæ dono.

EST quidem Christiana religio simplex imprimis, nihilque complectitur, quod cum recta ratione pugnet. Sed ea initio præcipue confirmanda visis, atque prodigiis erat, quo manare latius, propagarique per universum orbem terrarum posset. Itaque summus ille rerum universarum conditor, ac moderator, ut hominum, quorum caussa Filium suum Deum ipsum, ac sibi ὁμοούσιον in mundum miserat, ac Jesum vocari voluerat, & cruci affigi, morique permiserat, saluti, felicitatique prospiceret, non solum quo tempore Jesus idem nobiscum egit, ejusque Apostoli vixerunt, sed insequentibus etiam ætatibus visis suum populum, ita ut erat pollicitus, illuminavit, atque illos, qui longe distarent a veritate, prodigiis, ut crederent, permovit. Ac visa quidem, atque prodigia primis Ecclesiæ seculis frequentiora fuerunt, quod ita ratio temporum posceret, quibus magna pars hominum idololatriæ scelere detinebatur. Priore igitur seculo, cum Prophetæ in Ecclesia perplures essent, tum & Prophetides viguerunt, in quibus numerari Philippi Diaconi filiæ (1) quatuor virgines debent, quæ excelluisse hujus doni laude feruntur. Ex iis Papias (2) intellixisse testatur se ,, mortuum suo tempore suscitatum ,, esse

(1) *Actor. Apost. cap.* xxi. *v.* 9. *Huic erant quatuor filiæ virgines prophetantes &c.*

(2) Apud Eusebium *lib.* III. *cap.* xxxix. Quemadmodum, *inquit*, Papias, qui temporibus iis-,, dem vixit, historiam permiram a filiabus Philippi se accepisse affirmet, in præsentia exponen-,, dum

„ esse, & *Justum*, cui *Barsabas* cognomen erat, cum venenum bibisset, nihil inde molestiæ fuisse perpessum „. Est præterea auctor Eusebius in IV. libro Historiæ (1), Quadratum virum doctissimum, qui sub Hadriano caussam Christianorum egit, prophetiæ gloria inclaruisse, multosque deinceps fuisse, qui virtute Dei prodigia patrassent. Quin etiam e rogo Polycarpi (2) Episcopi, & Johannis Evangelistæ auditoris, celeberrimique Martyris columbam evolasse, ac pro nidore, e carne ejus combusta aromaticum odorem exhalasse, qui nares eorum, qui aderant, replesset, memoriæ proditum est. Sæpe etiam Justinus (3) Martyr, obtinuisse in Ecclesia sua ipsius ætate dona hujusmodi, Christique nomine invocato, a maribus, fæminisque prodigia patrari, dæmonasque coerceri consuesse, scribit. Neque esse quemquam arbitror tam impudentem, qui cum palam hæc prædicata ab Justino Judæis, Ethnicisque fuisse intelligat, tum Martyrem vel deceptum, vel ausum esse mentiri, pugnet. Namque res aut falsas, aut quæ ipsi satis exploratæ non erant, hostibus Christiani nominis vir imprimis cautus numquam proposuisset, ne si periculum rei facere voluissent, ludibrio religio exponeretur, cujus ipse defensionem suscipere statuisset. Singulare vero illud prodigium tempore Marci Aurelii Augusti fuit. Etenim cum exercitus Imperatoris Marcomannico bello detineretur (4), neque ullum aquandi modum haberet, periculumque manifestum esset, ne, nisi ei di-

„ dum videtur. Mortuum enim suo tempore narrat excitatum. Aliud etiam, quod non minus habet „ admirationis, Justo cognomento Barsabæ contigisse, nimirum ubi venenum mortiferum ebiberat, eum, „ propter gratiam ipsi a domino tributam, nihil molestiæ pertulisse „. *Edit. Christophors. cap.* XXXIII. *pag.* 81.

(1) De Quadrati dono prophetiæ vide Eusebium *l.* III. *c.* XXXI. *H. E. edit. Christophorsoni p.* 79. qui Paulo post de Christianis eorundem temporum quibusdam, quos Evangelistas appellat, agens: „ Virtu„ tes, *inquit*, permultæ admirabiles, & miracula sacrosancti Spiritus opera per eos ad id usque tem„ poris gerebantur, ita ut frequens hominum multitudo ipsa prima prædicationis auditione persuasa, „ propenso studio pietatem, & cultum, qui Deo omnium rerum opifici soli debetur, animis exci„ peret.

(2) Vide Acta ejus Martyris ab Ecclesia Smyrn. descripta apud Eusebi. *lib.* IV. *H. E. c.* XV. *p.* 98. *edit. Christophors* & apud Ruinartium *Act. Select. SS. MM. pag.* 31. *&* 37. *edit. Veronensis an.* 1731.

(3) Justin. *Dialog. cum Tryphone pag.* 302. *edit. an.* 1615. „ Et nunc nos, qui in Crucifixum sub „ Pontio Pilato Jesum Dominum nostrum credimus, dæmonia cuncta, spiritusque malignos adjuran„ tes, sub potestate eos nostra subditos habemus, *& pag.* 308. Apud nos huc usque prophetica extant „ dona, unde & vos intelligere potestis, quæ olim in genere vestro erant, ea esse in nos translata „. Vide *pag.* 247. *& Apolog. quæ prima dicitur pag.* 45. *edit. ejusd.*

(4) Eusebius *lib.* V. *H. E. cap.* V. *pag.* 125. *edit. Christophorsoni*, quo etiam loco Apollinaris testimonium laudat, hæc habet „ Milites legionis Melitinæ, quæ fidei merito nunc etiam manet, dum „ Marci acies adversus hostes ordinatur, flexis in terram genibus, ut Christianorum mos est, preces „ ad Deum fudisse perhibentur. Cujus spectaculi novitate hostibus stupefactis, aliud quiddam longe „ majori dignum admiratione accidisse narrant. Hinc quidem fulminum jactus, quibus hostium copiæ „ in

ei divina esset virtute subvehtum, universæ legiones perirent, Christiani milites orando, obsecrandoque Deum, non modo impetrarunt, ut plueret; sed etiam, ut hostes icti fulminibus partim interirent, partim dissipati, tandem venirent in potestatem Populi Romani. De quo quidem miraculo, etsi est illud a veteribus celebratum, magna est tamen inter novos scriptores dissensio. Atque intelligo, esse aliquos, qui aut deceptos majores nostros errore fuisse, aut fraude, quam ipsi *piam* appellant, egisse, Christianisque militibus tribuisse defendant, quod aut acceptum nulli referendum esset, aut si cui umquam mortalium, iis quidem certe, ex quibus illud ipsum Ethnici profectum fuisse arbitrarentur. Ego vero gravissimorum virorum studia imitatus, in eam facile sententiam inducor, ut existimem, injuriam majoribus nostris, qui eo tempore viverent, conflari ab iis, qui vel deceptos illos fuisse, vel dolo, fraudeque in errorem alios illicere curasse, dicant. Principio incredibile est, Apollinarem Hierapolitanum, & Tertullianum, qui aut eo tempore, quo res ipsa evenit, aut paullo

„ in fugam versæ, atque extinctæ sunt; illinc vero imbrium vim, quibus exercitus eorum, qui Deum „ precati fuerunt, jamjam siti periturus, præter spem servatus est... Apollinaris legionem ipsam, „ cujus precibus id miraculum perpetratum est, ex ode congruo rei vocabulo fulmineam ab Imperatore cognominatam esse scribit „. Tertullianus *Apologetici cap.* v. „ Literæ Marci Aurelii, *inquit*, „ gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum „ precationibus impetrato imbri discussam, contestatur „. *Et lib. ad Scapulam cap.* IV. „ Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres „ in siti illa impetravit. Quomodo non geniculationibus, & jejunationibus nostris, etiam siccitates „ Sunt depulsæ? Tunc & populus adclamans Deo Deorum, & qui solus potens, in Jovis nomine Deo „ nostro testimonium reddit. His testibus accedunt Gregorius Nissenus *Orat.* II. *in* XL. *Martyres*, Xiphilinus *Dion. Epit. lib.* LXXI. *pag.* 806. Orosius, *aliique*. Itaque viri clarissimi, & in hoc genere summa cum laude exercitati veram hanc esse Historiam defendunt, ut Baronius ad an. CLXXVI. Valesius in *notis ad Euseb. Histor. pag.* 93. *Huetius Demonstr. Evang. Prop.* III. §. XIX. *pag.* 65. *edit. Paris.* Dominicus de Colonia *Tract. Gallice Scripto: De Religione Christiana testimoniis Ethnicorum confirmata cap.* III. *pag.* 69. *& seqq.* Bernardus Montfauconus *T.* I. *Antiquit. Illustr. lib.* II. *Tab.* XIII. Non desunt Protestantes plerique, qui assentiantur: ut Christianus Cortolius *de persecutionibus Ecclesia Primitiva pag.* 226. *& & seqq.* Hermanon. Witsius *in Ægyptiac. an.* 1696. *editis pag.* 429. *& seqq.* Johannes Richardsonus in Prælect. Ecclesiasticis an. 1726. Londini *editis Prælect.* XII. Christophorus Cellarius *Dissert. de Primo Principe Christiano Dissertationum pag.* 313. Petrus Kingius, cujus Epistolas de hoc argumento ad Moylium latinas fecit, edidítque Johann. Laurentius Moshemius. Gullielmus Wistonus *Dissert. contra Moylium*, Will. Wottonus *Dissert. contra Larroquanum*, & Thomas Woolstonus (ille idem, qui post miracula a Christo patrata inania reddere per summam impudentiam conatus est) *Dissert. contra Moylium*, Matthias Zimermannus *Analect. pag.* 320. Thomas Ittigius, *sec.* II. *p.* 293. *& seqq.* Petrus Adolphus Boysenus *de Legione Fulminatrice Hist.* Johan. Fridericus Koebery *Binis Dissert. edit. Gera an.* 1684. Qui contra sentiunt, hi fere omnes sunt e numero Protestantium. Eorum aliquos numerabo Jos. Scaliger *ad Euseb. Chronic. pag.* 222. Daniel Larroquanus *Dissert. subjecta Adversariis Matthai Larroquani Parentis an.* 1688. *pag.* 553. *& seqq.* Walterus Moylius *Epistolis contra Petrum Kingium*, editis primum anglice, deinde a Joh. Laurentio Moshemio latinis factis, vulgatisque *Lipsia & Goitzii*. Joh. Clericus *H. E. ad an.* 174. *pag.* 751. *& seq.* Samuel Basnagius *T.* 2. *Annalium pag.* 156. *& seq.* Henricus de Bunau, qui de hoc argumenti genere in utramque partem disputavit *Hist.* germanice vulgatæ *pag.* 325. *T.* 2,

paullo post vi erunt, tumque scripserunt; cum recens adhuc prodigii memoria esset, Ethnicis opponere ausos fuisse, quasi a Christianis factum, quod aut vi naturæ, aut alius cujusquam opera contigisset. Nam si falsa prædicassent, vel ejusmodi, quæ revocari in dubium deberent, quin vindicassent eam, cujus patrocinium sumserant, religionem, quasi mendaces, impostoresque essent, exposuissent ipsam ludibrio inimicorum. Tam autem confidenter, audacterque agere voluisse Patres, ut quæ Ethnici suis numinibus, aut Ægyptiis ascribere solebant, ea ipsi, sine gravi momento, sibi arrogarent, ejusque existimationis, quam essent consequuti, jacturam facerent, persuaderi mihi, si non demonstratione, at opinione saltem vellem. Nam aliquos fuisse, qui (1) Jovi id prodigii genus, vel (2) præstigiatori cuidam Ægyptio acceptum referre auderent, non nego. Sed magnæ parti hostium e Christianis illud esse profectum persuaderi facile potuisse, inde maxime colligi posse arbitror, quod numquam, ni res ita se habuisset, oppositum fuisset a nostris illud prodigium Ethnicis, quasi Christianorum precibus evenisset. Deinde miraculo impetratam pluviam fuisse, etsi sunt, qui negent, negari tamen a prudenti, sanæque mentis viro non potest. Quotquot enim aut præsto adfuerunt, aut eo tempore vixerunt (3), contingere natura rem adeo singularem non potuisse existimarunt. Quamobrem plerique Christianorum precibus tribuerunt, aliqui Marci Aurelii, qui ab Jove impetraverit, nonnulli præstigiis Ægy-

(1) Huc spectat imago Jovis Pluvii, cujus iconem ex columna Antonini dederunt Baronius *ad an.* 176. J. B. Casalius *De Rit. Sac. Prof.* & recentiore memoria e Protestantibus Sigebertus Havercampius *in notis ad Apolog. Tertulliani pag.* 62. de qua re singularem se Dissertationem editurum pollicitus est.

(2) Dio *lib.* LXXI. *pag.* 805. „ Fama est, *inquit*, Arnuphim Magum Ægyptium, qui cum Marco „ erat, Mercurium præsertim illum, qui est in aere, aliosque dæmones quibusdam artibus invocavisse, „ ac per eos pluviam elicuisse. „ Virtutibus M. Aurelii prodigium tribuit in ejus vita Capitolinus „. „ Fulmina, *inquit*, de cælo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata, quum siti laborarent „. Utramque sententiam complexus Claudianus est poemate de VI. Honorii Consulatu 144. *& seq.* Ex his testimoniis, illisque etiam, quæ paullo ante allata sunt, plane colligitur, non natura, sed prodigio eam pluviam contigisse, idque jam non Christianorum solum, sed etiam Ethnicorum confessione. Quod Dio ait de mago, falsum est. Nam velut ipse Marcus Antonini *in vita lib.* I. de se scribit „ A Diogneto monitus studium in res inanes non conferre, fidem abrogare iis, quæ de incantationibus, dæmonumque profligationibus, ac id genus aliis rebus præstigiatores, & impostores referunt, solebat. „ Quamobrem recte Xiphilinus „ Numquam, *inquit*, „ memoriæ proditum est, Marcum magorum congressibus, aut præstigiis fuisse delectatum „. Baronius ad annum 176. n. 8. & Huetius l. c. idcirco ab Dione adscriptum Arnuphi prodigium fuisse censent, quod a barbaris (atque hoc nomine etiam Christiani appellabantur, quod barbara eorum origo disciplinæ existimaretur) impetratam pluviam magicis artibus intellexissent (magiæ autem suspecti Ethnicis Christiani erant) essetque eo tempore insignis ea superstitione Arnuphis Ægyptius. Quinetiam ne M. Antonini quidem precibus obtineri miraculum potuit. Etenim impetrata divinitus ab Ethnico viro prodigia ulla fuisse, numquam concedam. Restat igitur, ut si prodigium fuit, acceptum sit Christianorum precibus referendum. (3) Vide notationem superiorem.

Ægiptiorum illud esse ascribendum somniarunt. Atque tam admiranda opera, quemadmodum ex artibus præstigiatorum, aut ex Jove Ethnicorum Deo, qui nullus erat, proficisci possent, non video.

Age autem consideremus, quid ii, qui a nobis dissident, opponant. Hoc enim modo facile fiet, ut quæ verisimilior sit sententia, cognósci possit. Igitur illi sic agunt. Eusebius, inquiunt, & Apollinaris legionem in Exercitu Antonini fuisse putant, quæ collecta solum e Christianis esset. Id vero ferri nullo modo potest. Namque ea ætate tantam fuisse multitudinem Christianorum, ut ex iis legiones integras Imperatori conscribere liceret, ne verisimile quidem esse videtur. Quodsi contra censet Tertullianus, agit is sane more Africanorum, qui amplificare omnia, monstraque fingere studerent. Gilbertus Burnetius (1), cum in eorum Christianorum numerum, qui post septuaginta annos vigerent, Romæque versarentur, quæ Urbs præcipua erat nostrorum sedes, inquisisset, sic reperit: eos ne quadragesimam quidem æquasse partem incolarum. Atque in pagis, villisque Christiani tum temporis nulli erant. Quod si hac ætate tam exiguus erat numerus Christianorum, quo tandem modo tot esse Aurelii tempore potuerunt, ut viros suppeditarent, quibus integra legio conflaretur? Quæri præterea ex iis potest, qui prodigium ab ejus legionis militibus patratum censent, casu ne, an contra collecti milites Christiani fuerint? At ne in cogitationem quidem cadit, ut casu nullus in ea esset e tot millibus hominum, qui deorum superstitione tenerentur, sed ii tantum, qui Christiana sacra observarent, legionem componerent. Contra quis credat, ab Imperatore Christianorum inimico, habitum consulto delectum militum fuisse, qui ei essent addicti religioni? Quid? Si M. Aurelio Imperatore nulli usquam Christiani milites fuerunt? Athenagoras (2) Theophilus (3) Antiochenus, Minucius Felix (4), non solum perpetrare homicidium cuiquam Christiano minime licere, sed ne aspicere quidem, censent. Neque propria horum ea fuit opinio, sed communis omnium Christianorum, ut quæ Apologeticis libellis proponi Ethnicis, defendique a Patribus soleret. Quod cum ita sit, nemo, qui bona

(1) *In Epist. Itiner. P. II. pag. 254. edit German.*
(2) Athenagoras *Apologia pro Christianis n* xxx. *pag.* 132. *edit. Oxon.*
(3) *Lib.* III. *ad Autol. c. n.* xv. *pag.* 323. *edit. Wolfii.*
(4) Minuc. Felix *Octav. cap.* xxx. *pag.* 318. *edit. Gronovii.*

bona fide agere velit, sibi umquam persuadebit, ullos esse eo tempore Christianos consuesse, qui nomina militiæ dare auderent. Atque est Origenis eadem, ut plerisque videtur, opinio. Neque vero est, cur quisquam nimiæ severitatis Christianos Marci Aurelii æquales redarguat. Multa namque erant in caussa, quæ nostros a militia deterrerent. Ceremoniæ, ac superstitiones, quas adhibere milites debebant, cum vera religione componi non poterant. Principio sacramentum militare impium, indignumque viro Christiano erat. Deinde signa loco Deorum habere milites cogebantur. Itaque per ea jurabant. An erant tam improbis moribus Christiani, ut hæc agere, & una Christum ab se coli posse arbitrarentur? Sed fac aliqui nihilominus hujusmodi milites in exercitu essent. Quid? An horum precibus, qui tam gravi scelere implicati erant, impetrari a Deo pluvia, fudique exercitus hostium potuit? Negari nequit, quin seculo tertio, multi militiæ sese Christiani addicerent. At ea ætate nostri plurimum de veteris disciplinæ severitate remiserant. Ac Eusebius, & Apollinaris cum ceteris ejus prodigii testibus vehementer pugnant. Nam alii legionem e Christianis collectam non dicunt. Itaque ejus rei apud Tertullianum, Orosium, Auctorem Chronici Paschalis ne vestigium quidem extat. Quodsi ejusmodi testes inter se vehementer in eadem re describenda pugnant, magno esse argumento debet, nutare omnem de legione fulminatrice, prodigioque pluviæ Christianorum precibus impetratæ historiam. Sed est res omnis in pauca conferenda. Si mediocris erat Marci Aurelii tempore in Urbe numerus Christianorum, in pagis autem, villisque fere nullus, in quibus conscribi legiones solerent; si Christiani a cæde, & sanguine abhorrebant; si qui militiæ nomen dabant, ii superstitiosis ceremoniis implicabantur; si in pluviæ prodigio describendo veteres historici magnopere inter se dissident, prodigium de impetrata divinitus pluvia legionis Christianæ precibus sin minus falsum, at suspectum saltem falsitatis existimandum est. Sunt autem quæ præcedunt vera; est igitur verum & consequens.

Est, ut video quadripartita hujusce argumentationis divisio. Primo, quæ pars ad legionem, numerumque Christianorum spectat, nullius momenti est. Initio nego Apollinarem, & Eusebium probasse, quod est de Legione, quasi collecta solum e Christianis (1) esset. Hoc

(1) Vide Euseb. *lib.* v. *H. E. cap.* v.

Hoc illi neque ajunt, neque negant. Quare a Tertulliano, Orosio, multisque aliis non dissentiunt. Ita fit, ut quæ inde colligunt adversarii, nocere communi, probatæque ab antiquis sententiæ non possint. Sive enim casu, sive consulto conscripti milites Christianis sacris initiati fuerint, parvi refert, si legio e solis Christianis conflata non erat. Ego vero Christianos, qui in ea numerabantur, adscriptos militiæ fuisse arbitror, quin eorum religio cognita esset Imperatori. Venio ad paucitatem, quam jactant, Christianorum. Equidem persuadere mihi nullo modo possum, si, Trajano Imperatore, tanta fuit in Asia vis hominum, qui nostram disciplinam profiterentur, ut si ii affecti supplicio fuissent, non oppidis solum, sed villis etiam, agrisque vastitas (1) inferretur, tam exiguo numero fuisse eos tempore Marci Aurelii, quo longe magis aucta nostra erat, ac latissime propagata religio. Ac si vera Plinius prædicat, (hunc autem, qui Legatus erat, falsa dixisse, decipereque Imperatorem voluisse, incredibile est) tanta erat in Asia Trajani ætate manus nostrorum, ut non una ibi eorum, sed plures conscribi legiones possent (2). Quod si Burnetius Tertulliano assentiri recusat, ejus ego auctoritate non moveor. Veterem enim auctorem, quem Plinii ad Trajanum epistola purgat, negligi, ut novo scriptori, qui id sine teste, contra omnium fidem, contendit, quo rem Christianam extenuet (3), accedatur, quis ferat? Quid? Si Lucianus ille omnium religionum obtrectator in *Pseudomanti* testatur: *ἀθέων ἐμπεπλῆσθαι, καὶ Χριστιανῶν τὸν πόντον*, *Atheorum* (hoc est Epicureorum) *plenum esse, & Christianorum* (4) *Pontum*? Ac ridiculum

(1) Plin. *lib.* x. *epist.* 97. „ Certe, *inquit*, *ad Trajanum scribens*, satis constat, prope jam de„ solata templa cœpisse celebrari, & sacra solemnia diu intermissa repeti ...Et paullo ante: „ Multi „ omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque „ enim civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est.

(2) Neque vero in Asia solum, sed etiam ubique terrarum. Vide quæ supra attulimus Sancti Justini, Tertulliani, Origenis &c. testimonia *pag.* 339. *& seqq.* Confer præterea Lucii Cæcili loca *in Parergo contra Vitringam* laudata §. 2.

(3) Præter eos, quos modo indicavi, etiam Cornelius Pontifex Maximus, de cujus ætate Burnerius disserit, innumerabilem Romæ fuisse populum Christianum *ἀναρίθμητον λαόν*, scribit *Epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib.* vi. *H. E. cap.* xxxv. *pag.* 170. *edit. Christophorsoni.* Verum si demus, quod ibidem contendit Burnerius, mille cuique presbytero permitti Christianos instituendos potuisse, magnus sine dubio fuisset Romæ numerus Christianorum. Etenim quadraginta & sex Presbyteri cum Romæ tum essent *πρεσβύτεροι τεσσαράκοντα ἕξ* *ibid. pag.* 179. *quadraginta & sex* millia Christianorum habuerint oportet. Qui sane numerus magnus fuisset.

(4) *Pag.* 762. *edit. Gravii T.* 1. Moylius cum Luciani verba satis esse perspicua videret, aliquam sibi esse ineundam, qua illa implicaret, viam, putavit. Itaque sic esse locum illum explicandum censuit, ut significet *multos* in Ponto *fuisse Epicureos*, *& aliquos Christianos*. At Lucianus discrimen hujus-

diculum ſane eſt, ſilentibus antiquis, revocare ad calculos velle, ut conatus Burnetius eſt, quot Romæ Cornelii ætate Chriſtiani degerent. Nam, quod ajunt adverſarii, plus Romæ, quam uſquam alibi Chriſtianos numero valuiſſe, viderint, ne verum omnino eſſe non poſſit. Mea enim ſic eſt ratio, in quibuſdam urbibus (1) plures aliquando, & aliquando pauciores fuiſſe eorum, qui noſtram religionem colerent, quod vix eumdem ſemper Eccleſiarum ſtatum eſſe potuiſſe putem (2). Pars orationis adverſariorum altera erat de cæde, a qua Chriſtiani magnopere abhorrerent. At non ſequitur inde nefas illis fuiſſe bello pro ſalute Imperii cum hoſtibus, quorum injuſta eſſet cauſſa, certare. Atque nos quoque hoc tempore ſpectaculis, gladiatoriis, & homicidiis in conjuratione, & duello factis intereſſe nefas eſſe Chriſtiano dicimus, quin negemus, ei ad bellum proficiſci, ſuamque rempublicam defendere licere. Neque vero a Patribus, quos adverſarii laudant, rejecta umquam militia eſt. Norant enim, inſtitutos ab Johanne interdum fuiſſe milites, ut ſcirent, quemadmodum vivere deberent; reprobatam autem fuiſſe militiam (3) numquam. Origenes etſi (4) Chriſtianis quandoque vetare, ne militent, videtur; tamen alio in loco, ut caſtra ſequantur, permittit. Extre-

hujuſmodi numquam indicat. Quod ſi hæc ratio pervertendorum teſtimoniorum valere poterit, nullus erit in hiſtoria locus, quem implicare eadem ratione non liceat. Etſi vero magnum fuiſſe in Ponto numerum Chriſtianorum concludi ex eo teſtimonio debeat, tamen fateor, multo majorem Luciani tempore fuiſſe numerum Ethnicorum. Quod addit Moylius Alexandrum impoſtorem, cui hæc verba Lucianus tribuit, magnificaſſe multitudinem noſtrorum plus quam oporteret, concedi nequit. Non enim Alexandrum Lucianus quaſi falſa dixerit, reprehendit. Reprehendiſſet autem, ſi falſa ille dixiſſet. Deinde demonſtrandum eſt, amplificatum ab eo fuiſſe numerum Chriſtianorum. Id vero cum non oſtendat Moylius, extorquere a nobis aſſenſionem qui poterit?

(1) Non nego numeroſiſſimam fuiſſe Romanam Eccleſiam. Id enim ſatis eſt manifeſtum. At fuiſſe aliis omnibus numeroſiorem, non conſtat. Ac miror eſſe aliquos, qui hæc ſtatuere curent. Quis enim hanc hodie controverſiam, antiquis ſilentibus, dirimat? Itaque ut Moylio non aſſentior, qui Romæ multo plures, quam uſquam alibi fuiſſe Chriſtianos contendit, ita ne Kingio quidem ajenti, longe majorem Epheſi fuiſſe multitudinem Chriſtianorum. Ac fieri varias ob cauſſas potuit, ut numeroſiſſimi cœtus in aliquo oppido aliquando ad tempus imminuerentur, eſſetque eo tempore in minore oppido major numerus noſtrorum. Atque id factum præſertim arbitror temporibus perſequutionum, quum vexari in urbibus magis, quam in vicis Chriſtiani ſolerent. Sed in hujuſmodi rebus vix ſtatui quidquam certi poteſt.

(2) Moylius implicavit magis magiſque ſe, quum vim Pliniani teſtimonii declinare ſtuderet. Amplificatione uſum fuiſſe Plinium dixit. Id ut efficeret, ad Tacitum provocavit, qui magnum ſuo tempore Chriſtianorum fuiſſe numerum dixit, quod fieri non potuiſſe exiſtimat. Ego vero multos fuiſſe Neronis ætate Romæ Chriſtianos, conſtare Taciti teſtimonio defendo, quamvis multo plures fuerint Plinii tempore in Aſia. Quodſi contra Moylius pugnet, viderit ipſe num quidquam ſit in hiſtoria, quod non eludi pari ratione queat. Multo minus ferri poteſt, quod ait de Plinio. Hunc enim imponere Trajano amplificationis figura voluiſſe, qui credat?

(3) Vide quæ diximus ſupra *lib.* I. *cap.* III. §. XXV. *pag.* 168. *& ſeqq.*

(4) *Lib.* VIII. *pag.* 426. *edit. Oxon.* & *lib.* IV. *pag.* 217. Conſule quæ collegit Spencerus *in notis ad lib.* V. *Origenis contra Celſum pag.* 602. *& in lib.* VIII. *pag.* 796. *Tom.* I. *opp. Orig. edit. Monach. S. Mauri.*

Extremo autem seculo secundo fuisse nostrum permultos, qui ad bellum proficiscerentur, traditum a Tertulliano (1) est, illustri ejus ætatis scriptore, cum orthodoxis assentiretur. Tam brevi autem intervallo Patres mutasse opinionem, ut qui ante negarant, iidem post fas esse Christiano militare dicerent, numquam credam. Neque est Clementis Alexandrini discrepans ratio, ut qui Christianum, nisi miles sit, incedere nudis pedibus (2) decere putet. Quid multa? Apollinaris (3) ætate Marci Aurelii vixit. Is Christianos in ejus Imperatoris exercitu milites fuisse testatur. Auctori autem eorum temporum æquali, sine gravi aliquo argumento, auctoritatem adimi nemo, opinor, prudens patietur. Quare non est opus, ut Basilii (4) Magni, aliorumque Patrum, qui post claruerunt, testimonia, quæ eodem pertineant, congeram. Nam etsi Basilius de iis Christianis agat, qui primis seculis Ecclesiæ vivebant, sitque aliorum constans de militibus non prohibendis Sacrorum communione sententia; tamen, cum æquales eorum temporum mihi scriptores præsidio sint, recentiorum ope, quorum est alioqui magna existimatio doctrinæ, auctoritatisque, non egeo.

Nam quod addunt, superstitiosis ceremoniis implicari milites consuesse, adeoque Christianis nefas fuisse nomina militiæ dare,

 inane

(1) *Apologet. cap.* XLII. „ Navigamus, *inquit*, & nos vobiscum, & militamus, & rusticamur „. Confer quæ attuli ex Tertulliano *supra pag.* 340. *not.* 1.

(2) *Clem. Alex. in Pædagogo lib.* II. *cap.* XI. *pag.* 240. *edit. Oxoniensis*: *Decere*, inquit, *eum* (Christianum) *intectis pedibus esse, nisi forte militet*. Negat Moylius agi hoc loco a Clemente de Christianis. Nam de quolibet viro ab eo institui sermonem dicit. Sed non animadvertit præscribi Christiano a Clemente ibidem rationem degendæ, recteque instituendæ vitæ. Quam si τῖς μὴ στρατευομένοις dicit, indicio est, hoc item ad Christianos spectare illius dictum. Alioqui quorsum id, quod ad rem non esset, usurpasse? Addit Moylius de militibus *cohortalibus*, non de *castrensibus*, si de Christianis Clemens loquatur, hæc verba intelligi oportere. Ridiculum! Nam Presbyter Alexandrinus generatim milites memorat, quin castrenses excipiat. Quare verba, quæ late pateant, restringenda non sunt, ut *cohortales* tantum milites indicent. At subdit, ostendi non posse, num militiam probarit Clemens, quamvis milites nominet. Ne id quidem concedi potest. Si enim reprobasset militiam Clemens, decere numquam dixisset, ut quisquam caligatus incedat, non solum civis, sed etiam miles. Quod affert argumentum ex Tertulliano, non est simile. Tertullianus enim modo hoc, modo illud. Uno loco militiam permittit, alio reprobat. Hoc Clemens numquam fecit. Sed sumit eodem modo actum a Clemente esse, ut qui *in Cohort. ad Græcos pag.* 90. *pacificos milites* esse Christianos, & in Pædagogo *lib.* I. *cap.* XII. *Christianos non in bello, sed in pace institui*, & *lib.* II. *cap.* IX. & *lib. Strom.* IV. *pag.* 59. *Pacificos eos esse oportere dicat*. Ego autem, ut ex his sit consequens, militare Christiano homini nefas esse, non video.

(3) Vide locum Eusebii supra indicatum.

(4) Basil. *epist.* CLXXXVIII. *pag.* 275. *Tom.* III. *opp. edit. Monach. S. Mauri* „ Cædes in bellis „ factas Patres nostri, *inquit*, pro cædibus non habuere „. Moylius de temporibus Constantio loqui Basilium, putat: Ita omnia contorquet, ut suam opinionem defendat. Sed S. Doctor orationem suam coarctari Constantini temporibus, numquam dixit. Constitutionibus Apostolicis præscribitur modus, quo recipi, institui que ad baptismum milites debeant. Vide *lib.* VIII. *cap.* XXXII. *pag.* 418. *T.* I. *PP. Apostolicorum*. Etsi autem ante IV. seculum collectas hasce Constitutiones fuisse non putem, tamen quid Ecclesia sentiret, satis indicant.

inane est. Principio qui conjecturis rem testatam evertere contendunt, næ hi vehementer errant. Jam vero, qui historiam ab antiquissimis auctoribus scriptam ea maxime ratione ductus negat, is quid agat aliud, nisi conjecturis indulgendum esse censeat, ne suspicari quidem possum. Deinde milites Christianis sacris initiatos Tertulliani ætate fuisse, quin ii reprehensi a Patribus fuerint, paullo ante est satis, ut existimo, perspicue (1) demonstratum. Neque eos, quos Diocletianus cruciari jussit, quique in castris essent, quidquam fecisse Patres putarunt, quod cum Christianæ religionis disciplina pugnare videretur. At si sacrificassent, si superstitiosi aliquid egissent (2), reprehensionem effugere numquam potuissent. Sed dicam quod sentio. Etsi milites jurare per (3) *salutem, perque Majestatem* (4) *Imperatoris* solerent, id quod vetitum Christianis non erat, rem tamen divinam facere, superstitioneque obligari non cogebantur. Quamobrem nihil impediebat, quo minus nostris militiam profiteri, atque in acie pro republica confligere liceret. Atque ita sese rem habuisse

(1) Verum quidem est, decerni a Tertulliano tunc ætatis Montanista, *lib. de Cor. Milit. c.* xi. nefas esse Christiano in Romano exercitu militare: At is ipse auctor, ut ante dixi, in castris Romanorum milites nostros dicit fuisse, affirmatque in Apologetico, militum Christianorum precibus impetratam pluviam fuisse.

(2) Milites Christianos nihil in Christum injuriose egisse, cum militiæ nomen in Romano exercitu darent, tam certum est, quam esse certa res ulla in historia potest. Primo, quia quum illi quidquam superstitiosi facere cogebantur, tum mori potius, quam simile quidquam facere malebant. Lucius Cæcilius in *lib. de Mortibus Persequutorum c.* x. *de Persequutione* Diocletiani agens „ Tunc, *inquit*, ira furens, sacrificare non eos tantum, qui sacris ministrabant, sed universos, qui erant in Palatio jussit, datisque ad præpositos litteris etiam milites cogi ad nefanda sacrificia, præcepit „. Non ergo antequam sævisset Diocletianus, cogi ad sacrificandum milites consuerant. Vide Euseb. *lib.* 10. *cap.* VIII. *H. E.* & Sulpicium Severum *lib.* I *Hist. Sacra cap.* XXXIII. quibus in locis de injuriis Christianis ab Licinio inlatis agunt. Neque uti potuit, ut solet Moylius, testimonio Tertulliani. Is enim in Apologetico, (quem librum ante exactum seculum secundum scripsit, ut est a Johanne Laurentio Moshemio singulari Dissertatione demonstratum) sic milites M. Aurelii Antonini, & reliquorum, qui post fuerunt, Imperatorum Christianos memorat, ut eos laudet interdum, eorum vero institutum numquam condemnet. At si illi superstitiosi quidquam agere solebant, condemnati sine dubio a Tertulliano fuissent. Quodsi post contra sensit Tertullianus, volubili erat ingenio, neque ratio ulla erat, cur mutaret sententiam, ut aliorum Patrum auctoritate hactenus constitit. Profert in rem suam præterea Moylius Synodi Nicænæ I. Canonem XII. Eo severe reprehendi milites, ait, qui relicta militia sub Licinio, ad eam quæstus gratia Constantini tempore rediissent. Eodem fere modo Canonem explicat Dionysius Petavius *lib.* II. *Dissertationum Ecclesiastic. cap.* II. §. IV. Sed quid inde elicere pro se queat Moylius, nescio. Non nego, reprehensos fuisse eos, qui relicta militia sub Licinio ob cupiditatem in castra post revertissent. An ergo Patrum Nicænorum sententia, nefas erat Christiano viro castra sequi? Non est id, meo quidem judicio, consequens. Sed differetur hæc in aliud tempus oratio.

(3) Tertulliani *Apolog. c.* XXXII. „ Sed & juramus, sicut non per *genios Cæsaris*, *ita per salutem eorum*.

(4) Vide *Vegetium de re Militari cap.* V. *libri* II. Cæsar Cardinalis Baronius vir immortali memoria, & Gulielmus Caveus homo de secta Episcopalium Anglorum, juramentum, quod *loc. cit.* exhibet Vegetius, fuisse illud ipsum censent, quod Christiani milites sub Ethnicis Imperatoribus sese obstringere solerent. Moylius illud esse putat, quod omnes milites ederent, cum Valentinianus Imperium obtineret; sive illi essent Christiani, sive Ethnici. Idipsum ante placuerat Johanni Sarisberiensi *de Nugis Curia-*

buiſſe Actorum (1) Apoſtolicorum auctoritate plane liquet. Incredibile namque eſt, Cornelium Centurionem ſancte, integreque potuiſſe in caſtris vivere, ſi ſignis, diiſque milites coacti fuiſſent cultum adhibere. Eſt vero auctor Lucas, eum Centurionem & religioſam egiſſe in caſtris vitam, & Deo uni, quem coleret, ſervaſſe fidem. Quodſi erant in caſtris ſigna, quæ deorum numero haberentur, hoc tamen pietati eorum, qui a ſuperſtitione alieni eſſent, detrimento eſſe non poterat. Nam palatium quoque plenum larium, & ſuperſtitionis erat, nec tamen ea res obſtabat, quin, Nerone Imperatore, in eo optimis moribus Chriſtiani agerent (2), quos Paulus Apoſtolus dignos laude eſſe arbitraretur.

Reſtat, ut de diſcrepantia ſcriptorum pauca dicam. Equidem exiſtimo, revocari in dubium hiſtoriam non debere, in qua deſcribenda aliqua ſit inter auctores diſſenſio. Niſi enim hoc concedatur, vereor, ne nullus fere in hiſtoria locus ſit, qui dici poſſit, errore vacare. Nam quod Moylius ſumit, Apollinarium, atque Euſebium tradere, totam (3) legionem Chriſtianis conſtitiſſe, quoniam refutatum alio loco eſt, non eſt cur eſſe rurſum refellendum putem.

Alterum argumentum, quo adverſarii uti ſolent, eſt hujuſmodi. Euſebius in ea re deſcribenda lapſus eſt manifeſto errore. Melitinenſem namque fuiſſe eam legionem appellatam ſcribit, cui deinde ob impetratas contra hoſtes fulmina, hæſerit fulminatricis vocabulum. Melitinenſis autem legionis nulla extat in veterum monu-

Curialium lib. VI. *cap.* VII. Sed de hac re nolo equidem contendere. Illud dico: ſi licuit tertio ſeculo Chriſtianis militiæ, ſine criminis ſuſpicione, nomen dare, licuiſſe etiam ſeculo ſecundo, neque eſſe rationem ullam, quæ efficiat, non licuiſſe. Prudentiores Romani veteres erant, quam ut exiſtimarent, omnes omnino milites in exercitu, quem variarum religionum cultores componerent, obſtringendos unius Sacramenti obligatione eſſe. Non enim ignorabant verbis ſi juraſſent, acturos eos fuiſſe ex animo vero, non item, ſi Deorum loco non habuiſſent eos, per quos jurare Romani conſuerant. Erant autem in exercitu Ægyptii, Syri, Afri, Galli, Hiſpani &c., qui etſi non contemnebant Romana, pluris tamen ſua numina ducebant. Judæos præterea in Romano exercitu militaſſe, pluribus exemplis conſtat. Hus vero per numina Romana juraſſe, incredibile eſt. Igitur hi ſaltem ejus Sacramenti religione ſoluti erant. Quare Chriſtiani, qui ut Judæorum progenies exiſtimabantur, cur eadem eſſe religione ſoluti nequiverint, neſcio. Præterea tanta fortaſſe præfectorum vigilantia non erat, ut falli nequirent. In frequenti enim agmine, quis animadverrat omnia, quæ a ſingulis vel fiunt, vel omittuntur?

(1) *Actor.* X. *v.* 1. *& ſeqq.* Hoc ſibi oſtendi vult Moylius, ut apud eum Cornelii exemplum valeat, coactos fuiſſe tunc temporis milites, ut diis ſacrificarent, cum Cornelius Centurio eſſet. At equidem vellem etiam, ut, juſſos fuiſſe omnes milites idipſum agere tempore Marci Aurelii Imperaroris, mihi oſtenderetur. Id vero, etſi conetur, numquam Moylius efficiet.

(2) Epiſt. ad Philippenſes *cap.* IV. *v.* 22. *Salutant vos omnes Sancti, maxime autem, qui de Cæſaris domo ſunt.*

(3) Totam e Chriſtianis fuiſſe tradit Xiphilinus, a quo non differt Nicephorus. S. Gregorius Niſſenus magnam partem milites Chriſtianos fuiſſe ſcribit. Oroſius, & Paulus Diaconus exiguum in ea legione numerum noſtrorum hominum fuiſſe putant. Sed hi recentiores ſunt, quam ut cum Apollinare, & Tertulliano comparari poſſint.

monumentis commemoratio. Ac Valesius, cujus tanta fuit in historia præsertim existimatio, caussam indicavit, qua factum est, ut Eusebius in errorem incideret. Quod autem ad fulminatricis appellationem spectat, falsum omnino est. Quare ne Apollinari quidem veteri alioqui scriptori, eorumque temporum æquali credendum est, a quo est Eusebius hoc genus fabulæ mutuatus. Hæserat enim ei legioni jam usque ab Trajani, immo vero ab Augusti temporibus fulminatricis vocabulum. Quæ res cum antiquarum inscriptionum & Dionis testimonio plane constet, revocari nequit in controversiam. Quodsi contra hæc omnia, quæ tam sunt perspicua, Apollinaris, & Eusebius errant, mirabile non est, si fabulam de pluvia a Christianis militibus obtenta crediderint, monumentisque mandaverint litterarum.

Sed fortasse plus una legio fuit, quæ fulminatrix appellaretur. In numismatibus a Goltzio relatis plures, ait Kingius, ejusmodi nominari. Jam vero in *Notitia Imperii* fit legionis XII., quæ *fulminatrix* dicebatur, & collocata *Melitenæ* fuit, mentio. Ex qua re efficitur, aliam præterea legionem XII. fuisse (1), quæ posita alio in loco esset. Nisi enim sic res haberet, distinctionis nota *duodecimæ legionis* addita nulla fuisset. Atque ea fortasse legio est, cujus meminit Eusebius. Est autem auctor Dio, eo circiter tempore, de quo agimus, eamdem legionem egisse in Cappadocia. Cum igitur Apollinaris, & qui eum sequutus est, Eusebius e Melitinensi legione eos milites fuisse, quorum precibus patratum fuit a Deo prodigium, accepissent, nossentque eam fulminatricem dici solere, arbitrati sunt, si modo errarunt, tunc illi fuisse hujusmodi appellationem datam, cum ejus supplicationibus icti hostes fulminibus fuerunt. Quodsi cum Valesio dixero, Eusebium in referenda Apollinaris sententia minus diligenter fuisse versatum, jam totum hoc, quod est e fulminatricis vocabulo conclusum, evertetur funditus, ut arbitror, argumentum. Sed non est opus. Nam satis est, ut in Asia, quæ Christianis abundabat, Melitinensis legio, quæ *fulminatrix* appellabatur, eo circiter tempore (2) constiterit, ut in ea esse milites Chri-

(1) Negat hoc Moyllus fretus antiquorum silentio; sed nihil affert solidi, quo conjecturam refellat. Sit tamen, ut vult. Modo Melitinensis legio dicta *fulminatrix* fuerit, id quod ille facile concedit, negari non poterit, Melitinensi legioni hæsisse appellationem *fulminatricis*, potuisseque in ea Christianos esse, qui pluviam precando impetrarent.

(2) Vide Kingium *pag. 758. editionis Moshemii an.* 1733.

Christiani possent, idque impetrare, quod est memoriæ ab Apollinari, & Eusebio commendatum, prodigium. Neque vero si in appellationis origine indicanda peccavit Apollinaris, consequens est, ut in ceteris lapsus sit. Quot enim a scriptoribus narrantur, quæ critici vera esse concedunt, quamquam aliqua sunt eis a veteribus immixta, quæ distare a veritate videantur?

Gravius prima specie videtur esse, quod tertio loco opponunt. Nam si a Christianis, inquiunt, impetrata ea res divinitus fuisset, M. Antoninus Imperator non alteri cuiquam, sed Christianis illud tribuisset. Non tribuit autem? Impetratum igitur Christianorum precibus non fuit. Nam si Marcus cognosset, fuisse Christianorum prece exercitum servatum, numquam commisisset, ut Ethnicis aut Jovi, aut Mercurio, aut Mago Arnuphi, aut Chaldæis id ipsum adscribere liceret. Qui enim scriptis ad Senatum litteris de se, exercituque, Christianorum beneficio, ut est auctor in Apologetico Tertullianus (1); servato, æquo ne animo tulisset, ut in columna Jovi Pluvio (2) in nummis Mercurio a Romanis, a scriptoribus vero aut Arnuphi, aut Chaldæis, aut sui ipsius virtuti prodigium acceptum referretur? Atque in columna, quæ Antonina dicitur, Jovis Pluvii imbres immittentis, Marcique exercitum servantis cernitur. Præterea refertur a Morello (3) nummus, qui in cimeliis Galliarum regis extat, eodem anno cusus, quo prodigium contigisse fertur, & cujus in altera parte caput Antonini lauro redimitum, in altera Mercurius cernitur cum inscriptione: *Religio Augusti*: Dio autem Cassius, & Capitolinus nonne, aut virtute Antonini, aut artibus magorum impetratam fuisse pluviam, contendunt? Age vero si ea res dubia fuisset, quotus quisque est, qui existimare possit Themistio, & Claudiano adscribere non Christianis miraculum, sed aliis licuisse, in iis præsertim panegyricis sermonibus, atque carminibus quæ inscripta essent nomini Christianorum Imperatorum? Hoc qui credit, næ ille quamvis fabulam sibi probari patietur.

Veruntamen qui mores, superstitionemque Ethnicorum perspectos habent, non admirabuntur, traditum ab eorum scriptoribus esse, aut magicis artibus e præsenti periculo, aut Deorum ope ereptum Marci exercitum fuisse. Erant enim ita affecti animis, ut

(1) Tertull. Apolog. *cap.* v. testatur precibus Christianorum impetratam fuisse pluviam juxta atque M. Aurelius ad Senatum scripsit.

(2) De Jove pluvio vide quæ supra dixi *pag.* 366. *not.* 2.

(3) Vide Morellum *Rei Antiqu. nummar. pag.* 203. & Pagium *ad an.* 174.

ut quidquid mirabile eveniſſet, hoc ex Deo Chriſtianorum nullo modo, ut quem intelligere nequirent, ex numinibus vero, invocatione que dæmonum proficiſci omnino poſſe arbitrarentur. Itaque etſi noſtrorum precibus tot miracula patrari cernerent, tamen ea præſtigiis perfici putabant, ſanctoſque homines magos vocare (1) non verebantur, eoſque exterminari oppidis, extremiſve ſuppliciis affici curabant. Quemadmodum vero concludi ex hac Ethnicorum perſuaſione nequit, non virtute, ac poteſtate Dei, ſed malis artibus a Chriſtianis aut reſtitutam ægrotis ſanitatem, aut pulſos dæmonas fuiſſe, qui mortalium quorumdam corpora vexarent; ita ne illud quidem effici exinde poteſt, non noſtris, ſed vel Antonini pietati, vel præſtigiis Ægyptiorum eſſe miraculum de pluvia tribuendum. Accedit præterea, quod alio loco diximus (2), magos in M. Antonini exercitu nullos fuiſſe, ut adſcribi eis tantum prodigium poſſet. Antonini autem precibus, ut qui Ethnicus eſſet, tribui illud oportere, quis credat? Erat vero illud prodigium, ut Ethnici, Chriſtianique omnes, qui de illo eventu ſcripſerunt, confeſſi ſunt. Igitur ſi neque a præſtigiatoribus, neque ab Antonino impetratum eſt; reſtat tertium, quod veteres tradiderunt, ut impetratum fuerit a Chriſtianis. Quodſi illud ipſum Romani Antonini virtutibus, ut Imperatori aſſentarentur, vel Jovi, vel Mercurio tribuerunt, parvi refert. Namque tolerare Imperator ſuperſtitionem poterat, ne tumultus in republica orirentur, quemadmodum paſſi filii Conſtantini ſunt, ut eorum pater ab Senatu in divis (3) numeraretur. Etenim ſi hi, qui ſine dubio Chriſtiani erant, non reſtiterunt, quin Senatus id agere auderet, non video, cur Antoninus reſiſtere debuerit, qui idolorum ſuperſtione tenebatur. Atque haud ſcio, an plurimi intereſſe Antoninus arbitraretur, ſi Chriſtianorum Deo potius, quam Jovi, aut Mercurio res tanta a Romanis adſcriberetur, qui plus certe Mercurio, quam Deo, quem ignoraret, tribueret. Quod ad Themiſtium, & Claudianum attinet, verum quidem eſt, ſequutos eos fuiſſe ſuorum ſimilium, ut qui Ethnici eſſent, ſententiam temporibus Chriſtianorum Imperatorum. Neque cauſſa ulla erat, qua impedirentur, quo id minus audere poſſent; cum ſilentibus Imperatoribus, multa peccare Ethnici non vererentur.

Ac

(1) Confer quæ ſcripſi *lib. 1. cap. II. & III.*

(2) *Pag. 366. n. 2.*

(3) Vide Moneliam *Differt. de Relig. Philipp. pag. 50.* qui nummum exhibet ab Iſaaco Voſſio relatum.

Ac ſi Zoſimus ſub Imperatoribus Chriſtianis talem Hiſtoriam contra Chriſtianos Principes ſcripſit, qualis tranſmiſſa ad noſtram ætatem eſt, plena mendaciorum; potuerunt hæc de pluvia a Themiſtio & Claudiano tribui iis impune, quibus ab Ethnicis antiquioribus tributa fuiſſent.

Sed inſtant adverſarii, neque aſſequi ſe poſſe ajunt, quo tandem modo Imperator, qui a noſtris tam ſingulari affectus beneficio fuiſſet, in ipſos deinceps ſævire non dubitarit. Ego vero nihil eſſe tam facile ſolutu arbitror. Satis enim exploratum eſt, hominem deditum ſuperſtitioni, ne eorum quidem habere rationem, a quibus commodi plurimum, utilitatiſque acceperit, ſi ab his negligi, deſpicique ſua numina intellexerit. Quis enim neget a Chriſto multa Hieroſolymis fuiſſe prodigia patrata? At eum Judæi, quod ſe Chriſtum eſſe diceret, eorumque mores, traditioneſque reprehendere ſoleret, in crucem agi, interficique curarunt. Quid? Apoſtoli (1) nonne inſpectantibus Hebræis claudum a nativitate ſanarunt? Sed etſi hoc idem negare ſeniores Populi nequirent, tamen eſſe in viros ſanctiſſimos animadvertendum ſtatuerunt. Itaque mirabile videri non debet, ſi Antoninus, qui liberari ab exitio exercitum Chriſtianorum precibus viderat, cum contemni ab eis gentium numina, quæ ipſe coleret, cognoſſet, ſupplicium de illis ſumere decrerit.

At enim ſi Antoninus, inquiunt, precibus Chriſtianorum viciſſet, legem aliquam tuliſſet, qua profecto caviſſet, ne quis poſthac Chriſtianos exagitaret. Nullam autem hujuſmodi legem tulit. Non ergo Chriſtianorum ſubſidio Marcomannos Antoninus vicit. Ac ſi quam ille legem publicaſſet, ut ſaluti, rebuſque Chriſtianorum proſpiceret, eam quidem aut Tertullianus, aut alius quiſquam veterum vidiſſet. Scriptori autem antiquo eam cernere nemini uſquam, quod conſtet, licuit. Nam quæ Epiſtola ſubiici ſecundæ Juſtini (2) Apologiæ ſolet, tot ineptiis, dolis, fraudibus denique referta eſt, ut ne iis quidem probetur, qui prodigii de pluvia, quaſi eſſet a Chriſtianis patratum, patrocinium ſuſceperunt. Quod ſi Langius (3), Pamelius (4), Sylburgius, aliique ejus rei veſtigia

(1) Vide *Act. Apoſt. cap.* IV. *v.* 1. *& ſeqq.*

(2) Secunda Juſtini Apologia dici ſolet, quæ revera eſt prima. Huic Apologiæ ſubjecta eſt Antonino falſo adſcripta Epiſtola.

(3) Nicephori *Hiſt. Eccl. lib.* IV. *cap.* XII.

(4) *Ad Tertull. Apolog. cap.* IV.

quædam in edicto Veri, & Antonini, cujus est ab Ulpiano facta mentio, deprehensa ab se esse putarunt, quæ pertinere ad eam rem demonstrandam viderentur, lapsi tamen magno errore sunt. Etenim edictum illud ad Christianos scilicet non spectat. Deinde quemadmodum Verus, qui anno *169.* periit, legem anno 174. scripsisset, ne quis Christianos insectaretur, propterea quod opem laboranti exercitui suis precibus tulissent? Sed quid multis est opus? Edictum, cujus Ulpianus mentionem fecit, non a Vero & Antonino, sed a Severo, & Antonino Caracalla Severi filio, & Imperii collega promulgatum est, ut *Digestorum* (1) auctoritate plane liquet. Atque illud præterea miraculi patronos perturbat, quod est de tempestate in Christianos tertio post anno coorta, quam bellum Marcomannicum est confectum. Neque hinc sane expedire se possunt, qui non Antonini jussu, sed plebis furore sævitum eo tempore in Christianos fuisse censent. Est enim auctor Eusebius, imperasse (2) Antoninum, ut qui erant in Galliis Christiani, omni tormentorum genere interficerentur. Neque Eusebius solum, sed etiam Theophilus (3) Antiochenus in extremo libro ad Autolycum eorum malorum auctorem Antoninum fuisse indicat.

Equidem non nego, quod Adversarii de edicto ab Ulpiano laudato statuunt. Assentiri enim Pamelio, & Sylburgio non possum, esse illud ab Antonino pro Christianis scriptum, existimantibus. Quod ajunt perturbari patronos miraculi argumento tempestatis Marci Aurelii Antonini jussu in Christianos commotæ, falsum est. Perturbare namque neminem potest epocha ejus rei incerta. Sunt enim scriptores, & hi quidem in hoc genere (4) celebres, qui longe citius, quam Eusebius in historia (5) scripserit, concitatam eam fuisse in Christianos putent. Non moveor eo Theophili loco, quo adversarii confici posse arbitrantur *persequutionem* quæ Antonini jussu cœpisset, perdurasse ad ætatem usque Commodi Imperatoris. Id enim Theophilus nusquam scripsit. Hoc unum ait: initio imperii Commodi sævitum acriter in nostros

(1) *Lib. 1. Tit. 1I. sect. 11I. pag. 876. edit. Amstel.*

(2) *Hist. Eccl. l. v. cap. 1.*

(3) *Pag. 140. edit. op. Just. an. 1615.*

(4) Henricus Dodwellus decennio citius, quam Moylius credit, hoc est anno CLXVII. commotam in nostros a Marco Aurelio tempestatum scribit Epist. ad Pagium, quæ in hujus critica *ad an.* 177. legitur.

(5) Nam in Chronico persequutionem circa an. *166.* ortam, scribit. In Historia contra *an.* 177. ut observat ibidem Dodwellus.

noſtros fuiſſe. Ex qua re ſunt, qui concludi exiſtiment poſſe, vexationem (1), quæ Antonini edicto, ob ſervatum a Chriſtianis exercitum, ceſſaſſet; ira conjuratione que plebis, eſſe novo impetu reſtitutam quod vulgus morte Imperatoris, tolli vim legibus ab ipſo latis judicaret. Sed cum repreſſo impetu nunciatum plebi fuit, extincto Imperatore, vim legi nihilominus non eſſe ademtam; qui in jus eo nomine quemquam vocabant, quod Chriſtianus eſſet, puniri a magiſtratu (2) conſuerant. Verum mea longe eſt diſcrepans ratio. Ego enim, ut paullo poſt oſtendam, ejuſmodi edictum datum fuiſſe nullum arbitror. Fac tamen Antoninus etiam poſt prodigium, tam ſe in noſtros crudeliter geſſerit, quam adverſarii optarent, quid? An ſequi hinc exiſtimant poſſe, Chriſtianos ſaluti legionibus non fuiſſe? Non equidem cenſeo, ſi conſiderent, quæ a nobis in ſuperiore argumento ſolvendo, de Chriſto, deque Apoſtolis, qui tot miracula *Hieroſolymis* ediderent, diſputata ſunt.

At legem ab Antonino latam, inquiunt, nemo uſquam veterum memoravit. Quodſi Tertullianus edictum Marci Antonini (3) nominavit, illud quidem intellexit, quod eſt ad *commune Aſiæ* ſcriptum, quod ſane non Antonino parenti, ſed M. Aurelio filio tribuendum eſt. Neque enim colligata eſt, nexaque Tertulliani oratio, ut quidquam inde præſidii ſperari a patronis prodigii poſſit. Vagatur ea libera, quin rationem ullam temporum ſervet. Atque edictum ad *commune Aſiæ*, miraculi ratione, datum non fuit. Sed conceſſo, ſcriptas ab Antonino fuiſſe litteras, quæ ſic, ut Tertullianus ſcribit, haberent: ab *litteris* ad *edictum* defenſores prodigii quomodo accedunt? Rurſum ad litteras, quod attinet, nemo eſt, qui ab ſe umquam fuiſſe viſas tradiderit. An credibile eſt, hoc genus epiſtolæ fugere noſtrorum hominum diligentiam potuiſſe, ut id non cernerent, quod ad ſui utilitatem intereſſe maxime videretur? Qui legis ab Antonino ſcriptæ meminerit, ante impoſtorem illum Antonianæ Epiſtolæ, quæ ſecundæ Apologiæ Juſtini ſubjicitur, auctorem, nemo fuit. Is enim Tertulliani verba ſic intellexit, ut a M. Aurelio ſcriptam fuiſſe legem inde colligeret, qua omnes ut finem vexandi Chriſtianos facerent, juberentur. Ex hoc ipſo

 mutua-

(1) Kingius in *reſp. ad* Moylium *edit. Moshemii an.* 1733. *pag.* 818.

(2) Ut exemplo Apollonii conſtat, quem qui accuſavit, pœnam tulit, quod contra edictum Imperatoris peccaſſet, ut auctor eſt Euſebius, cujus locum paullo poſt afferam.

(3) *Cap.* v. *Apolog.*

mutuatus eadem est Xiphilinus. Neque vim argumenti declinare poterunt hi, qui fortasse periisse hujusmodi legem, dicent. Nam legem, quae Christianis faveret, perire, passi Christiani numquam fuissent. Nec plus habet virium, quod dictum est, de castigatis aetate Commodi delatoribus Christianorum. Nam Dodwellus (1) vi legis ab Imperatore Hadriano ad Minucium Fundanum scriptae in Apollonii accusatorem fuisse animadversum putat. Valesii etsi discrepans fuit sententia, tamen hoc postulat, ut punitus Apollonii delator fuerit, quod in legem Antonini ad Commune Asiae scriptae peccasset. Sed quid impedit, quo minus de lege a Commodo lata accipiantur? Placet haec Moylio imprimis interpretandae illius sententiae (2) ratio. Atque ut eam confirmet, sic statuit: Si ejus legis, cujus Tertullianus meminit, ratio habita, a Commodo Imperatore fuit; Apollonius tulisset impune, quod ita lex eadem posceret. Non tulit autem impune. Non ergo habita ejus legis a Commodo Imperatore ratio est. Quod attinet ad annum, quo saevire M. Antoninus in Christianos coepit, probari Dodwelli, sententia non potest. Historiae namque Eusebii, quae posterior Chronico est, potius, quam Chronico ipsi est adhibenda assensio. At in Historia Eusebius anno 177. a Marco vexandi Christianos initium fuisse factum, testatur. Atque commota quidem in Lugdunenses Christianos tempestas est, cum Pontifex esset Eleutherius. Anno autem 167. Pontifex Eleutherius non (3) erat; idque veteribus Graecorum, Romanorumque monumentis probari, efficique potest. Fit praeterea in Epistola MM. Lugdunensium sectae Montanistarum (4) mentio. Jam vero orta anno 167. haeresis Montani, non erat. Saevitum igitur anno 167. in Christianos Marci Antonini edicto non fuit. Quid? Si Commodus, cum primum potitus Imperio est, finem vexandi Christianos fieri praecepit (5)? Quod cum ita sit, fatendum omnino nobis erit, M. Antoninum extremo suae vitae tempore

(1) *Dissert.* Cyprian. IX. §. XI.

(2) Resp. ad Kingium *pag.* 283. *edit. Moshemii*.

(3) Constat ex Eusebio *H. E. lib.* V. *Proem. pag.* 197. *edit. Cantabrig. & ex Catalogis Romanor. Pontif. editis* a Bucherio, Shelstrato, Blanchino, & aliis.

(4) Apud Eusebium *lib.* V. *cap.* XLI. *pag.* 212. *edit. Cantabrig.*

(5) Chronicon Paschale T. IV. *Scriptor. Histor. Byzant. edit. Veneta pag.* 209. ὗτος ὁ Κόμμοδος ἐπὶ τῆς αὐτοῦ κρατήσεως ἔπαυε τὸν διωγμὸν τῆς ἐκκλησίας. *Hic Commodus quamdiu imperavit ab Ecclesiae persecutione abstinuit*. Ita vertit Cangius. Aliquanto discrepans est, quae Moylio placet, Interpretatio. *Idem Commodus imperium adeptus persecutioni Ecclesiae finem imponit*. Moylianam praefert Cangianae Moshemius quod vox ἔπαυε cum potius sensum poscat. Huic equidem assentior.

pore ſuppliciis affici Chriſtianos juſſiſſe, neque dum vixit, revocaſſe, quam tulerat de illis cruciandis, legem. Neque placet Adverſariis, quod dici a quibuſdam miraculi, de quo agimus, patronis ſolet: Plebis ſcilet tumultu, non edicto M. Antonini coortam tam ſævam anno 177. in Viennenſem, & Lugdunenſem Eccleſias tempeſtatem eſſe. Nam ſi ſcripta lex ulla pro Chriſtianis ab Imperatore fuit, quid cauſſa erat, cur plebs Marci Antonini legem contemneret, Commodi contra obſervandam arbitraretur? Commodi autem tempore ſumma pace Eccleſiæ frui licuit (1). Licuiſſet igitur, Marco etiam Imperatore, ſi is ſimilia eorum, quæ publicata a Commodo fuerant, edicta ſcripſiſſet. Poſtremo Marcus Antoninus in libro XI., quem aut anno 177. aut paullo poſt ſcripſit, Chriſtianos (2) redarguit, quaſi, *obſtinatione ducti*, in mortem ruere ſolerent. Credibile ne vero eſt, obſtinationis accuſari ab homine potuiſſe eos, quorum beneficio ipſe, atque exercitus ſervatus fuiſſet? Rurſum quis neget, eſſe hinc conſequens, conſcium fuiſſe Antoninum eorum omnium, quæ Chriſtiani paterentur? Tuliſſetne vero æquo animo, contra ſuum edictum, ſi ullum paullo ante pro noſtris publicaſſet?

Ego vero numquam in animum inducam, ut credam fieri in *V. Apologetici capite* a Tertulliano ejus edicti, quod eſt ad Commune Aſiæ datum, quaſi ſcriptum a Marco Aurelio fuerit, mentionem. Etenim quod adſcriptum Antonino Pio diſertis verbis ab Euſebio eſt, id ipſum quis putet, ſine ulla gravi ratione tribui Marco Aurelio (3) oportere? Ac Tertullianus litterarum a Marco Aurelio ſcripta-

(1) Confer Euſebium *l.* I. *c.* XXI. *Hiſt. pag.* 239. *edit. Cantabrig. & Chronic. Paſch. l. c.*

(2) *Lib.* XI. *cap.* III.

(3) Ex Acatholicis Scaliger, Pearſonus, Dodwellus, Grabius, Moylius, ex Orthodoxis autem Valeſius, Pagius, Huetius, aliique edictum *ad Commune Aſiæ* non Antonino Pio, ſed Marco Antonino acceptum referunt. Contra magnus Baronius, Petrus Halloixius, & Joſephus Auguſtinus Orſius Antonino Pio eſſe tribuendum cenſent. Euſebius *lib.* IV. *H. E. cap.* XII. *& ſeq. edit. Cantabr. Interpellatus*, inquit, *idem Imperator* (Antoninus Pius) *ab aliis fratribus in Aſia commorantibus*, ... *ad commune Aſiæ hujuſmodi conſtitutionem ſcripſit &c.* Ac mihi quidem videtur incredibile Euſebium qui plane ſciret Antoninum Pium diverſum a Marco Aurelio Antonino fuiſſe, labi adeo turpiter potuiſſe, ut adſcriberet priori ea, quæ Marci Aurelii nomen præferent, hujuſque revera propria eſſent. Itaque quod Grabius in *not. ad* 1. *Juſtini Apolog. pag.* 136. ſcribit, appoſitum ad marginem a librario perito M. Aurelii nomen fuiſſe, quod deinde in textum irrepſerit, hoc ego ſuſpicor factum ab imperito librario fuiſſe, qui Armeniaci quoque epitheton addiderit. Itaque ſic Euſebium inſcriptionem Epiſtolæ ad Commune Aſiæ legiſſe arbitror, ut in calce Apologiæ Juſtini, quæ ſecunda dicitur exhibetur: *Imperator Cæſar Titus Ælius Hadrianus Antoninus Auguſtus Pius Pontifex Maximus Tribunic. Poteſtat.* XV. *&c.* At Melito Sardenſis, inquiunt Adverſarii, in ſuo ad Marcum Aurelium Apologetico libro, etſi epiſtolarum ad varias civitates ab Antonino Pio ſcriptarum meminerit, hujus tamen ad Commune Aſiæ

ſcriptarum (1) meminit, *ad commune Aſiæ* datarum vero, non item. Quid ergo eſt, quod Havercampius, Moylius, aliique indicari a Tertulliano edictum *ad Commune Aſiæ*, putent? Quodſi Tertullianus litteras a M. Antonino datas ſic refert, ut, ubi agnoſse illum dixit, Chriſtianorum prece fuiſſe exercitum ſervatum, continuo addiderit, adjectam ab eo Imperatore fuiſſe Accuſatoribus Chriſtianorum pœnam; indicio eſt, his ipſis litteris M. Aurelium puniendos illos eſſe conſtituiſſe, qui noſtrorum nomina religionis cauſſa, deferre auderent. Nam quod Moylius adjungit, non eſſe res ordine ſcriptas a Tertulliano, ut alia ex alia nexa, omneſque inter ſe apte, colligatæque videantur, commenticium eſt. Neque vero me quiſquam reprehendat, ſi *commenticium* vocem, quod nulla gravi ratione probari poteſt. At Euſebius, inquit, qui Tertulliani locum laudavit, permotum fuiſſe prodigio Imperatorem, ut legem ſcriberet, nuſquam prodidit. Quaſi vero legem ego ullam ſcriptam a Marco Aurelio fuiſſe dixerim, quæ a litteris illi differret. Euſebius autem quo loco litterarum meminit; adjunxit, eumdem Imperatorem, auctore Tertulliano, comminatum fuiſſe (2) accuſatoribus Chriſtianorum pœnam. Id vero, ut noſtræ opinioni repugnet, non video. Atque eſt additum quidpiam in Apologetico, quod efficiat, Epiſtolam ad comune Aſiæ ſcriptam diſcrepare

Aſiæ non meminit; quod numquam feciſſet, ſi ad Commune Aſiæ Antoninus Pius ſcripſiſſet. Ego vero neſcio an hi, qui Apologeticon Melitonis numquam viderunt, cum injuria temporum intercciderit, oculatiores eſſe Euſebio poſſint, qui vidit. Atque Euſebius, ut retulit litteras ad Commune Aſiæ ab Antonino Pio ſcriptas, mox addit: „ Hæc quidem ita geſta eſſe, Melito Eccleſiæ Sardenſis Epiſcopus, „ qui iiſdem temporibus floruit, perſpicue teſtatur in Apologetico illo longe utiliſſimo, quem ad Im„ peratorem Verum pro religione noſtra conſcripſit „. Quodſi in fragmento, quod ex Apologetico Melitonis alio loco Euſebius profert, non ſit hujuſce Epiſtolæ mentio; parvi refert. Nam Euſebius, qui uno loco, ut vidimus, dixit, memoratam epiſtolam eam fuiſſe a Melitone; repetere, quæ in eodem Apologetico de iiſdem rebus erant, non æquum duxit.

(1) „ Litteræ Marci Aurelii graviſſimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam ſitim, „ Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbri, diſcuſſam conteſtatur. Qui ſicut non „ palam ab ejuſmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam diſperſit, adjecta etiam accu„ ſatoribus damnatione, & quidem tetriore „. Ex quo loco colligi etiam poterit, diſcrepare haſce litteras a litteris *ad Commune Aſiæ*. Nam in his poſtremis nulla ſit impetratæ pluviæ mentio, quam in litteris Marci factam teſtatur Tertullianus. Moylius *pag.* 823. e loco Tertulliani: *non palam ab ejuſmodi hominibus pœnam dimovit*, delendum eſſe τὸ *non* putat. Sed Havercampius, qui Codices meliores MSS. contulit *pag.* 63. *Apolog. Tert. edit. an.* 1718. *not.* 34., Peſſime, *inquit*, τὸ *non* „ ſuſtulerunt nonnulli, ut Rhenanus.

(2) Euſebius *lib.* v. *Hiſt. cap.* v. *pag.* 216. „ Tertullianus, *inquit*, ejuſdem rei idoneus teſtis eſt, „ in Apologetico, quem pro fidei noſtræ defenſione ad Senatum Urbis Romæ latino ſermone conſcri„ pſit, cujus etiam ſupra mentionem fecimus, ubi hanc Hiſtoriam validiore, atque evidentiore ar„ gumento confirmat. Scribit enim, Marci graviſſimi Imperatoris litteras adhuc ſua ætate extitiſſe, „ quibus teſtabatur, exercitum Romanum in Germania, cum aquæ penuria, jamjam periturus eſſet, „ Chriſtianorum precibus eſſe ſervatum. Eumdem quoque Principem capitis pœnam comminatum, „ dicit eſſe accuſatoribus Chriſtianorum.

pare ab litteris Marci Aurelii, quarum est facta mentio a Tertulliano. Etenim accusatos absolvi, ea Epistola (1) jubet; cum tamen litteris Marci Aurelii, Tertulliano teste, *dimota* non fuerit ab accusatis Christianis *pœna*. Quod si hæ litteræ neque descriptæ, neque visæ ab ullo Christiano (2) fuerunt, parvi refert. Nam Tertullianum opponere ea Ethnicis voluisse, quæ convinci falsitatis ab inimicis Christianæ religionis potuissent, nisi satis gravi argumento coactus fuero, non credam. Quæ cum ita sint, sequitur, ut harum litterarum potius, ut quæ recentiore memoria scriptæ fuissent, quam legum aut Hadriani ad Minucium Fundanum, aut Antonini Pii ad commune Asiæ, aut Commodi, cujus nulla umquam lex hujusmodi memorata est, ratione, accusatorem Apollonii sui sceleris pœnas (3) luisse. Quod ait Moylius absolvi debuisse Apollonium, si habita fuisset a Commodo ratio litterarum, quarum est mentio a Tertulliano facta, probari nullo modo potest. Est enim auctor Tertullianus, *non fuisse palam*, M. Antonini jussu a Christianis *pœnam dimotam*. Itaque etsi erat de accusatore supplicium sumendum, tamen accusato impune habere minime licebat. Non sum nescius, esse eorum ad similitudinem veritatis propensiorem sententiam, qui an. 177. sævitum sub Marco Aurelio in nostros fuisse arbitrantur. Nam quod dixi de cruciatis an. 167. eo Imperatore non repugnante, Christianis, aliorum opinione dixi, non mea. Atque eo quidem dixi, ut argumentum ex anno, quo vexari nostri cœperunt, collectum, cum Chronologi dissentiant, tanti non esse æstimandum, quanti adversarii putant, ostenderem. Neque me movet, quod de ademta Ethnicis a Commodo sæviendi in nostros potestate, scribunt. Ostendi id sane Theophili, Antiocheni aliorumque

(1) Eusebius *lib. IV. H. E. cap. XIII. pag. 160. edit. Cantabrig.* recitat epistolæ ad Commune Asiæ, verba hoc modo: „ Quod si quis adhuc perget cuiquam illorum negotium exhibere ex eo quod Christia„ nus sit, ἐκεῖνος ὁ κατηγορούμενος ἀπολελύσθω τοῦ ἐγκλήματος, *Ille delatus crimine ab„ solvatur &c.*

(2) Visas autem a Tertulliano minime fuisse Adversarii numquam probabunt. Vide *Euseb. loc. cit. not. superiore*.

(3) Nam edictum, aut epistola, quæ ferret non esse dimovendam ab Accusato pœnam, quamvis puniendus delator esset, nulla alia fuit, præterquam ea, cujus fit mentio a Tertulliano. Hujusce namque rationis puniendi accusatum, nulla fit in litteris aut Hadriani ad Minucium Fundanum, aut Antonini Pii ad Commune Asiæ, aut in ullis Commodi, quas nemo commemorat. Atque incredibile est, Commodum, quem Dio fautorem fuisse Christianorum prodit, statuisse, ut Christianus accusatus, religionis caussa, pœnam subiret. Itaque Apollonius pœnam tulit ratione legis, cujus hisce verbis meminit Eusebius *in v. Hist. Eccl. lib. cap. XXI. pag.* 240. ubi de condemnato capitis Apollonio loquitur: *Lege apud eos sancitum erat, ut Christiani, qui semel in jus vocati fuerunt, nisi a proposito suo discederent, nequaquam dimitterentur.* Quare recte Havercampius *ibid. pag. 64. not.* 36. Christ ana,

que auctoritate posse, facile concedam. Sed edictis novis jussos a M. Antonino (1) Proconsules, Judicesque fuisse, ut Christianos supplicio afficerent, id vero est quod demonstrari posse, vehementer nego. Ille namque etsi non revocavit edicta superiorum Imperatorum, permisitque, ut accusati penam subirent, unde factum est, ut eo imperium obtinente, tanta copia Martyrum exsisteret; tamen novam legem ullam adversus Christianos non tulit. Quamobrem mirabile non est, si obstinationis nostros accusavit, quod cum sacrificando vitare supplicia possent, tum persistere in sententia, quam Diis cultum adhibere mallent. Quodsi adversæ opinionis vindices opposuerint, novam legem fuisse a Marco sancitam, propterea quod non intulerit accusatoribus Martyrum Lugdunensium pœnam; quam intulisset, si litteris a Tertulliano memoratis stetisset: meminerint, tumultu plebis (2) primum ortam in Christianos Lugdunenses fuisse seditionem. De tanta autem multitudine, qui tandem Imperator supplicium sumsisset? Jam vero cum, vivo Marco, Ethnicis accusatos Christianos plectere liceret, Commodus, qui post eum potitus Imperio est, ut ne quis deinceps simile quidpiam agere auderet, cavit. Neque plus Commodi, quam Marci Antonini edictis tributum a Præfectis Provinciarum fuit. Marci namque edicta nulla erant, quæ, Christianos accusatos cruciari,

nus, inquit, *non absolvebatur, si constanter fidem defenderet, sed necabatur, ut patet exemplo Apollonii ... at non facile accusabantur, metuente delatore certissimam pœnam*. Quod addit Havercampius in litteris ad Commune Asiæ falso adjectam absolutionem accusati Christiani, viderit ipse, quemadmodum contra fidem omnium exemplarium edicti apud Eusebium, & in calce *Apol.* Justini, quæ secunda dicitur, defendi possit.

(1) De hac re disseram *cap. seq.*

(2) Eusebius *lib. v. H. E. in Proœm.* „ Quo tempore, *inquit*, cum in nonnullis terrarum partibus „ violenter adversus nostros persecutio commota esset ex incursione popularium: ἐξ ἐπιθέσεως τῶν „ κατὰ πόλεις δήμων: innumerabiles prope Martyres per universum orbem emicuisse, ex „ iis, quæ in unica Provincia contigerunt, conjicere est. *Et cap. 1. pag. 199.* Hæc ex Ecclesiarum Lugdunensis, & Viennensis Epistola refert „. Ac primum quidem quæcunque a populo universo acervatim ingerebantur, constantissime toleraverunt. Consule quæ sequuntur. Interea prætereundum silentio non est, fateri Moylium vi veritatis coactum, Lugdunensem persecutionem ortam tumultu populi fuisse *pag.* 842. At meminit, inquiunt, Melito Sardensis in suo libro Apologetico Edictorum, quæ extremis temporibus M. Antonini lata essent. Sed a quibus scripta edicta a Præsidibus ne, an Imperatoris jussu, non judicat Melito. Immo vero dubitat consenserit ne Imperator, nec ne. Verba illius hæc sunt apud Eusebium *l. iv. c. xxvi. H. E. pag. 189. edit. Cantabr.* „ Persecutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores, & „ alienarum opum cupidi, ex edictis, occasionem nacti τὴν ἐκ τῶν διαταγμάτων ἔχοντες ἀφορμήν, (immerito Valesius legit Imperialibus edictis) palam die noctuque grassantur .... Quod si hæc tuo jussu „ fiunt, recte atque ordine facta sunto .... Sin vero illud consilium, atque edictum plane inauditum... „ nunquam a te profectum est, obsecramus te multo magis, ne nos hujusmodi publico latrocinio vexari permittas „.

ciari, atque, interfici vetaret. Atque hæc de argumento e vexatis juſſu Marci Aurelii Chriſtianis concluſo, dicta ſunto.

Quinta ratio, qua freti Adverſarii imbres fulminatricis legionis precibus militum impetratos negant, ducitur ex levitate teſtimoniorum Apollinaris, ac Tertulliani. Levem namque eorum auctoritatem eſſe contendunt; primo, quod Chriſtiani tertii ſeculi ſcriptores ejus prodigii non meminerint; ſecundo, quod Apollinaris ſtudioſus fuerit fabularum; tertio, quod Tertullianum fanaticum, credulumque fuiſſe conſtet.

Sed vereor, ne primum, quod opponunt, indignum ſit critici gravitate. Nam ſi æqualem eorum temporum ſcriptorem habemus Apollinarem, quid opus eſt iis, qui recentiore memoria vixerint? At ne ii quidem deſunt. Tertullianus enim viguit etiam ſeculo Eccleſiæ tertio. Inſequentium autem ſeculorum ſcriptores quot fuerunt, qui idem ipſum tradiderint? Hos vero ſuo arbitratu, non veterum auctoritate ductos ſcripſiſſe, credat qui volet. Ego enim impetrare ex me ipſo, ut credam, nequeo. Nam de Apollinari ſecundo loco multo ſtatuunt inclementius, quam ejus apud veteres exiſtimatio virtutis, atque doctrinæ pati poſſit. Euſebius (1) Cæſareenſis Epiſcopus, cujus in æſtimandis ſcriptoribus ſingulare *criterium* fuit, ſumma hominem laude floruiſſe ſcribit, eumque cum Melitone Sardenſium Epiſcopo viro clariſſimo comparat. Quid? Si propter eruditionem, ſtylique gravitatem magni Photius (2) eſſe eumdem faciendum putet? Neque negaverim fanaticum, credulum, nugacem fuiſſe Tertullianum, poſteaquam Montaniſmum profiteri cœpit. Sed eum cum Apologeticon ſcriberet (ſcripſit autem illud *an.* 198. (3) quo adhuc tempore recte ſentiebat) tam credulum fuiſſe, ut indignus eſſet, cui fides adjungeretur, neque oſtenſum a quoquam eſt, neque oſtendi ulla gravi ratione poſſe arbitror.

Poſtremum argumentum Adverſariorum ſic habet. Auctores ſervati prodigio exercitus Chriſtiani eſſe nequiverunt, ſi prodigio ſervatus exercitus non fuit. Non eſt autem prodigio exercitus ſervatus. Non ergo impetratum prodigium eſt precibus Chriſtianorum. Nemo enim eſt, qui imbres, ac fulmina oriri natura neget

 poſſe

(1) Euſebius *lib.* IV. *Hiſt. Eccl. cap.* XXVI. *pag.* 188. *edit. Cantabrig.* „ Iiſdem temporibus, *inquit*, „ Melito Sardianus, & Apollinaris Hierapolitanus Epiſcopi ſumma laude viguerunt.

(2) Photius *Biblioth. cod.* XIV. *pag.* 11.

(3) Vide J. L. Moshemii *de hac re Diſſertationem*.

posse. Quod si id quandoque insperato contingat, non est continuo in prodigiis numerandum. Multa extant in Romana historia exempla, quibus ea res omnis demonstrari plane ad veritatem possit.

Non equidem nego vera esse, quæ de impetrata sæpe insperato pluvia opponunt. Igitur non repugno, aliqua ejus rei extare in monumentis historicis exempla. Sed dissimilia sunt. Principio nisi situs, temporis, *circumstantiarum* denique, ut vocant, ratio postulasset, ut hic eventus, de quo nobis est sermo, in prodigiis poneretur, assequi profecto non possem, quo tandem modo factum sit, ut omnes & Christiani, & Ethnici imbuti superstitione Deorum in eamdem sententiam conspirarint, remque ipsam, quod singulari beneficio divinitatis impetrata esset, non solum litteris commendaverint, sed in columnis etiam, ac nummis exprimi curarint. Atque erat Historicis plerisque, Senatui, Imperatori compertum, imbres, etsi præter spem interdum eveniant, tamen natura, non miraculo evenire. Quamobrem si hoc aliorum eventuum simile fuisset, notisque miraculi caruisset, numquam commisissent, ut ab se in miraculis numeraretur. Deinde Christianos, qui veritatis studiosi erant, quis credat, fraudis scelere conjungi cum Ethnicis voluisse, ut sanctæ religionis fines amplificarent, quæ mendacio non egeret? Age vero qui tandem conferri cum eventibus illis hic noster potest, qui non ab illitterata, atque credula plebe, sed ab eruditis viris, qui distinguere fictum a vero prodigio valerent, habitus miraculi loco est? Ac vereor, ne falsum illud etiam sit, quod nonnulli existimant, referri olim semper a populo in prodigia insolitos eventus consuesse. Nam recte est animadversum a Tillotsono (1) illos, qui deorum errore tenerentur, magnam vim fortunæ tribuisse, quo quidem nomine permulti eorum, qui sapientum numero habebantur, providentiam intellexerunt, qua dii rebus humanis prospicerent.

Extremo fere seculo secundo Irenæus Episcopus Lugdunensium sua ætate & mortuis aliquot vitam fuisse restitutam, & dæmoniacos liberatos, & multos auctos donis Prophetiæ, atque visionum (2) scribit. Quamobrem Eusebius (3) Cæsariensis in v. Historiæ

(1) Tillotsonus *serm* xxxvi. *in Eccles.* ix. *v.* 11. *pag.* 436.

(2) *Lib.* II. *cap.* xxxi. *edit. Mon. S. Mauri*, *&* *lib.* v. *cap.* viii.

(3) Eusebius *lib.* v. *Hist. Eccl. cap.* vii. *pag.* 217. *edit. Cantabrig.* Irenæus *in secundo libro*, inquit, *divina, admirandaque virtutis specimina adhuc sua ætate in quibusdam Ecclesiis superfuisse testa-*

storiæ Ecclesiasticæ libro, cum ad hunc Irenæi locum animum advertisset, tum non ab Apostolis tantum affirmavit; sed etiam *sæpe inter fratres a tota simul unius loci Ecclesia jejuniis ac precibus* impetratum fuisse testatur, ut animæ interdum in corpora, quæ deseruerant, redirent. Ac miror, Johannem Clericum (1) hominem de Remonstrantium quidem secta tam fuisse injurium Irenæo, ut eum amplificasse, quæ a Christianis suo tempore agebantur, defenderet. Etenim si scriptorem de rebus sua ætate gestis non oratorum, sed defensorum orthodoxæ religionis more agentem, Polycarpi Johannis Evangelistæ discipuli auditorem, quem Tertullianus (2) exploratorem omnium doctrinarum, Eusebius (3) vero dignissimum fide appellat, in falsi suspicionem vocare fas est, nullus erit deinceps scriptor, cui tuto auctoritas adhiberi possit. Quemadmodum autem Irenæo caussam Orthodoxæ religionis contra hæreticos defendenti ornare uberius licuisset, quæ apud nos geri consuerant? Annon cum Valentinianorum cœtum contemneret, propterea quod cæcos, surdos, claudosque sanare, dæmonas fugare, mortuisque vitam restituere minime valerent, eorum sermonibus exposuisset, si quam ipse diceret, longe minora, quæ in Ecclesia peragebantur, fuissent? Sed est ea novorum hæreticorum contradicendi omnibus, quæ tradita a majoribus nostris fuerint, impudentia, ut plane existimem, eos ne Evangelio quidem crediturs, si pœnam effugere posse sperarent.

Anno 198. perscriptum a Tertulliano Apologeticon fuit (4).

 In

testatur his verbis. Tantum abest, inquit, *ut* (hæretici) *mortuum excitent per orationem, quemadmodum Dominus, & Apostoli fecerunt. Sed & sæpenumero inter fratres tota simul unius loci Ecclesia ob aliquam necessitatem id flagitante cum jejuniis multis, & orationibus, reversa est in corpus anima defuncti, & Sanctorum precibus hominis vita donata est .... Alii dæmones excelluunt certissime, ac verissime, adeout qui ejusmodi malis spiritibus liberati sunt, sæpe fidem amplectantur, & in Ecclesia permaneant. Alii præscientiam futurorum, & visiones sortiti sunt, & propheticas prædictiones. Alii infirmos per impositionem manuum curant, ac pristinæ sanitati restituunt. Sed & mortui aliquoties, ut supra diximus, excitati sunt, & pluribus deinceps annis nobiscum remanserunt. Quid plura? Non potest numerus iniri donorum, quæ per universum orbem Ecclesia a Deo accipiens .... quotidie ad opitulationem gentium operatur; nec fallens quemquam, nec pecuniam corradens. Idem in alio loco ita scribit. Sicut multos ex fratribus audimus in Ecclesia, qui propheticæ dona consecuti sunt, & omni linguarum genere per spiritum loquuntur, & ad hominum utilitatem occulta in lucem proferunt, atque arcana Dei mysteria exponunt. Ex his igitur apparet, multiplicem donorum spiritualium varietatem ad illa usque tempora permansisse.*

(1) *H. E. sec. II. pag. 681. §. x. 326. §. exc. 522. §. viii. 750. §. xii.*

(2) *Lib. contra Valentin. c. v.*

(3) Euseb. *L. v. cap. xx. pag.* 238.

(4) Confer Tertullianum *cap.* xxiii. *Apologetici*, ubi, Edatur hic aliquis, *inquit*, in tribunalibus

» ve-

In hoc similia eorum, quæ narrata ab Irenæo fuerunt, in Ecclesiis Christianorum fieri solere, tradit. Atque eodem spectant, quæ refert in libris *de Corona Militis*, *& ad Scapulam*. Huc autem recidunt, quæ tradita sunt in II. ad Autolycum libro a Theophilo Antiocheno (1) vetere auctore imprimis, & Commodi Imperatoris æquali. Narcissus (2) vero, qui miraculorum dono tempore Antonini Caracallæ illustris fuit, cum in magno paschatis pervigilio oleum Diaconos deficere vidisset, aquam e puteo haustam ellychniis infudit, eamque in oleum convertit. Jam vero Minucius Felix tertii seculi insignis scriptor de ejecto Christianorum precibus dæmone nonnulla (3) dixit in eo libro, quem inscripsit *Octavium*. Eadem fere Origenes (4) in iis libris, quos contra Celsum edidit, testatus est. Post Cyprianus (5) Episcopus Carthaginiensium, qui floruit medio seculo secundo, eos qui vexati, agitatique a dæmone essent, & mysteriis Christianis initiari vellent, ut baptizati erant, mox esse liberatos, scribit. Idem suo tempore & facultate loquendi privatum quemdam fuisse, qui Christum negare non dubitasset, & correptam a dæmone mulierem, quæ nescio quid impii dixisset, affirmavit. Est vero ab Henrico (6) Dodwello recte in Dissertationibus

„ vestris, quem dæmone agi constet. Jussus a quolibet Christiano loqui, spiritus ille tam dæmonem „ confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso „ *pag. 226. edit. Haverc.* & *pag. 232.* „ Atqui „ omnis hæc nostra in illos (dæmones) dominatio & potestas de nominatione Christi valet, & de com„ memoratione eorum, quæ sibi a Deo per arbitrum Christum imminentia expectant. Christum timen„ tes in Deo, & Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei, & Christi &c. „ Vide *lib. ad Scap. c.* IV. & *lib. de Coron. Mil. c.* XI.

(1) *Lib.* II. *ad Autolyc. pag. 87. edit. opp. Just. Mart. an. 1615.*

(2) Vide Eusebium *lib.* VI. *H. E. cap.* IX. *pag.* 260. *& seq. edit. Cantabr.*

(3) *In Octav. pag. 252. edit. ann. 1672.* „ Hæc omnia sciunt plerique vestrum, ipsos dæmones de se„ metipsis confiteri, quoties a nobis & tormentis verborum, & orationis incendiis de corporibus exi„ guntur.

(4) Origenes *lib.* I. *n.* 2. *pag.* 321. *edit. Mon. S. Mauri* „ Miraculorum patrandorum vim, ac po„ testatem penes Christianos esse, cum ex multis aliis, tum inde maxime efficitur, quod eorum adhuc „ supersint vestigia apud eos, qui ad legis Christianæ præcepta vitam suam, moresque exigunt „. Consule notationem Spenceri eodem a Monachis Benedictinis Congregationis S. Mauri translatam. Rursum Origenes *n.* 46. *pag.* 361. Iis utatur, quæ patraverunt Apostoli. Neque enim sine miraculis pro„ digiisque potuissent inducere eos, quibus novam doctrinam, novaque instituta tradebant, ut relictis „ patriis institutis, vel cum summo mortis periculo ipsorum documenta amplexarentur. Quin & „ etiamnum apud Christianos nonnullà supersunt illius Spiritus Sancti, qui columbæ specie apparuit, „ vestigia. Nam dæmonia ejiciunt, morbos curant, & volente Verbo, futura prævident; *& lib.* II. *n.* VII. *pag.* 392. „ Non amplius Judæis Prophetæ, non miracula; cum contra apud Christianos etiam„ num miraculorum aliquantum supersint vestigia, immo majora, quam apud illos fuere, aliquando „ fiant, & .... hac in re quid ponderis habes nostrum testimonium nos ipsi vidimus.

(5) *Epist.* LXIX. *pag.* 187. *edit. Bremensis* „ Quod hodie etiam geritur, ut per exorcistas voce huma„ na, & potestate divina flagelletur, & notetur, & torqueatur diabolus &c. „ Vide etiam *Tractatum de Lapsis pag.* 132. De dæmonibus silere coactis vide *Acta S. Saturnini Episc. Tolos. apud. Ruinart. pag.* 109. (6) *Dissert.* II. *in Iren. n.* IX. *& seqq.*

nibus ad Irenæum animadversum, in primitiva Ecclesia, cum baptismus conferretur, Spiritum Sanctum interdum signis, quæ sub aspectum caderent, in baptizatum descendere consuesse. Atque eadem, qua Cyprianus vixit, ætate Gregorius Neocæsariensis (1) Episcopus tam illustris eo in genere fuit, ut Thaumaturgus (2) merito deinceps appellatus sit. Ergo & fluminum cursus aliorsum convertit, & paludem exsiccavit, & futura prævidit. Quare cum Neocæsareæ decem tantum ac septem Christianos reperisset, sanctitate vitæ, ac miraculis impetravit, ut civitatem fere omnem ad Christiana sacra conversam cerneret.

Atque tanta seculo III. fuit nostrorum adversus dæmonas potestas, ut Valerianus Imperator (3), qui initio non mediocri benevolentia Christianos complectebatur, dolis Macriani magistri magorum Ægyptiorum circumventus, qui impediri artes suas ab eis diceret, sævire acriter in sanctos viros decreverit. Erant enim tunc temporis, fueruntque deinde plerique nostrorum, qui præsentia, aspectuque suo dæmonum præstigias disturbarent. Jam vero circa CCLXI. annum æræ Christianæ cum Cæsareæ Philippi, quam Pineadæ Phænices nominabant, in fontes, e quibus Jordanes fluvius manat, victimam festo die Ethnici coniicerent, quæ dæmonis opera nusquam deinde compareret; Asturius (4), qui his ceremoniis forte fortuna interesat, ægreque ferebat, tanto in errore populum versari, Deum obtestatus, ut inimicum generis humani coerceret, cogeretque maleficio abstinere, facile impetravit, ut victima supernataret fontibus, utque post illud tempus nihil simile iis in locis eveniret. Arnobius (5) Afer Diocletiani Imperatoris ætate vixit, librosque illos, qui sunt *contra gentes*, quum maxime Christiani vexarentur, publicavit. Is *dæmones ad Christi pavere mentionem dixit, qui justissimis viris etiam* tum, cum Arnobius idem viveret, *non per vana insomnia, sed*

(1) Consule Basilium Magnum *lib. de Spirit. Sancto cap.* XXIX. *pag.* 62. *Tom.* III. *opp. edit. Monach. S. Mauri*, ubi „ Tantam, *inquit*, sermonis gratiam Gregorius inter gentes accepit, ut cum septen„ decim tantum Christianos in urbe invenisset, totum populum conciliavit Deo. Ille & fluminum cur„ sus in diversum vertit, præcipiens illis in magno nomine Christi: & paludem exsiccavit. Prædi„ ctiones autem futurorum tales, ut nihilo sit inferior ceteris Prophetis „. Accessit autem Thaumaturgi vocabulum Gregorio non ante sextum seculum.

(2) Basilius quidem Magnus *epist.* CCVII. *al.* LXIII. *ad Neocæs.* θαυματουργὸν, *mirabilem* vocat, θαυματουργὸν numquam. Seculo VI. atque insequentibus fuerunt Facundus, Evagrius, Theodorus Lector, Leontius Byzantinus, aliique innumeri, qui eum *Thaumaturgum* dicerent.

(3) Vide Eusebium *lib.* VII. *H. E. cap.* X. *pag.* 333. *edit. Cantabrig.*

(4) Confer eumdem Euseb. *lib. eod. cap.* XVI. *& seq. pag.* 342.

(5) *Lib.* I. *Advers. Gentes pag.* 14. *&* 27.

sed per puræ speciem simplicitatis appareret, cujus nomen auditum noxios spiritus fugaret, vatibus silentium imponeret, & magorum actiones inanes redderet. Negare hæc (1) Ethnici non poterant. Sed ne Christo assentirentur, id esse in caussa dicebant, quod non potestate nominis Jesu, sed horrore quodam impietatis Christianorum fieri putarent, ut dii sacra loca desererent. At erat Patribus ratio in promtu, qua idolorum cultores deceptos esse, demonstrarent. Namque diabolus fugabatur, confessus plerumque talem se (2) esse, qualem Christiani prædicabant. Deinde ubi orare Christiani, adjurareque (3) incipiebant, continuo parebat, atque hoc modo non horrere superstitionem se, sed vereri ostendebat Christi Servatoris admirabilem potestatem. Ac Lactantius (4) a magistro Arnobio non dissentiens eadem fere suo tempore, (vixit autem cum Constantino Imperatore) patrari a nostris adversus dæmonas consuesse, tradidit.

Est vero illud singulare, quod scriptum apud Eusebium (5) est doctum hominem, & diligentem, & æqualem temporum illorum. Namque a Constantino magno, cum is bellum contra Maxentium pararet, crucem in aere, litterasque fuisse inspectas tradit, quæ significarent, esse illi ejusmodi signo vincendum. Imperatorem, qui secum,

(1) Idem ibid. „ Arrogantium Magorum frustrari efficit actiones, non horrore, ut dicitis, nominis, „ sed majoris licentia potestatis.

(2) Tertullianus *lib. Apolog. cap.* XXIII. *pag.* 226. *edit. Haverc.* „ Jussus, *inquit*, a quolibet „ Christiano loqui, spiritus ille tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. „ Æque producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando curvantur, qui anhelando profantur .... nisi se dæmones confessi fuerint, „ Christiano mentiri non audentes, ibidem Christiani illius procacissimi sanguinem fundite. Quid illo „ opere manifestius? Quid hac probatione fidelius?

(3) Consule Arnob. ibid. & loca Justini, Irenæi &c. quæ supra indicavi. Confer etiam Tertull. *ibid.* „ *p.* 232. Atqui, *inquit*, omnis hæc nostra in illos (dæmones) dominatio, & potestas de nominatione Christi „ valet, & de commemoratione eorum, quæ sibi ab eo per arbitrum Christum imminentia expectant. „ Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei, & Christi. Ita de contactu, deque afflatu nostro, contemplatione, & repræsentatione Ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti, & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes. Credite „ illis cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis.

(4) Lactant. *lib.* II. *Divin. Instit. cap.* XV. „ Justos, id est cultores Dei (mali spiritus) metuunt, „ cujus nomine adjurati de corporibus excedunt, quorum verbis tamquam flagris verberati, non „ modo dæmones se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt, illa, quæ in templis adorantur, & „ quod plerumque coram cultoribus suis faciunt, non utique in opprobrium religionis, sed honoris „ sui, quia nec Deo per quem adjurantur; nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. „ Itaque maximis sæpe ululatibus editis, verberari se, & ardere, & jam jamque exire proclamant. „ Tantum habet Dei cognitio, ac justitia potestatis „. Confer *& lib.* IV. *cap.* XXVII. quo loco dicit, a sectatoribus Christi „ spiritus inquinatos de hominibus, & de nomine magistri sui, & signo passionis excludi. Adeundus Lucius Cæcilius *Tract. de Mort. Persec. n.* X. *&* XI.

(5) Confer Euseb. *lib.* I. *de Vita Constantini cap.* XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. *pag.* 114. *& seqq.*

fecum, quid hoc rei esset, cogitaret, neque cognoscere tamen posset, ubi nox supervenit, visum sibi dormienti esse videre in somniis Christum, qui crucem, qualis ea erat, quæ ostensa in cælo fuerat, monstraret, juberetque, ut ejus simile signum militare faceret, eoque in præliis ut præsidio uteretur. Igitur ab Imperatore, qui cum lucere cœpisset, surrexerat, fuisse principio rem omnem amicis explicatam, deindeque, quod tum plane confideret fore, ut hostem vinceret, curatum, ut artifices ad se venirent, exque auro labarum, ad ejus crucis similitudinem, efficerent, gemmisque ornarent. Hoc signo Constantinum, cum alpes (1) superasset, atque in Italiam venisset, ac prælio cum Maxentio certasset, hostium exercitum fudisse, extinctoque Tyranno, Romam esse triumphantem (2) ingressum. Non sum nescius de tempore, ac loco, quibus hoc genus ostenti visum est, magnam esse inter hujusce ætatis scriptores dissensionem. Sed sive (3) anno 311. sive 312. evenerit, modo verum illud sit, nihil moror. Atque tametsi viros doctissimos

(1) Namque hoc modo rem narrat Eusebius. Principio in Christiana sacra propensum fuisse Constantinum, quod infelicem exitum cognosset superiorum Imperatorum, *cap.* XXVII. Itaque cum opem Dei implorasset, visum ab eo signum in cælo fuisse; *cap.* XXVIII. Quod cum quorsum spectaret, non omnino ille comprehenderet, Christum ei sese visendum secundum quietem exhibuisse, & labarum formari præcepisse, *cap.* XXIX. Quamobrem accitos a Constantino artifices fuisse, qui labarum, ita ut ipse descripserat, formarunt, *cap.* XXX. *Inde tropæo victoriæ, salutari* scilicet *eo signo ante milites statuto, cum omni exercitu progressum esse Imperatorem, eo consilio, ut Romanis libertatem, quam a majoribus suis acceperant, interventu suo restitueret*. Antequam igitur progressus cum exercitu fuisset, labarum construxerat. Progressus autem e Galliis fuit; labarum igitur construxit in Galliis. Sed labarum ob crucem visam fecit. Crux igitur in Galliis apparuit, si fidea est Eusebio adjungenda. Est autem adjungenda, ut qui a Constantino acceperit, ut paullo post videbimus. Mox addit Eusebius: *Divino fretus auxilio Imperator, primam, secundam, ac tertiam Tyranni aggressus aciem, cunctis primo statim impetu fusis, ac fugatis* πόλεσιν ἐπὶ πλεῖστον ὅσον τῆς Ἰταλῶν χώρας, *universam pene Italorum peragrat regionem*. Quare labaro cum ἐπὶ πλεῖστον ὅσον τῆς Ἰταλῶν χώρας peragravit Constantinus, argumento est, statuto ante milites signo ad Alpes iter direxisse, & Segusio expugnato, quod oppidum sub Alpium jugis munitissimum muro erat, hostibusque ad Taurinum, & Veronam fusis, ut ostendunt e Nazario Bollandiani *T.* V. *Mensis Maji p.* 18. penetrasse eum in mediam Italiam, & magnam ejus partem peragrasse, tandemque Romam pervenisse, adeoque crucem in Italia non vidisse. Cumque in Galliis, antequam in Italiam venisset Maxentium expugnatum, versatus sit, oportet, ut labaro nius alpes superarit. Sed de hac re agam item aliquanto post diligenter.

(2) Ita legitur in inscriptione arcus triumphalis, qui Romæ in capite viæ Appiæ cernitur, positusque Constantini decennalibus fuit, ut recte est a Norisio animadversum, tametsi contineat etiam vota vicennalia, ut Pagius ostendit *ad an.* CCCXII. *num.* IX. Eusebius *lib.* I. *de vita Constantini cap.* XL. *pag.* 541. „ Clara voce, ac titulorum inscriptionibus salutare signum cunctis hominibus annunciavit: „ Hoc tropæo, *inquit*, in medio Urbis adversus hostes erecto, atque hoc salutari signo .... litterarum „ notis numquam interiturs inciso. Statim ergo sublimem hastam in modum crucis sub manum sta„ tuæ suæ in celeberrimo Urbis loco poni jussit, & hujusmodi inscriptionem latino sermone subjici. *Hoc salutari signo, quod vera virtutis argumentum est, vestram urbem tyrannicæ dominationis jugo liberatam servavi. Senatui Populoque Romano in libertatem asserto pristinum decus nobilitatis, splendoremque restitui*.

(3) Equidem censeo, Constantinum crucem in cælo an. CCCXI. vidisse, quod bellum contra Maxentium eodem anno incœperit, ut est a Pagio *ad an.* 312. *n.* III. *demonstratum*.

mos auctores sequutus, visum illud esse in Galliis arbitror, tamen numquam committam, ut iis irascar, qui secus esse statuendum (1) putant. Sed ferre illorum impudentiam non possum, qui rem testatam, ac vetustate robustam calumniando pervertere conantur. Intelligo autem Jacobum Oiselium (2), Jacobum Tollium, (3) aliosque nonnullos fuisse, qui esse id totum in fraudibus ponendum existimarent. His namque si assentiamur, & non Eusebium solum, jurantemque Imperatorem (4), sed Ethnicos etiam scriptores in eam sententiam conspirasse, demus, ut generi hominum imponendum

(1) In Galliis visam crucem Constantino fuisse, ostensum a me paullo ante est satis, ut arbitror, luculenter. Atque mihi sane in hac ipsa re magni viri, Baronius *ad an. 312. n. xxx. & seqq. edit. an. 1594.* Dan. Papebrochius *T. v. Mensis Maji pag. 18. n. 24.* Tillemontius *Tom. vi. Hist. Imperat. p. 573. & seq.* praiverunt. Quo autem in Galliæ oppido, locove viderit Constantinus crucem, non constat. Itaque nihil efficit Johannes Franciscus Chifletius Vesontionensis S. J. alumnus vir alioqui eruditissimus, qui ut civibus suis rem gratam faceret, forte ad Vesontinam civitatem visum illud oblatum fuisse Constantino putat: *Dissert. de loco, tempore &c. Conversionis Constant. Magni edit. Paris. an. 1679.* Quare suam ne socio quidem Papebrochio probare sententiam potuit. *Act. SS. Mensis Maji. T. v. p. 19. & seq.* Scio post repertum Lucii Cæcilii *de Mortibus Persec.* librum existimatum fuisse a Baluzio primum *in notis pag. 451. & seq. Miscellaneor. lib. ii. edit. an. 1679.* tum a Pagio *ad an. 312. n. v.* atque a Johanne Alberto Fabricio *l. v. Biblioth. Græca cap. iii. T. vi. pag. 15. & seq.* apparuisse crucem Imperatori, quum Romam obsideret. Atqui apud Cæcilium, cujus solo testimonio totu hæc est fulta sententia, de signo Crucis in cælo viso, ne vestigium quidem invenire licet. Nam *p. 37. Tom. eod. Miscellan. Baluzii* sic habet Cæcilius „ Copias ad Urbem propius admovit (Constantinus) „ & e Regione Pontis Milvii consedit ..... Commonitus est in quiete, ut cæleste signum Dei notaret in „ scutis, atque ita prælium committeret. Fecit, ut jussus est &c. „ At longe discrepans est, quod ab Eusebio narrati diximus. Quod si triplex visum, unum vigilanti, alterum dormienti in Gallia, tertium in Italia oblatum Constantino est, nihil impedio, facileque patiar, ut vera hæc sit, quæ Ballariniis fratribus eruditissimis viris placuit sententia, *Tom. iv. opp. Noris pag. 662. & seq. edit. Veron.* Verum negari non potest, quin ea, quæ refert Eusebius in Gallia, eodem auctore contigerint. Eusebio autem negare fidem velle, qui audivit a Constantino, hominum est qui se non veritatis amore, sed præjudicata opinione duci sinant. Accedit Nazarium in Panegyrico testari, ubi de bello adversus Maxentium agit „ In ore esse omnium Galliarum, exercitus visos, qui se divinitus missos præseferebant: „ quamvis cælestia sub oculos hominum venire non soleant, quod crassam, & caligantem aciem simplex, „ & inconcreta substantia naturæ tenuis eludat, illos tamen auxiliatores (Constantini) aspici, auditique patientes, ubi meritum ejus testificati sunt, mortalis visus contagium refugisse. Sed quamnam „ illam fuisse speciem ...? Flagrasse verendum nescio quid umbones coruscos, & cælestium armorum „ lucem terribilem arsisse &c. „ *pag. 261. edit. collect. Panegyr. an. 1679.* At si Romæ res evenit, cur ea erat in Gallorum sermone? Nam de viso illo cælesti, ut satis patet, Nazarius loquitur. Fit ergo, ut in Galliis apparuerit, non in Italia crux Constantino. Quare adposite ad rem nostram Prudentius *libro ii. contra Symmachum canit*:

„ Hoc signo invictus transmissis alpibus ultor,
„ Servitium solvit miserabile Constantinus.

Quodsi eo signo alpes Constantinus superavit, quod, ut Eusebii testimonio constitit, propter visam in cælo Crucem formari jussit, sequitur, ut crucem viderit, antequam ad alpes accessisset.

(2) *Thesauro Numismatum Antiq. pag. 463.*

(3) In notis *ad Lactant. p. 735. edit. novæ an. 1748. T. i. opp. Lact.* His accedit Hoornbeckius Professor Leydensis *Exam. Bull. Urb. VIII. de cultu Imaginum an. 1653. p. 181. seq.* quem merito Eminentissimus, eruditissimusque vir Henricus Cardinalis Norisius, & post hunc clarissimi viri Ballarinii fratres oppugnarunt *Append. Hist. Donatistarum pag. 662. T. iv. opp. Norisii.*

(4) Eusebius *lib. 1. Vitæ Constant. cap. xxviii. pag. 625. edit. Cantabr.* „ Verum, *inquit*, cum „ ipse

dum cenſerent eſſe, nihil erit tam certum in hiſtoria, nihilque veterum teſtimoniis tam munitum, quod non expugnari negandi licentia, ac temeritate poſſit. Neque probo, quod Johanni Alberto Fabricio (1) in mentem venit; non prodigio ſcilicet; ſed naturæ vi contigiſſe, ut crucis ſignum a Conſtantino in aere videretur. Diſſimilia namque ſunt, quæ ille de halonibus ſolaribus, & pareheliis turbat. Quare abduci me numquam patiar, ut rear, eveniſſe natura, ut crux appareret, ut litteræ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ adjungerentur, quibus nihil cogitari aptius ad crucis virtutem indicandam poſſet, utque ſecundum quietem viſus eſſet Imperatori Chriſtus, qui labarum fieri juberet. Hæc enim omnia, ſi vi naturæ contingere valerent, non equidem repugnarem iis, qui jactis aliquot characterum formis, exſiſtere inde verſum poſſe defenderent, qui non aliud quidpiam, ſed quod volumus, omnino ſignificaret.

Viguit deinceps in Eccleſia donum miraculorum, dumque ea conſiſtet, quamvis contra (2) pugnent hujuſce ætatis hæretici, vigebit.

„ Ipſe victor Auguſtus nobis, qui hanc Hiſtoriam ſcribimus, longo poſt temporis intervallo, cum videlicet in ejus notitiam, & familiaritatem venimus, id retulerit, & ſermonem ſacramenti religione firmaverit &c. „ Atque incredibile eſt, Conſtantinum inſcriptionem poni Romæ voluiſſe, quæ ſic haberet, ut ſupra retulimus, ſi conſcius ſibi fuiſſet, ſe falſa dicere. Quinetiam expoſuiſſet deriſioni militum, qui præſto adfuerunt, ſe, ſi ea prædicari audiſſent, quæ nuſquam contigerant. Afferri etiam ad rem eandem conſtituendam poſſet ex *Actis Martyris Artemii* locus, qui eodem pertinet, productuſque item a Baronio ad *an.* cccxii. *n.* xxi. fuit, ſi ipſa Acta mihi ſuſpecta non eſſent falſitatis. Similia horum ſunt, quæ cerni poſſunt apud *Bollandianos in Actis Apocryph. S. Quirici T.* i. *M. Maji pag.* 445. *& in Act. S. Sylveſtri T.* v. *Maji pag.* 19. Interea Conſule Philoſtorgium *lib.* 1. *cap.* vi. Socratem *lib.* 1. *cap.* 1I. Nicephorum *lib.* vii. *cap.* xxix. Gelaſium Cyzicenum *Hiſt. Conc. Nicæni lib.* 1. *cap.* iv. Photium *cod.* cclx. Auctorem Chronici Paſchalis *pag.* 280. *edit. Pariſ. in collect. Byzant. Scriptor.* Auctorem Anonymum *Hiſt. Concilii Nicæni editum a Combefiſio Hiſt. Monoth. pag.* 576. Michaelem Glycam *par.* iv. *Annalium pag.*248. qui aliquanto interdum ab Euſebio diſcrepant. Sed ei ego credendum magis puto, qui rem omnem, ut evenit, intellexit ex Conſtantino. Huc etiam ſpectant figuræ, quas exhibet Publius Optatianus Porphyrius æqualis temporum Conſtantini *in Panegyr. Tab.* ix. *&* xvi. *in calce opp. Velſeri edit. an.* 1682. Claudius Molinetus Canonicus Regularis Congregationis Gallicanæ *Ephemeridibus Pariſienſibus an.* 1681. *Ephem.* xi. inſeri curavit Diſſertationem *de veritate Crucis a Conſtantino viſa confirmata ex antiquis nummis*. Eorum numiſmatum ſimilia protulit nonnulla Baronius *ad an.* 312. *num.* 23. Conſule etiam J. Lipſium *de Cruce lib.* 1I. *cap.* xv. Antonium Auguſtinum *dialogo* 1. *de Uſu Numiſmatum pag.* 8. *edit. an.* 1617. Cangium *de inferioris ævi numiſmatis* §. xxxv. *& in famil. Byzantinis Tab.* ix. Dorotheum *Pentadec. diſſert. pag.* 261. *& ſeq.* & Anſelmum Bandurium *Tom.* 1I. *num. Imperatorum pag.* 213. *Tab.* 1I1. *& ſeqq.*

(1) Johannes Albertus Fabricius *T.* vi. *Biblioth. Græcæ lib.* v. *cap.* 1I1. *pag.* 18. *& ſeqq.* Kettnerus *Diſſert. de Reliquiis Miraculorum, & Viſionum poſt Apoſtolorum tempora pag.* 227. *Miſcell. Lipſ. Tom.* viii.

(2) Hoc hæretici agunt, ut (cum nulla apud eos dentur) nulla dari in Eccleſia jam uſque a quarto fere ſeculo prodigia oſtendant. Sed rationes, quas adducunt, nullius momenti ſunt. Principio quod Scriptoribus ſecundi, tertii, quartique ſeculi fidem adhibeant, oculatis vero poſterorum temporum teſtibus, viris graviſſimis, & doctrina præſtantibus, non adhibeant, id quemadmodum fieri ſine incredibili audacia, & temeritate poſſit, non video. Secundo, quod ajunt, non eſſe miracula neceſſaria, propterea quod propagata religio ſit, falſum eſt. Nam ſunt hoc etiam tempore plerique incre-

gebit. Atque hæc de miraculis patratis a morte (1) Apoſtolorum ad Conſtantini magni tempora dicta ſunto. Illud autem tacitus præterire non poſſum, quod ſæpe Martyribus accidere perſequutionum tempore ſolebat. Nam aliqui, plagis (2) acceptis, virtute divina continuo ſanabantur; alii etſi laniari a beſtiis (3) optabant, tamen eas manſueſcere videbant, quin tunc conſequi, quam deſiderarent, martyrii gloriam poſſent; nonnulli etſi illis abſciſſa eſſet a carnifice lingua (4), tamen loqui, & confiteri Chriſtum valebant.

§. II.

increduli, Deiſtæ, Idololatræ, Judæi, Muhamedani, Hæretici. Quid ergo impedit, quo minus ad eos convertendos prodigia Deus patret? An alıquam eſt ſcriptum in ſacris litteris produci ad IV. ſeculum, paulloque longius virtutem miraculorum, tum vero extingui oportere? Quod ſi nuſquam ſcriptum id eſt, cur demum ceſſare prodigia debent, cum Eccleſia maneat, qua cum ſe Chriſtus ad conſummationem uſque ſeculi futurum prædixit? Sed rem ab aliis diſputatam non eſt, cur multis hoc loco eſſe confirmandam cenſeam. Illud dico, non probari mihi, quod ob unam Evangelii propagationem dari miracula debuiſſe, pugnant. Nam quum ii, qui in cœnaculo agebant, cum ſuſcitatus adoleſcens a Paulo fuit, omnes eſſent Chriſtiani, neque prodigio, ut in fide confirmarentur, egerent, tamen patratum prodigium eſt. Quid ergo obſtat, quin hoc tempore, quo multi credunt, Deus, ut ſuos conſoletur, miracula faciat? Quod ſi dixerint, factum Pauli prece prodigium, quo increduli, qui non aderant, id tandem noſſent, & converterentur, ſciant dici hoc item poſſe de hac ætate, qua plures increduli ſuperſunt. Ceterum nullum ſeculum fuit, ut ex hiſtoria Eccleſiaſtica conſtat, quo in Eccleſia prodigia omnino ceſſarint, quidquid contra hæretici jactitent. Vide Ruinartium *Act. Sincer. SS. MM. pag.* 124. *in not. edit. Veron. n.* 40. *in Act. SS. Pionii*.

(1) Poſt mortem item Apoſtolorum, eo ſpatio temporis, quod a Nerone ad Nervam excurrit, hæc contigerunt. Johannes, ut equidem exiſtimo, Apoſtolus Epheſi mortuum ſuſcitavit, velut Apollonius apud Euſebium *l.* V. *c.* XVIII. tradit. Chriſtiani, qui ex oppido Pella Hieroſolyma redierunt, illuſtres fuerunt dono miraculorum, ut auctor eſt Epiphanius *de Ponderibus, & Menſuris num.* XV. qui accepit, ſi conjectura Dodwelli *Diſſert.* II. *in Iren. n.* XXIX. *pag.* 142. uti velimus, ex Ariſtone Pellæo. Eodem, atque inſequenti intervallo temporis conceſſum aliquibus, ſaltem Martyribus, fuiſſe, ut ne lædi a feris poſſent, indicat S. Martyr Ignatius *in epiſt. ad Romanos n.* V. *pag.* 867. *Tom.* I. *PP. Apoſtol. edit. an.* 1672. „ Sortiar, *inquit*, beſtiis mihi eſſe paratis; & oro promtas mihi inveniri, qui„ bus & blandiar eito me devorare, *non quemadmodum quoſdam timentes non tetigerunt*. Οὐχ „ ὥσπερ τινῶν δειλαινόμεναι οὐχ ἥψαντο. Ad Hadriani, & Antonini Pii tempora miracula apud Hieroſolymitas Chriſtianos obtinuiſſe, oſtendit Dodwellus *l. c. pag.* 145. *& ſeq.* De Polycarpo, num ſub Pio, an ſub Marco paſſus Martyrium ſit, ſunt qui dubitent. Utut ſit, hoc certum eſt, multa in ejus martyrio prodigia contigiſſe, ut ex Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ, quam ſupra laudavi, plane colligitur. Similia fere in Actis Sanctorum Martyrum, qui ſub M. Aurelio, ſub Severo, aliiſque tyrannis paſſi ſunt, leguntur. De prodigiis per *ſignum Crucis* a Deo patratis agam eo loco, ubi de primordiis ejus ritus diſſeram. Ego vero, quæ ad Conſtantini ætatem miracula contigerunt, litterarumque monumentis mandata reperi, collegi, ac cetera, quæ poſt evenerunt, omiſi, quod ita inſtituti ratio poſceret.

(2) Vide Acta Sanctorum MM. Probi, Tarachi, & Andronici apud Ruinartium *Act. MM. Select. pag.* 383. *edit. Veron.* Alia quoque prodigia a Sanctis MM. patrata ſunt. Vide *Act. Sanctor. Martyr. Lugdunenſium, qua Ruinartius ex hiſtoria Euſebii in ſuam Collectionem tranſtulit num.* X. *pag.* 56. *edit. Veron.* quo loco narratur, eos cum cruciati fuiſſent, odorem emiſiſſe, ita ut nonnulli *terreno eos unguento delibutos putarent*. Et Acta SS. MM. Palæſtinæ *pag.* 288. *ejuſd. edit.* Acta S. Saturnini Epiſc. Toloſ. apud eumdem *pag.* 109. *&c.* Acta SS. Epipodii, & Alexandri apud eumdem *pag.* 67.

(3) Vide locum ſupra citatum ex epiſtola S. Ignatii ad Romanos; & Acta SS. Montani, Lucii &c. apud Ruinartium *pag.* 201. *edit. ejuſd.* Conſule *Acta SS. MM. Tarachi, Probi, & Andronici p.* 392. *apud eumdem*, & Euſebium *lib.* VIII. *Hiſt. Eccl. cap.* VII. *pag.* 384. *edit. Cantabrig.*

(4) De *Elinguatis* Trinitatem confeſſis egit ſingulari *Diſſert. Schmidius*.

§. II.

De visionibus, quibus primis Ecclesiæ seculis, post mortem Petri, & Pauli Apostolorum, frui majoribus nostris licuit.

VEnio ad visa, quæ græci ὁράματα, & θεάματα vocant. Petro, & Paulo martyrio perfunctis, Johannes Evangelistes, cum Romam, si modo est Tertulliano (1) credendum, venisset, & singulari prodigio illæsus e dolio olei ferventis pleno, in quod eum immitti Domitianus præceperat, evasisset, in Patmon Insulam venit, ibique ea omnia divinitus cognovit, quæ Apocalypseos libro complexus est. Eodem fere tempore (2) Hermas multa sibi fuisse manifestata dixit in eo libro, quem inscripsit *Pastorem*. At vereor, ne ille, non quæ viderit revera, sed quæ aut videre sibi visus sit, aut quæ censuerit, quasi visa essent, scribi, quo lectores alliceret, oportere, monumentis mandaverit litterarum. Apud Eusebium scriptum in Historia est, Christianos, qui Hierosolymis versarentur, propterea quod excidium civitatis immineret, monitos oraculo divino fuisse, ut urbe excederent, Pellamque (3) peterent.

Mitto, quæ de viso Carpo oblato agit is, qui Dionysio Areopagitæ varia opuscula (4) tribuit, quæ ipse numquam conscripserit, immo vero ne cogitarit quidem. Ignatium autem martyrem Angelos vidisse, qui alternis hymnis Trinitatem concelebrarent, auctor est in VI. libro Historiæ Socrates (5). Sed metuo, ne is Historicus lapsus sit. Nam manifestata quædam sibi divinitus fuisse, testatur

(1) *Tertull. de Præscrip. cap.* XXXVI. Sunt, qui hoc in fabulis numerent. Ex illis Christophorus Augustinus Heumannus *Refutationem fabulæ de Johanne Apostolo in fervens oleum conjecto* scripsit, inserique curavit *Tom.* III. *Fascic.* II. *Biblioth. Bremensis*. Ei Epistolis duabus respondit Joh. Laurentius Moshemius, ostenditque, non esse in fabulas tam facile referenda, quæ majores nostri tradiderint, nisi gravissimis argumentis agatur. Tertullianum & veterem scriptorem esse, & a fide dignis forte accepisse, quæ scripserit: *pag.* 505. *Varior. Opusc. edit. an.* 1731.

(2) Consule quæ in *Præfat. ad* Pastoris librum, inque notis ad eumdem observat Joh. Baptista Cotelerius *Tom.* I. *PP. Apostolicorum*. Viderunt autem veteres multa eo libro contineri, quæ minus accurate dicta esse videantur. Itaque etsi fuerunt, qui plurimi *Pastorem* facerent, non deerant tamen, qui esse in dubium ejus auctoritatem revocandam arbitrarentur. Consule Eusebium *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* III. *pag.* 90. & notationes virorum doctorum in eumdem Eusebii locum.

(3) Adeundus Eusebius *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* V. Extat Dissertatio Bajeri *de migratione Christianorum in oppidum Pellam*.

(4) *Epist.* VIII. ex iis quæ Areopagitæ Dionysio tribuuntur *pag.* 117. *Tom.* II. *edit. an.* 1634.

(5) *Cap.* VII. *pag.* 313. *edit. an.* 1668.

Ignatius in ea, quæ est (1) ad *Philadelphenos* Epistola; hoc vero, quod est de alternis hymnis, neque ipse usquam affirmavit, neque Socrate antiquiores historici tradiderunt. Est autem apud Eusebium in Historia (2), in somniis doctum Polycarpum ea fuisse, quæ perpeti deberet. Atque hoc totum ex Epistola Smyrnensium, qui Ecclesias de morte Polycarpi certiores fecerunt, mutuatus est Eusebius. Quinetiam cælesti quadam voce additum robur ad perferenda supplicia sanctissimo viro fuisse, testata res est. Rursum idem ipse Episcopus Cæsariensis Eusebius in v. historiæ libro scribit (3) hoc modo: Hu-
„ jusmodi spiritu nullum umquam nec in Veteri, nec in Novo Te-
„ stamento Prophetam afflatum potuerunt hæretici demonstrare:
„ non Agabum,... nec Ammiam Philadelphiensem, nec Quadratum,
„ nec plures quoque alios, qui nihil ad ipsos pertinent, prædicabunt.
Similia (4) sunt, quæ complexus Justinus est in Dialogo cum Tryphone „ Apud nos hucusque etiam Prophetica extant dona, unde
„ & vos intelligere debetis, quæ olim in genere vestro fuere, ea
„ esse in nos translata. Quibus respondent, quæ Eusebius persequutus est *lib. v. Historiæ* (5) „ Alii inquit, præscientiam futurorum,
„ & visiones sortiti sunt, & Propheticas prædictones. Polycrates præterea Ephesiorum Episcopus laudat (6) Melitonem Sarden-
„ sem, quod cuncta Spiritus Sancti afflatu gesserit. Eadem fere ætate Irenæus „ negavit (7) numerum iniri posse donorum, quæ
„ suo tempore in Ecclesia floruerunt. Ac ne quis putet, ipsum hyperbolice, vel aliena fide loqui: addidit „ ea se propriis au-
„ ribus hausisse „. Sed hujus generis esse visiones illæ ineptæ, plenæque deliriorum non poterant, quibus Montanistæ delectabantur.

Ferri

(1) *Epistola ad Philadelphenos pag 871. & seq. Tom. II. Apostol. PP. editionis Cotelerii an. 1672.* „ Quidam autem suspicati sunt, *inquit*, me, ut præscientem divisionem quorumdam, dice-
„ re hæc. Testis autem mihi, in quo vinctus sum, quia a carne humana non cognovi. Spiritus autem
„ prædicavit dicens hæc, sine Episcopo nihil faciatis.

(2) Eusebius *lib. IV. cap. XV. pag. 165. edit. Cantabrig.* „ Triduo antequam Polycarpus compre-
„ henderetur, noctu inter orandum solutus in somnum, videre sibi visus est cervical, quo caput re-
„ clinabat, totum repente flamma consumptum: quam ob caussam e somno excitatus statim visum suum
„ adstantibus exposuit, idque, quod sibi eventurum erat, prænuncians, familiaribus suis aperte præ-
„ dixit, se pro Christo flammis absumtum iri „. Rursum est in epistola Smyrnesium de Polycarpi Martyrio, apud Eusebium loco nox indicato, auditam vocem a Sancto Martyre fuisse, cum proximus morti esset, quæ diceret: Ἴσχυε καὶ ἀνδρίζου Πολύκαρπε. *fortis esto, & viriliter age, Polycarpe.*

(3) *Euseb. lib. v. cap. XVII. lib. v cap. VII.*

(4) *Just. Dialog. cum Tryphone pag. 308 edit. Paris. an. 1615.*

(5) Irenæus apud Euseb. *lib. v. Hist. Eccl. cap. VII.*

(6) Polycrates apud Eusebium *lib. v. Hist. Eccl. cap XXIV. pag. 244. edit. Cantabr.*

(7) Irenæus apud Eusebium *lib. v. c. VII. H. E.*

Ferri autem illorum impotens ingenium, atque temeritas non potest, qui, ob visa, sanctas Perpetuam, & Felicitatem in Montanistis numeraverunt. Atque in eodem errore versatus est (1) Samuel Basnagius homo de secta Calvinianorum, quem merito multis exagitavit Josephus Augustinus Orsius vir Clarissimus, edita singulari de recta SS. Perpetuæ, ac Felicitatis, sociorumque fide Dissertatione, quam Eminentissimo Viro Cardinali Lambertino, nunc BENEDICTO XIV. P. M., dedicavit (2).

Basnagii namque hæc fuit ratio: delectari Perpetuam visis consuesse. Fuisse id proprium eo tempore Montanistarum. Quare Montanismo Perpetuam studuisse. Ad hæc Tertulliani auctoritatem accedere. Eum, qui a Cataphrygibus staret (nam erat hoc alterum nomen Montanistarum) celebraturum numquam fuisse Martyrem, quæ a superstitione Montani aliena fuisset. Laudari autem Perpetuam a Tertulliano.

Contra Orsius, eos qui Montanismo studerent, non ita fuisse nostrorum inimicos, respondit, ut numquam hos esse honoris caussa nominandos arbitrarentur. Fuisse Cataphrygas ita institutos, uti se ab Orthodoxis non dogmate, sed disciplina diffidere (3), defenderent. Igitur mirabile non videri, si alieni a celebrandis nostris non fuerint, qui præsertim Martyrii gloriam consequuti fuissent. Hoc præterea certum esse, Catholicos, qui Montanistas in hæreticis ponerent, horum fanaticorum non solum pro (4) martyre habuisse, sed etiam laudare umquam voluisse neminem. Atqui a (5) Pontio

(1) Basnagius *ad an.* 203. *num.* v. *pag.* 224. *& seqq.*

(2) *Dissert. Apologet. pro SS. Perpet. & Felicit. edit. Florentiæ an.* 1728.

(3) Vide initium libri *de Velandis Virginibus*, ubi hæc habet Tertullianus „ Regula quidem fidei „ una omnino est, sola, immobilis, & irreformabilis: credere scilicet in unum Deum omnipoten„ tem, mundi conditorem, & filium ejus Jesum Christum natum ex Virgine Maria, crucifixum sub „ Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis, receptum in cælis, sedentem nunc ad dexteram „ Patris, venturum judicare vivos, & mortuos per carnis etiam resurrectionem. Hac lege fidei ma„ nente, cetera jam disciplinæ, & conversationis admittunt novitatem correctionis..... Quæ est „ ergo Paracleti administratio, nisi hæc, quod disciplina dirigitur „. Multa in eamdem sententiam producit doctissimus Orsius *loc. cit. cap.* 1I. *num.* vi. *pag.* 56. *& seq.* Constat præterea Martyres Catholicos fuisse a Tertulliano laudatos. *In lib. de Fuga in Persecutione cap.* v. Rutilium Martyrem celebrat, quem certe Montanistam fuisse, Basnagius numquam probabit, quod in persecutione fugiendum esse putaverit, quæ sententia contraria erat errori Cataphrygarum „ Rutilius ergo, *inquit*, Sanctissimus „ Martyr, cum toties fugisset persecutionem de loco in locum, etiam periculum, ut putabat, num„ mis redemisset, post totam securitatem, quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, & præ„ sidi oblatus, tormentis dissipatus, credo pro fugæ castigatione (Montanistæ Tertulliani hæc inepta „ animadversio est) passionem, quam vitarat, misericordiæ Dei retulit.

(4) Vide Eusebium *lib.* v. *Hist. cap.* xvi. *pag.* 183. *edit. Paris. an.* 1659.

(5) In vita, & Passione S. Cypriani *pag.* 170, *apud Ruinart. Act. MM. edit. Veron.* Vide Notationem Ruinartii *in eumdem locum* & Orsium *ibid. cap.* 1. *num.* 2. *pag.* 19. *& seqq.*

Pontio Diacono ab Ecclesia Carthaginiensi (1), ab Augustino (2), a Romano (3) denique Orthodoxorum cœtu semper fuisse & commendatam Perpetuam, & in Martyribus numeratam, quorum memoriam quotannis colere solerent. Secundum hæc, ex visis confici nullo modo posse, dixit, Perpetuam Montani sectam fuisse sequutam. Multos superiore, multos ea qua ipsa vixisset, multos denique posteriore ætate fuisse, qui visa sibi oblata descripserint, quin Montano assensi essent, venissentve in ejus hæresis suspicionem. Namque Polycarpum, Justinum Martyrem, Irenæum (4), Cyprianum (5), aliosque plurimos, qui pro Christo sanguinem fuderunt, posteaquam aut recreati ipsi cælestibus visis sunt, aut alios iisdem fuisse recreatos tradiderunt, quis tam est amens, atque impudens, ut in numerum Cataphrygarum esse referendos putet? Visa autem, atque oracula, quæ in Actis Perpetuæ leguntur, non ejus esse generis, cujus erant (6) Montanistarum. Rursum mores Martyris nihil habuisse cum moribus Cataphrygarum commune. Denique vel catholicam fuisse Perpetuam, vel ea prodigia, quæ patrata ejus intercessione fuisse traditum a majoribus est, inania, falsaque esse, confiteri Basnagium oportere. Eodem fere tempore Potamiæna (7) Alexandrina Martyr, religionis caussa, affecta supplicio est. Hæc

(1) Carthagine constructa jam usque a seculo III. Felicitati, atque Perpetuæ Basilica fuit. Ea modo Basilica restituta. *In Act. Conc. Carthag. II. & apud August. ferm. XIX. & apud Victorem Vitensem lib. I. de Persec. Vandalica*, modo Basilica majorum. *Apud August. lib. de Gest. Pelagii cap. XI. & ferm. 294.* modo Basilica major. *Apud Aug. ferm. 258.* modo ad majores *apud August. fer. 34.* vocata est. In ea plerique habiti fuerunt ab Augustino sermones ex his, quos Carthagine recitavit, & secundum Concilium Carthag. an. 390. & cetera deinceps celebrata sunt. Consule Orsium *ibid. num.* V. *pag.* 27. *& seqq.*

(2) Extant S. Augustini de SS. Perpetua, & Felicitate tractatus tres, qui inter sermones ejus in editione postrema Monachorum S. Mauri sunt *num.* 280. 281. *&* 282. Vide Orsium *ibid. pag.* 25. *& seq. num.* IV.

(3) In vetustissimo Romanæ Ecclesiæ Calendario, quod primus omnium vulgavit Bucherius, sic habetur ad *d. non. Martii, Perpetuæ, & Felicitatis Africæ*: Nominantur præterea in Canone Missæ Romanæ Ecclesiæ, quæ sane res magno est argumento, tantam fuisse jam usque ab antiquissimis temporibus apud Catholicos existimationem Sanctarum earumdem Martyrum, ut cum in Canone non aliorum fere, præterquam Romanorum Martyrum Romæ memoria recoleretur, tum celebrata memoria earum fuerit. Id vero numquam factum fuisset ab Ecclesia Montanistarum sane inimica, si Montanismo Felicitas, & Perpetua studuissent.

(4) Vide quæ supra recitavi eorum Patrum testimonia.

(5) Consule, quæ mox referam Cypriani, aliorumque veterum loca in eamdem sententiam.

(6) Adeundus Orsius *dissert. indicata cap.* V. *&* VI. *per tot.*

(7) Eusebius *lib.* VI. *Hist. Eccl. cap.* V. „ Protinus igitur Judicis sententia damnatam, *inquit*, Basilides unus ex apparitoribus ad supplicium abducit. Cumque vulgus eam vexare, & obscœnis verbis ei illudere conaretur, Basilides quidem eos, qui contumeliam Virgini faciebant, absterrens propellebat, multaque misericordiæ, & humanitatis erga illam præbebat indicia. Illa vero benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse jussit; se namque post obitum salu-
„ tem

Hæc postridie ejus diei, quo functa Martyrio fuit, Basilidi Ethnico viro, qui misericors erga eam fuerat, noctu adstitit, significavitque futurum, ut ipse quoque Christianus fieret, brevique ad Superos migraret.

Medio autem seculo secundo, memoriæ proditum est, nunciata divinitus Pionio (1) fuisse, quæ ipsi, Asclepiadi, atque Sabinæ mala, ob religionem, quam profiterentur, imminerent. Quinetiam quo tempore Decius in nostros crudeliter sæviebat, jussus a Deo Dionysius (2) Alexandrinorum Episcopus fuit, ut patria excederet, atque alio contendere ne cunctaretur.

Plenæ sunt similium rerum S. Cypriani (3) Episcopi Carthaginiensis Epistolæ. Præterea (4) Cyprianum Pontius scribit, cum quæsitus ad necem esset, vidisse, cum nondum oppressus somno esset, Proconsulem, qui in tabella notaret, quod mortis genus Martyr oppetere deberet. Atque Jacobus (5), qui anno post Cyprianum, una cum

„ tem ipsius a domino impetraturam, & collata in se beneficia brevi remuneraturam esse..... Et hujusmodi quidem certamen nobilissima virgo decertavit. Brevi autem postea Basilides..... Christianum se esse, idque palam profiteri. Cumque quidam in Domino fratres eum adiissent, ut caussam subitæ illius, atque insperatæ conversionis interrogarent, dixisse fertur, Potamiænam tertio post Martyrium die, noctu sibi assistentem coronam capiti suo imposuisse, dixisseque se ipsius caussa dominum orasse, atque id, quod petierat, impetrasse, nec diu postea ipsum ad superos migraturum. Post hæc signaculo domini a fratribus accepto, postridie Christum gloriose confessus, capite truncatus est.

(1) In Actis *S. Pionii apud Ruinartium pag.* 119: *edit. Veron.* „ Ergo ante diem quam natalis Polycarpi Martyris adveniret, cum Sabina, & Asclepiade dum jejuniis devotus insisteret, vidit in somnis, sequenti die se esse capiendum. Quæ cum aperte & indubitanter agnosceret, eo quod tam lucide omnia visus appareret, funis vinculo sua, & Sabinæ, & Asclepiadis colla circumdedit: ut cum ab illaturis vincula vincti invenirentur, scirent, qui venerant, nihil se novi esse facturos.

(2) In fragmento Epistolæ Dionysii Alexandrini, in quo recensentur ea, quæ sibi ipsi in Deciana persecutione contigerunt, apud *Eusebium lib.* VI. *Hist. Eccl. cap.* XL. hæc leguntur „ Ego vero coram „ Deo loquor, & ipse scit me nequaquam mentiri, numquam mea sponte, nec sine Dei nutu fugam „ inisse..... Vixque post diem quartum cum Deus mihi, ut alio migrarem præcepisset, ac præter „ opinionem omnium, viam aperuisset, ego, & famuli, multique ex fratribus simul egressi sumus.

(3) Vide Cypriani *epist.* XI. *ad num. Pamel.* VIII. & XVI. *ad Pamelii numeros* X. & XXXVIII. *ad Pamel. num.* XXXIII. & LXVI. *ad Pamel. num.* LXIX. & LVII. *al.* LIV. & LVIII. *al.* LVI. quæ plenæ sunt hujusmodi *visionum*.

(4) Pontius vero Diaconus in vita S. Cypr. *pag.* 184. *Act. SS. MM. a Ruinartio collect. edit. Veron.* „ Admirabilem, *inquit*, visitationem Dei non præteribo, qua antistitem suum sic in exilio esse voluit de secutura passione securum, ut imminentis martyrii pleniore fiducia non exulem tantummodo „ Curubis, sed Martyrem possideret. Eo enim die, quo primum in exilii loco mansimus, ... apparuit mihi, inquit, nondum somni quiete sopito juvenis ultra modum enormis, qui cum me quasi „ ad prætorium duceret, videbar mihi tribunali sedentis tum Proconsulis admoveri. Is ut me respexit, adnotare statim cœpit in tabula sententiam, quam non sciebam. Nihil enim de me solita interrogatione quæsierat. Sed enim juvenis, qui e tergo ejus stabat, admodum curiosus legit, quidquid fuerat adnotatum. Et quia inde verbis proferre non poterat, nutu declarante monstravit, „ quid in litteris tabulæ illius haberetur. Manu enim expansa, & complanata ad spatæ modum, ictum „ solitæ animadversionis imitatus, quod volebat intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit.

(5) Apud Ruinartium *Act. MM. select. pag.* 195. Marianus „ Ostensum, *inquit*, est mihi, fratres, „ tij-

cum Mariano, multiſque aliis ab inimicis nominis Chriſtiani captus, interfectuſque eſt, non diu ante, quam in eorum poteſtatem veniſſet, dixit, quod extat in *Actis Martyrii:* monſtratum ſibi ſecundum quietem eſſe, impendere non ſibi modo, ſed Mariano quoque, atque ſociis ſupremum diem. Simile eſt horum, quod Æmiliano (1) oſtenſum divinitus fuiſſe fertur. Nam cum is eſſet in cuſtodia publica, fratrem ſe vidiſſe in ſomnis, affirmavit, qui ſibi, ceteriſque Chriſtianis qui, religionis cauſſa, in carcerem conjecti fuerant, denunciaret fore, ut gladio interficerentur. At vero Renus (2) miles, ut eſt in Actis Montani, ac Lucii Martyrum Africanorum, cum ſecundum quietem oſtenſum ſibi eſſe dixiſſet, eos qui ſecum in carcere erant, deductos inde fuiſſe, cumque iis, qui lucernas præferrent, proceſſiſſe; ſociis lætitiæ cauſſa fuit, quod cognoſſent futurum, ut brevi pro Chriſto interirent. Quod ut eſt dictum, ſic ſcribitur contigiſſe. Eodem tempore Victor (3) Presbyter in ſomnis vidit Chriſtum, qui juberet, ut ſociis, quam eſſent gloriam conſequuturi, diceret. Flaviano quoque, ut eſt in Actis iiſdem, apparuit, qui eum Martyrem futurum polliceretur (4). Eodem ſeculo Felix Nolanæ Eccleſiæ Presbyter monitus ab Angelo eſt, ut laboranti in ſilva Maximo Epiſcopo ſubveniret (5).

Fab-

„ tribunalis excelſi, & candidi nimium ſublime faſtigium, in quo quidam judicis ad vicem præſidebat. „ Illic erat catalta non humili pulpito . . . . . & admovebantur Confeſſorum ſingulæ claſſes, quas ille „ judex ad gladium duci jubebat. Tum exauditur mihi vox clara, & immenſa dicentis: Marianum „ applica „ . Jacobi in iiſdem *Actis* altera viſio refertur *pag.* 197. „ Perturbatus ſum, *inquit*, non „ ſine gaudio meo fratres, ſed & vos meecum gaudere debetis. Vidi Juvenem inenarrabili, & ſatia „ ampla magnitudine . . . . . Is enim tranſcurreret, unam tibi Mariane, & unam mihi zonas purpureas „ in ſinus noſtros jaculatus eſt, & ait, ſequimini me cito &c.

(1) In Actis SS. MM. Jacobi, & Mariani: *apud Ruinartium pag.* 197. *edit. Veron.*

(2) Vide Acta SS. MM. Lucii, & Montani &c. *num.* v. *pag.* 201. *edit. Veron.*

(3) In iiſdem Actis *pag.* 202. „ Videbam, *inquit Victor*, puerum huc in carcerem introiſſe, cu- „ jus fuit vultus perlucidus ſuper ſplendorem inenarrabilem, qui nos deducebat per omnia loca, ut „ exiremus: egredi tamen non potuimus, & ait mihi: Adhuc modicum laboratis, quia nunc impe- „ dimini. Sed confidite, quia ego vobiſcum ſum. Et adjecit: dic illis, quia glorioſiorem coronam „ habebitis, nec non ad Deum ſuum ſpiritus properat, & anima jam proxima paſſioni, ſedes ſuas re- „ quiſivit.

(4) *Ibid. pag.* 207. „ Cum adhuc Epiſcopus noſter ſolus paſſus fuiſſet, oſtenſum eſt mihi hoc, quaſi „ Cyprianum ipſum interrogarem, an pati ictus doleret, ſcilicet Martyr futurus, de paſſionis tole- „ rantia conſulebam. Qui mihi reſpondit, & dixit: Alia caro patitur, cum animus in Cælo eſt. Ne- „ quaquam corpus hoc ſentit, cum ſe Deo tota mens devovit . . . . Poſtea cum plures paterentur, con- „ triſtabar in viſu noctis, quod quaſi a collegis meis remanſiſſem. Et apparuit mihi vir quidam di- „ cens: Quid, contriſtaris. Cui cum effuſam triſtitiæ meæ dicerem, ait: Contriſtaris. Bis confeſ- „ ſor es, tertio Martyr eris per gladium. *Et ſic impletum eſt &c.*

(5) S. Paulinus *Poem.* xv. *nat.* iv. *v.* 220. *& ſeqq;* & apud Ruinart. *pag.* 221. *edit. ejuſd.*

„ Mota Patria ſummi pietas antiſtite ſummo
„ Non tulit obſcuro conſumi funere corpus.
. . . .

Ergo

Fabiano præterea ei, qui Pontifex Maximus fuit, ob simile visum delata dignitas sacerdotii est. Nam cum ex agro in Urbem (1) venisset, inque Ecclesiam ingressus esset, quo Christiani Anteri successorem dicturi convenerant, columba repente e sublimi delapsa ejus capiti insedit, quæ illius imaginem, cujus figura Spiritus Sanctus in Christum descenderat, exhibere videretur. Qua re populus permotus, Fabianum, ne cogitantem quidem, dignum esse, qui Ecclesiam moderaretur dixit, & comprehensum, cathedræ imposuit, ordinarique Episcopum curavit.

Alexandro quoque, qui in Cappadocia (2) Episcopus erat, dormienti, visus est venire, qui diceret, placere sibi, ut Hierosolyma peteret, cumque Narcisso sene ejus Ecclesiæ Episcopo sacerdotio fungeretur. Atque ita quidem ille fecit. Sed cum in eam urbem pervenisset, & sacra loca lustrasset, ac redeundi in patriam consilium suscepisset, Christiani Hierosolymitæ diligenter curarunt, ne quod statuerat, implere posset. Nam eis quoque visi in quiete fuerunt, qui juberent, ut extra portas egressi, Episcopum sibi a Deo destinatum susciperent. Quod cum illi consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis fecissent, manere deinceps eum apud se, atque una cum sene Narcisso munus Pontificis obire coegerunt.

Rursus ille idem Dionysius Alexandrinorum Episcopus, de quo paullo ante dictum est, in epistola, quam ad Philemonem scripsit,

„ Ergo sacerdotem, confessoremque sereno
„ Lumine respiciens tacitis rubescere silvis
„ Non talit ulterius mitis Pater, & quia digno
„ Condignum comitem meritis sociare parabat,
„ Felicem numero de carceris eligit omni,
„ Cujus id apponat meritis opus, ut senis almi
„ Membra levet, revocetque animam, revehatque refotum,
„ Attonitisque ovibus cari solatia reddat
„ Pastoris. Venit ergo micans jam nocte silenti
„ Angelus, & totam vinctorum in plebe reorum
„ Felice solum, pietas cui sancta reatum
„ Fecerat, alloquitur. Fugit atri carceris horror.
. . . .
„ Caussatur non posse sequi, prohibente catena,
„ Insuper & claustro simul, & custode teneri
„ Carceris obsessi. Sed vox divina morantem
„ Increpitans, jubet excussis assurgere vinclis,
„ Et subito, ut molles manibus fluxere catenæ,
„ Sponte jugo cervix ferrato exuta levatur,
„ Prosiliuntque pedes laxato caudice nervi &c.

(1) Eusebius *Hist. Eccl. lib.* VI. *cap.* XXIX. *pag.* 294. *edit. Cantabrigiensis*,
(2) Eusebius *lib. eodem cap.* XI. *pag.* 268. *& seq. edit. Cantab.*

psit, se, cum libros hæreticorum legeret, prohibitum a Presbytero quodam fuisse, ne id agere deinceps auderet, propterea quod periculum esset, ne se in errorem sensim induci (1) sineret. Sed intellectam ab se vocem fuisse, quæ, ut omnia legeret, quæ sibi in manus venissent, hortaretur. Namque sibi ingenii vim, doctrinæque facultatem tantam esse concessam, quanta requireretur, ut recte dijudicare, refutareque posset, quæ scripta falso, impieque ab hæreticis fuissent.

Neque vero iis tantum visa offerri seculo III. consuerant, qui provecta ætate essent, sed pueris quoque, ut est memoriæ traditum a Cypriano (2).

Extremo autem seculo III. vel ineute IV. Victori, dum cruciabatur, Christus crucem gestans se obtulit, utque fortiter ageret, (3) spiritus majores addidit. Est præterea in Actis iisdem, missos a Deo Angelos noctu fuisse, qui sanctum Martyrem consolarentur, milites que tres, qui præsto aderant, ut cælesti luce repleri carcerem viderunt, projecisse ad Victoris pedes continuo se, petiisseque, ut eos excusatos habere, initiareque mysteriis Christianæ religionis vellet (4).

Scriptum etiam in Actis Martyrii S. Theodoti Ancyrani a Nilo est, Frontoni Presbytero visos in quiete viros duos fuisse, qui thesaurum in eum locum, in quo ipse degeret, afferrent: thesaurum autem Sacra Theodoti Martyris Lipsana indicasse (5). Præterea Theo-

(1) Eusebius *lib.* VII. *Hist. Eccl. cap.* VII. *pag.* 326. *seq. edit. Cantab.*

(2) *Epist.* XVI. *pag.* 196. *edit. Oxon.* „ Præter nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur „ apud nos puerorum innocens ætas, quæ in extasi videt oculis, & audit, & loquitur ea, quibus „ nos dominus monere, & instruere dignatur.

(3) Apud Ruinartium *Act. select. Sanctor. MM. pag.* 305. *edit. Paris. an.* 1689. „ Quo facto cum „ diutius acerrime torqueretur, attollens in Cælum lumina, piam tolerantiam a misericordiosissimo „ Patre Deo, cujus id esse donum noverat, precabatur. Nec jam ultra ferens clementissimus Jesus, „ certatori suo insigne certaminis, victoriæque signum, crucem videlicet, in manibus gestans, in „ specie consolantis apparuit, dicens: *Pax tibi, Victor noster.* Ego sum, *inquit Jesus*, qui in „ Sanctis meis injurias, & tormenta sustineo. Ego enim tecum sum fortis adjutor in prælio, qui & „ fidelis post victoriam remunerator in regno. Ad Salvatoris vocem protinus omnis dolor, cunctaque irrita cessere tormenta. Tunc ille mente, vultuque alacri conversus ad laudes, immensas visitatori, & consolatori suo toto spiritu gratias referebat.

(4) *Ibid. num.* XI. Militum nomina hæc erant: *Alexander, Longinus, Felicianus*, qui omnes „ Martyres deinde fuerunt.

(5) Apud Ruinartium *Act. select. SS. MM. edit. ejusd. pag.* 359. *ad an.* 303. „ Tunc subridens Presbyter (Fronto) intra se, ait: O Fronto (hoc enim ei nomen erat) quam manifestæ tibi semper per „ somnum offeruntur visiones! Quod autem hac nocte vidi, stupendum plane fuit. Vidi enim viros „ duos, vobis similes, dicentes mihi, quod thesaurum huic regioni adferrent. Cum igitur vos ipsos „ intueor, quos vidi per somnium, agite, thesaurum istum mihi tradite. Responderunt viri, vere „ habemus nobiscum thesauro quovis potiorem Martyrem Theodotum.

Theodoto Tecuſam martyrem ſecundum quietem viſam fuiſſe, Nilus tradit, quæ illum, ut ſuum, ceterarumque virginum, quæ die ſuperiore martyrium paſſæ fuerant, corpora e lacu extraheret, juberet, ſignificaretque fore, ut ipſe quoque poſt biduum pro Chriſto certare, morique (1) deberet. Itaque Theodotum ſurrexiſſe, cumque expectaſſet, propterea quod metueret a militibus, qui lacum cuſtodiebant, ne a quoquam Chriſtianorum corpora ſurriperentur, ſub veſperam ad paludem veniſſe, vocemque intellexiſſe, quæ Theodotum, ut fidenter accederet, hortaretur. Hunc, ſocioſque ſigno crucis ſeſe continuo muniviſſe, viroſque ad orientem lucidam crucem conſpicatos, flexis genibus, ad eam partem adoraſſe, unde crux apparebat. Paullo poſt lampadem eis viſam, quæ viam, qua erat eumdem, præmonſtraret. Poſtremo reperta corpora fuiſſe, atque ita reliqua eveniſſe, ut ei oſtenſum in ſomnis fuerat. Eodem fere tempore Ferreolus Martyr, cum ſomno in carcere oppreſſus dormiret, ſubito ſolutum ſe vinculis intellexit. Quamobrem memor eorum, quæ præſcripta a Chriſto de fugienda *perſecutione* fuerant, e cuſtodia elapſus Vienna diſceſſit. Sed poſt comprehenſus iterum, martyrii gloriam conſequutus eſt (2).

Jam de viſis Conſtantini, quum de crucis ſigno, litteriſque ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, quæ in cælo ei, exercituique apparuerant, agerem, diſputatum eſt. Eſt etiam apud Baſilium: quadraginta martyres oraſſe etiam atque etiam Deum, ut ne quemquam ex eorum numero tormentorum metu perire permitteret. Sed victum eorum unum, vi cruciatus, lapſum in idololatriæ ſcelus fuiſſe. Militem, qui aderat, ut eventum rei expectaret „ ſpectaculum vidiſſe inuſi-„ tatum: virtutes e cælis deſcendentes, & tamquam a rege magna „ dona militibus dividentes, quæ aliis quidem omnibus, uno exce-„ pto, dona diſtribuerent. Hunc deſertoris loco ſeipſum, abjectis „ indumentis, in balneum projeciſſe, clamaſſeque ſe eſſe Chriſtianum, iiſque donis fuiſſe auctum, quæ virtutes illæ deſcendentes ſignificaſſent (3).

Magna ſunt, quæ de viſis ſuo tempore pleriſque, qui ſancto ſe Mamanti commendaſſent, oblatis, ſcribit Baſilius Magnus in ea,

E e e 2 quam

(1) *Ibid. num.* xvii. *ſeq.* Conſule etiam Bollandianos *Tom.* iv. *Act. SS. menſis Maji ad d.* xviii.

(2) Vide Acta Martyrii apud Ruinartium *pag.* 407. *edit. Veron.*

(3) *Homil.* xx. *Tom.* 1. *ad Combefiſii recenſion. exacta ad Codices Græcos ms.* & apud Ruinartium *Acta ſelect. SS. MM. pag.* 464. *edit. Veron.*

quam habuit de ipsius laudibus homilia (1). Fuerunt etiam, qui ostensam initio fere quarti seculi Petro Alexandrino Episcopo fuisse in somnis traderent, Christi tunicam Arii, qui post hæresiarcha fuit, scelere laceratam (2). Est quoque auctor Augustinus (3), apparuisse, qua ipse vivebat, ætate, Gennadio Medico in quiete juvenem egregia forma, qui eum, ut se sequeretur, juberet. Medicum morem juveni gessisse. Itaque audisse harmoniam: cumque rogasset, quid illud rei esset, intellexisse hymnos esse Beatorum. Quinetiam lib. v. Confessionum (4), vocem ab se quasi pueri auditam aliquando fuisse, Augustinus idem testatur, quæ hortaretur, ut codicem Apostoli legeret. Id vero ab se fuisse factum, utque librum aperuit, in ea verba: *Non in commessationibus, & ebrietatibus*, incidisse se, itaque fecisse dubitandi finem. Eodem, quo Augustinus vixit, seculo Theodoretus scripsit „ permansisse ad suam ætatem hoc „ donum (*visiones videndi*) fuisseque inter sanctos, qui puram men- „ tis aciem habentes multa de futuris & prænoscerent, & præ- „ dicerent (5). Mitto quæ de Athanasio (6) Magno, de Didymo (7), Gorgonia sorore Gregorii (8) Nazianzeni, deque aliis veteres memoriæ commendarunt, quod nolim esse longior, quam oportet.

(1) *Homil.* xxiii. *Tom.* ii. *opp. pag.* 185. *edit. Garnerii* „ Memores estote Martyris, quotquot il- „ lo per somnia potiti estis, quotquot in hoc loco constituti adjutorem illum ad precandum habuistis, „ quibuscumque ex nomine advocatus adfuit operibus, quotquot aberrantes ad viam reduxit, quos- „ cumque sanitati restituit, quibuscumque filios jam mortuos ad vitam reductos reddidit &c.

(2) *Oros. lib.* vii. *cap.* xviii.

(3) *Epist.* clix. *al. c. pag.* 564. *seq. Tom.* ii. *opp. edit. Paris. Mon. S. Mauri*.

(4) *Cap.* xii. „ Ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, & crebro repetentis, quasi „ pueri, aut puellæ, nescio: *tolle, lege, tolle, lege*: statimque mutato vultu intentissimus cogita- „ re cœpi, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid, nec occurrebat „ omnino, audisse me uspiam, repressoque impetu lacrymarum surrexi, nihil aliud interpretans di- „ vinitus mihi juberi, nisi, ut aperirem codicem, & legerem, quod primum caput invenissem; au- „ dieram enim de Antonio, quod ex Evangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit, „ tamquam sibi diceretur, quod legebatur: vade vende omnia, quæ habes .... Itaque concitus „ redii ad eum locum, ubi sedebat Alypius, ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surre- „ xeram; arripui, aperui, & legi in silentio Capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei: *Non* „ *in commessationibus, & ebrietatibus &c.* Nec ultra volui legere, nec opus erat, statim quippe „ cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo omnis dubitationis tenebræ dif- „ fugerunt.

(5) *Theodor. Comment. in Joel. cap.* ii. *pag.* 759. *Tom.* ii. *edit. an.* 1642.

(6) Vide *Sozom. lib.* iv. *Hist. cap.* x.

(7) Vide eumdem *lib.* vi. *cap.* ii. ubi „ Cum Didymus, *inquit*, præ nimia sollicitudine, ne su- „ perveniente quidem nocte cibum sumsisset, in Cathedra sedens, somno oppressus est, ac velut in „ mentis excessu positus, equos candidos per aerem discurrentes videre sibi visus est, virosque ipsis „ insidentes, ita clamantes audire: Nunciate Didymo, hodie Julianum hac ipsa hora peremptum „ esse: *hoc est Julianum Imperatorem*.

(8) Gregorius Naz. *Orat.* xi. prope finem „ Gorgoniam, *inquit*, somnus unus suavissimus exce- „ pit, visioque una, præstituto tempore discessum e vita, diemque adeo ipsum indicans &c.

oportet. Satis enim hæc sunt, quæ breviter comprehendi, ad id, quod mihi proposueram, demonstrandum.

Probare autem eorum sententiam non possum, qui dubitent, vera ne de visis prædicarint (1) Patres, an lapsi errore sint. Quis enim credat, viros sanctos, qui fictis fabulis, ut suam religionem defenderent, non egerent, quique ob singularem, qua præditi essent, doctrinam, vera a falsis dijudicandi facultate præstarent, aut deceptos fuisse, aut quemquam in fraudem inducere voluisse? Deinde ita ne Deum suæ fuisse Ecclesiæ oblitum, dicent, ut omnes, quotquot exeunte primo, totisque secundo, tertio, quarto &c. seculis viguerunt, aut ludibriis malorum dæmonum deludi, aut in vana, fallaque opinione versari pateretur? Nam quod aliqui censent, paullo (2) uberius, quam res ipsa ferret, visa fuisse a majoribus nostris descripta, videant, ne latius pateat, quam ipsi suspicari possint. Hoc enim si concedatur, nulla erit res in historia ecclesiastica; non martyrium, non responsum, non aliud denique quidpiam, quod integra fide narratum ab antiquis Christianis fuisse, negare non liceat. Ex qua re illud etiam sequetur; statui certo a nobis in hoc genere nihil oportere, quod cum longe ab ea ætate, qua res ejusmodi contigerunt, distemus, tum quid adjunctum, quidque detractum a Patribus, ut eas ipsas ornarent, fuerit, assequi minime possimus. Atque haud scio, an qui majores nostros credulos, imprudentesque fuisse pugnant, ut quæ illi de visis narrarunt, vana, inania, falsa esse concludant, effugere temeritatis, atque impudentiæ reprehensionem possint. Cur enim temere non agat is (nolo autem nunc gravius dicere) qui eos ipsos, quos (3) insignes Dei viros, quos

(1) Hermannus Witsius *lib. de Prophetis & Prophetia cap.* XXIV. *pag.* 372. *Tom.* 1. *Miscellaneor. edit. an.* 1712. Sic agit de iis, quæ narrata a Patribus de visis sunt, ut quamvis nolle videatur omnes erroris arguere, tamen reipsa inani opinione ductos defendit. Nam habet hoc modo „ Patrum plerorumque stilus ad declamatorium dicendi genus accommodatus, hyperbolicis exaggerationibus scatet . . . . . Nec dissimulandum Patrum aliquammultos nimia laborasse credulitate, & imprudenter arripuisse, imprudentius narrasse, eo cui adsueti erant dicendi magnifico charactere, quæ tamen scite potuissent, haud satis esse explorata, modo libuisset majore cum judicio attendere. Quod nemo ignorat, nisi qui in legendis Patribus hospes est, aut eadem cum ipsis credulitate præditus „. Gisbertus Voetius homo item, ut Witsius, de numero Protestantium *Parte* II. *Disputationum Selectarum pag.* 1059. „ De Melitonis, *inquit*, Methodii, Gregorii Neocæsariensis, dicti Thaumaturgi prædictionibus, & viris Sanctis istiusmodi in primitiva Ecclesia, libenter fateor non fuisse maligne fictas, aut diabolicas, sed an divinæ fuerint, NON PUTO NEFAS ESSE DUBITARE, saltem IN MEDIO RELINQUERE „. Hic igitur somniasse eos dubitat potius, quam divinitus accepisse, quæ de illis tradita litteris fuerunt. Eadem fere plerique e sectis Calviniana, & Lutherana sentiunt.

(2) Vide locum Witsii relatum superiore notatione.

(3) Witsius *ibid.* „ Mihi sic videtur: Deum optimum M. initio Evangelii Prophetas spiritu suo „ sin-

quos pios, quos fraudis inimicos, quos tales denique fuisse, quales esse rectores Ecclesiæ decebat, confitetur, imprudentiæ arguat, & credulitatis; propterea quod testes eorum se esse, quæ vidissent, narraverint? Ac si pauci fuissent, qui visis moveri plerosque primis potissimum seculis consuesse, scripsissent, minus graviter equidem, quod de credulitate, adversarii jactitant, ferrem. Sed cum omnes, incredibili consensione, non solum cum suos (1) instituerent, sed cum etiam contra sui temporis Judæos, vel hæreticos disputarent (2), tam fuisse commune hoc donum, quo divinitus animi nostrorum pulsarentur, tradiderint, ut in universa Ecclesia Catholica obtineret, eorum ego auctoritatem contemni qui feram? Neque vero siluissent Valentiniani, & Cataphrygæ, qui se a nostris, quasi visis aut carerent, aut falsis delectarentur, despici intelligerent, si vel dolo agere Catholicos, vel inanibus, atque adventiciis visionibus pulsari cognossent. Quid? Orthodoxi tam ne dementes fuerunt, ut iis rebus pugnare cum Cataphrygibus auderent, quas iisdem vitiis laborare perspicerent, quibus laborabant visa Cataphrygarum? Deinde aut Ethnicos, qui visis, prodigiisque inducti Christianæ religioni se devoverunt, deceptos errore fuisse, in quo manere, ubi fraudem cognorunt, voluerint, quod quidem absurdum est, adversarii dicant; aut sin minus, visa esse in veris numeranda confiteantur. Extremum est, ut Adversarios hortor, ut etiam atque etiam considerent, quid agant, caveantque, ne iisdem rationibus, quibus omnia visa primorum seculorum in dubium revocare student, ad dubitandum etiam de Apostolorum visionibus moveantur. Sed contra Witsium, atque Voetium, qui hanc Patribus injuriam conflaverunt, plura fortasse diximus, quam necesse fuit.

Sunt præterea, qui sic (3) statuant: Visis Ecclesiæ opus non esse. Namque prophetia nova Ecclesiam, post obsignatum novi testamenti

„ singulari ratione actos Ecclesiæ concessisse, qui una cum Apostolis, immo & aliquanto post eorum ex „ tertis excessum, salutari doctrinæ propagandæ invigilarunt, & missionem suam prodigiis confirma„ runt, hoc enim illorum temporum ratio prorsus requirere videbatur. Neque abnuo, tales insignes „ Dei viros, tertio etiamnum, & quarto æta Christianæ seculo exstitisse: durum enim esset piis Pa„ tribus de sui ævi, suæque familiaritatis hominibus talia constanter narrantibus, fidem omnem ab„ rogare „. At abrogat, velit nolit, Witsius, secumque ipse pugnat. Nam si *plerosque* Patres si *aliquammultos* nimia laborasse credulitate mox statuit, quin indicet, qui sint illi *aliquammulti*, & *plerique*, eodem telo omnes petit, eorumque de visis auctoritatem funditus tollit.

(1) Vide quæ supra attulimus Irenæi, Cypriani, aliorumque Sanctorum, veterumque Ecclesiæ Doctorum de visis, & prodigiis testimonia.

(2) Consule locum Irenæi, quem *pag. 386. not.* 3. & quæ ex Justini Martyris, Irenæi, aliorumque PP. operibus *pag. 395. & seqq.* attuli testimonia.

(3) Moses Amyraldus Calvinianus *Præfat. ad Psalmos.*

menti canonem, non egere; primo, quod nihil ea expectet, quod aut addi Evangelio, scriptisque Apostolorum, aut iis, quæ manifestata initio fuerunt, præstantius esse possit; secundo, quod visis ejusmodi, si quæ sunt in sacris Bibliis obscura, explicari non debeant; tertio, quod Evangelii ratio minime patiatur, ut ad arduum quidpiam opus perficiendum hoc visionum genere Christiani incitentur; quarto, quod non sint utiles Ecclesiæ præsensiones rerum futurarum.

Etsi autem non is ego sum, qui singulas de visis narrationes fidei divinæ esse putem, visis tamen Ecclesiam post obsignatum canonem novi testamenti, quasi inutilia sint, carere oportere, tam esse falsum defendo, ut cum sacrarum litterarum auctoritate (1) pugnet. Jam vero præstantiora eorum, quæ sacris Bibliis contineantur, nemo nostrum est, qui expectet. Sunt enim merito condemnati ab Ecclesia Montanistæ, qui contra sentire (2) auderent. Quin etiam peculiares hujusmodi visiones regulam fidei Ecclesiæ Catholicæ non esse, qua interpretari oracula Prophetarum, obscuraque Sacrarum Scripturarum loca omnino oporteat, facile concedo. Sed conducere visa, atque prodigia vel ad incredulos convertendos, vel ad magnum aliquod, atque arduum opus perficiendum, vel ad eorum, quibus offeruntur, sociorumque utilitatem, solatium, rectamque institutionem non posse; id vero vehementer nego. Hoc enim Patres, hoc universa Ecclesia (3), hoc Petrus Apostolus apud Lucam in Actis Apostolicis tenuerunt. Ac miror equidem quid sit, quod iidem ipsi, qui quæ narrata a Patribus fuerint, ne inania, falsaque sint, vereantur, Zuinglii visiones probent, quibus nihil esse potest absurdius. Namque visum ei fuisse, qui diceret, quemadmodum Orthodoxorum de corpore Christi in Eucharistia præsenti argumentum ex Evangeliis conclusum eludere deberet; quemque, niger ne (4), an albus fuerit, digno-

(1) *Nam Actor. cap.* 2I. *v.* 17. *& seqq.* Ubi Petrus retulit Joelis Oraculum „ *Et erit in novissimis diebus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt &c.* tum *vobis*, inquit, *facta est repromissio, & filiis vestris, & omnibus, qui longe sunt &c.*

(2) Vide *J. Aug. Orsii S. P. A. M. dissert. de SS. Perp. & Felic. & Soc. MM. Orthodoxia cap.* 1I. *pag.* 41. *& seqq.*

(3) Constat ex testimoniis PP. quæ supra recitavi.

(4) *Lib. inscripto* Coronis de Eucharistia. *Oper. Parte* 1I. *fol.* 249. „ Restabat adhuc, *inquit* „ *Zuinglius*, haud minimus conatus, quo scilicet exempla produceremus, quæ nulla cum parabola „ conjuncta forent: Cœpimus ergo cogitare omnia, omnia revolvere, attamen nihil aliud exemplo- „ rum occurrebat, quam quod in commentario proditum est, aut quod occurrebat, erat eorum simile.

dignoſcere non poſſet, quis credat? Ac de *nigro*, quod Zuinglius dubitet, bene habet. Nam Angelos *nigros* Prophetis, aut Apoſtolis, aut Majoribus noſtris viſos fuiſſe, nuſquam legimus. Quare quod ſpectrum, contra Evangelium, Eccleſiarumque omnium traditionem, docuit, quo tandem modo dogma, quod ex Chriſto manavit, tranſmiſſumque per Apoſtolos, Patreſque ad noſtram ætatem eſt, refutandum eſſet, eo colore eſſe debuit, quo numquam apparere boni Angeli conſuerunt.


Eodemque modo refelli poſſunt, qui primis Eccleſiæ ſeculis viſa obtinuiſſe, deindeque ceſſaſſe putant. Quamquam eſt etiam horum abſurdior aliquanto ſententia. Quibus enim rationum momentis efficient, valere plurimum initio viſa, poſt minui fluxu temporum, tandemque tolli funditus debuiſſe? An eſt uſque ſcriptum in ſacris litteris, ultra quarti, quintive ſeculi anguſtiis dona ſpiritus produci non oportere (2)? Sed de his ſatis dictum eſt, quod ſimilia diſputarim, cum de miraculis agerem (3).

§. III.

„ le. Cum vero tredecima dies (vera narro, adeoque vera, ut celare volentem conſcientia cogat effundere, quod Dominus impertiit, non ignorans quanti me contumeliis, riſibuſque exponam) Cum inquam tredecima lux Aprilis appeteret, viſus ſum mihi in ſomno multo cum tædio denuo contendere cum adverſario (Scriba) ſicque obmutuiſſe, ut quod verum ſcirem, negante lingua beneficium ſuum, proloqui non poſſem: qui me angor, ut ſolent nonnumquam ſomnia fallaci ludere nocte..... vehementer turbare videbatur. Ibi ἀπὸ μηχανῆς viſus eſt monitor adeſſe (ater fuerit, an albus, nihil memini, ſomnium enim narro) qui diceret, quin ignave reſpondes ei, quod Exodi *cap.* XII. ſcribitur, *eſt enim Phaſe*, hoc eſt tranſitus Domini „. Hæc probat Witſius *ibid. pag.* 380.

(2) Vide quæ dixi *pag.* 393. *not.* 2.

(3) Cauto quidem eſt opus, ut viſa vera a falſis diſtinguantur. Idque jam diligenter ab Eccleſia Romana curari certum eſt. Extat Dominici Gravinæ Ord. Præd. opus *de diſcernendis veris a falſis viſionibus, & revelationibus: editum Neapoli an.* 1638. Ante annos aliquot vulgatus ab Euſebio Amort Canonico Regulari de eodem fere argumento liber eſt ſolidæ doctrinæ, & eruditionis plenus.



§. III.

Quemadmodum miraculis, rerumque futurarum præsensione, atque visis, quæ primis Ecclesiæ seculis obtinuerant, latius propagata Christiana religio fuerit.

INterea quem fructum horum donorum Patres tulerint, demonstrandum est. Igitur etsi oraculis Prophetarum, & miraculorum, quæ a Christo patrata sunt, descriptione, morumque sanctitate, qua maxime florebant, Apostoli inducere permultos ad Christianam religionem amplectendam solerent, tamen quemadmodum illi *Domino cooperante, & sermonem signis confirmante* (1) magnam hominum multitudinem ad nostra sacra pertraxerant, ita majores nostri hisce quoque præsidiis eguerunt, quibus fines Ecclesiæ dilatarent. Nam cum homines permulti ita sint animis comparati, ut si alia opinione ducantur, moveri nolint narratione rerum diu ante gestarum, ut alteri, quam non modo non probent, sed etiam aversentur, sententiæ accedant; tum si iis præsentibus prodigium aliquod patretur, perfacile induci ad deserendam, quam antehac consectabantur, superstitionem possunt. Ac creditu sane difficile est, Ethnicos, qui tanta in pravitate opinionum, morumque improbitate versari nostros existimabant (2), tam repente, quin ullo umquam permoti prodigio fuerint, immutari potuisse, ut quos incestos, quos homicidas, quos veneficos, quos reos omnium scelerum vocabant, eosdem castos, justos, omnibus virtutibus ornatos esse arbitrarentur. Estque jam ab antiquis Christianis memoriæ proditum de primis Apostolorum discipulis, amplificasse eos fines Ecclesiæ & morum integritate, & sermone, & præsidio (3) miraculo-

(1) *Marc. extremo cap. Evang.*

(2) Vide *cap.* III. *libri* I. *hujusce operis*.

(3) Eusebius *Hist. Eccl lib.* III. *cap.* XXXVII. *pag.* 133. *edit. Cantabrigiensis*. „ Eadem tempestate, *inquit*, floruit etiam Quadratus, qui cum Philippi filiabus prophetica gratia illustris fuisse memoratur. Præter hos alii quoque complures ἄλλοι δ' ἐπὶ τούτοις πλείους eodem tempore viguerunt, inter Apostolorum successores principem obtinentes locum: qui utpote discipuli tantorum virorum admirabiles plane, ac divini, Ecclesiarum fundamenta, quæ variis in locis Apostoli primum jecerant, additis ædificiis extruxerunt: prædicationem Evangelii magis ac magis promoventes, & salutaria Regni cælestis semina per universum terrarum orbem late spargentes. Siquidem plerique ex illorum temporum discipulis, quorum animos ardentioris Philosophiæ desiderio verbum divinum incenderat, Servatoris nostri præceptum jam antea expleverant, divisis inter egentes fa- „ cul-

rum. Quod ipsum de sua ætate (1) Irenæus testatur in iis libris, qui sunt contra hæreses perscripti. Eodemque spectant Tertulliani (2), Minucii Felicis, Origenis (3), aliorumque Patrum, ubi quisque eorum de sua ætate disserit, testimonia. Scriptum præterea a Basilio Magno est, visis, prodigiisque præsertim Neocæsarienses a Gregorio fuisse inductos, ut mysteriis Christianæ religionis initiarentur (4). Quinetiam in Actis Sanctorum Martyrum genuinis legimus, non paucos ob visa (5), atque prodigia superstitionem idolorum rejecisse, fuisseque Christianos factos. Ex horum numero Arnobium unum fuisse ferunt. Nam is insomnio permotus ad Episcopum accessit,

„ cultatibus suis. Deinde relicta patria peregre proficiscentes, munus obibant Evangelistarum, iis, „ qui fidei sermonem nondum audivissent, Christum prædicare, & sacrorum Evangeliorum libros tra„ dere satagentes. Hi postquam in remotis quibusdam, & barbaris regionibus fundamenta fidei jece„ rant, alios'que pastores constituerant, & novellæ plantationis curam iisdem commiserant, eo con„ tenti ad alias gentes, ac regiones, comitante Dei gratia, ac virtute properabant. Quippe divi„ ni spiritus vis, ac potentia, multa per eos miracula etiam tum operabatur. Adeo ut prima statim „ audita prædicatione, universi simul populi veri numinis cultum promtissimo animo susciperent. Ce„ terum cum fieri nullo modo possit, ut singulos nominatim recenseamus, quotquot primis illis Apo„ stolicæ successionis temporibus per omnes orbis terrarum Ecclesias Antistites, aut Evangelistæ fue„ tunt, eorum duntaxat nomina hic commemorare statuimus, quorum monumenta Apostolicam illo„ rum doctrinam continentia adhuc supersunt „. Quod testimonium, etsi longiusculum, huc esse transferendum putavi, quod ita instituti ratio posceret primum, deinde quod Vitringæ eo refellatur opinio, ajentis minus diligentes in propaganda religione Apostolorum discipulos, post Petri, Paulique Martyrium, fuisse. Vide quæ diximus *cap.* VI. *hujus lib.* in παρέργῳ adversus Vitringam.

(1) *Lib.* II. *cap.* LVI. LVII. *pag.* 188. *& seqq. edit. Grabii*, & apud Eusebium *lib.* V. *cap.* VII. *Hist. Eccl. pag.* 218. *edit. Cantabr.* quo loco ad *opitulationem gentium miracula* suo tempore a Deo prece Christianorum fieri solita scribit.

(2) Cum enim Tertullianus locis supra indicatis *Ethnicos* hortetur, ut adsint, videantque, quæ prodigia fieri in Ecclesia soleant, incredibile est, quod permulti non fuerint assensi, ut adessent, cernentesque, quæ fierent, converterentur, quod ipsum est de Minucio, cujus supra est testimonium recitatum, dicendum.

(3) Origenes *l.* I. *cont. Cels. num.* 46. *pag.* 361. *T.* I. *opp. edit. Monachor. S. Mauri*. Multos *pene invitos* ad Christiana sacra pertractos tradit „ spiritu quodam repente mutante intellectum eorum ab „ odio, quo erga Deum detinebantur, ita ut ipsius gratia non cunctarentur mortem oppetere, post „ visiones oblatas ipsis vel dormientibus, vel vigilantibus. Consule etiam, quæ producta a me paullo ante sunt *pag.* 388. *not.* 4.

(4) Consule Basilium Magnum *lib. De Sp. S. cap.* XXIX. *pag.* 62. *Tom.* III. *opp. edit. Monachor. S. Mauri*.

(5) Vide quæ dixi de Potamiæna M. *pag.* 398. *not.* 7. Consule Acta SS. MM. Luciani & Marciani apud Ruinart. *pag.* 141. *edit. Veron. Acta S. Vincentii Martyris apud eumdem pag.* 327. *Acta S. Quirini Episcopi, & Martyris, pag.* 439. *apud eumdem*, & quæ dixi de SS. Quadraginta Martyribus *pag.* 403. Celebre est, quod de Natali scribunt Eusebius *lib.* V. *Hist. Eccl. cap.* XXXVIII. & Theodoritus *Haret. Fabular. lib.* II. *cap.* V. Atque Eusebius quidem *pag.* 253. *edit. Cantabr.* „ Erat quidam „ Natalis, *inquit*, nomine Confessor, qui non ita pridem, sed nostra ætate vixit. Hic forte in „ fraudem inductus est ab Asclepiodoto, & altero quodam Theodoto Argentario..... Hi persuase„ runt Natali, ut accepto salario hæresis illius Episcopus crearetur..... Sociatus igitur illorum par„ tibus sæpe a Domino corripiebatur in somnis..... Sed cum nocturnas ejusmodi visiones negli ge„ ret...., tandem a Sanctis Angelis per totam noctem flagris cæsus, & gravissime verberatus est. „ Adeo ut primo diluculo consurgens, saccum induerit, & cinere conspersus, confestim cum lacry„ mis ad pedes Zepherini Episcopi sese abjecerit &c. Mitto cetera exempla, quæ longius me, si afferrentur, abducerent.

acceſſit, baptiſmoque initiari (1) petiit. Sed cum Epiſcopus, ne ſimulate ageret, vereretur, non ante ei, quod flagitarat conceſſit, quam vulgatos ab ipſo libros contra errores, ſuperſtitionemque Ethnicorum vidiſſet. Quid? Si integras (2) nationes ob prodigia, & viſiones ad Chriſtum acceſſiſſe, neglecta idolorum inani religione, conſtet?

Atque hoc quidem modo prodigiis aucta, atque propagata res Chriſtiana fuit. Quod ſane plurimum ad veritatem miraculorum in Eccleſia factorum comprobandam confert. Nam etſi miracula Ethnici, & hæretici jactarent, tamen utraque ſuperſtitio, detectis fraudibus, deleta funditus eſt, manſitque ſemper integra Orthodoxa religio. Erat autem facile Majoribus noſtris demonſtrare, quam eſſent oſtenta, & prodigia in templis, ariſque Ethnicorum patrata plena fraudis, & præſtigiarum. Pleraque enim oracula, atque oſtenta Sacerdotum artibus, doliſque fiebant; quæ res non ſolum a noſtris, ſed etiam ab Ethnicis ipſis detecta interdum (3) eſt. Cetera ma-

(1) Vide S. Hieronymum *in Append. ad Chronicon Euſebii pag 186. edit. Pontaci*.

(2) Socrates *lib. 1. Hiſt. cap.* xx. *edit. Valeſii*, xvi. *edit.* Chriſtophorſoni: Quemadmodum Iberes ad Chriſti fidem ſeculo Eccleſiæ iv. converſi fuerint, narrat. Incolebant hi regionem, quæ eſt prope Pontum Euxinum. „ Mulier, *inquit*, captiva cum inter barbaros verſaretur, pietatis ſtudio „ ſe totam dicavit . . . . . Accidit, ut regis filius ætate admodum tener in gravem morbum delabere- „ tur . . . . . Tandem ad captivam deductus eſt. Illa multis mulieribus præſentibus . . . . . precata eſt „ . . . . . confeſtim convaluit puer, recteque deinceps ſe habuit „. Mox reginam quoque a morbo, & Regem a præſenti periculo extemplo liberatum, ſcribit. Concludit denique: Regem hujus piæ mulieris hortatu Chriſti fidem amplexum, ceteroſque, qui Templum Deo Chriſtianorum extrui, columnamque nulla vi moveri, tandemque mulieris prece ſua ſponte erigi, baſique imponi vidiſſent, ad Chriſtiana ſacra acceſſiſſe. Eadem narrant Rufinus *lib. 1. cap.* x. *H. E.* Sozomenus *lib.* II. *cap.* vii. Theodoritus *lib. 1. cap.* xxiv.

(3) Etſi perſuaſum ſemper majoribus noſtris fuerit, prodigia, quæ fieri ad aras, & Idola falſorum numinum, atque oracula, quæ fundi viderentur, partim fraudibus Sacerdotum, partim præſtigiis dæmonum eſſe tribuenda; tamen inventi ſuperiore, atque hoc ſeculo ſunt, qui nullas in iis rebus umquam dæmonas habuiſſe partes contenderent. Antonius Van Dale Medicus homo de ſecta Anabaptiſtarum primus, quod ſciam, fuit, qui *Diſſertatione* II. *de Oraculis* copioſe in eam ſententiam diſputarit. Eum eſt deinceps elegantiſſimus Fontenellus ſequutus *differt. ſ. hiſt. Oraculor. pag.* 244. *& ſeqq. edit. ann.* 1728. *T.* 1. *opp.* Utrumque autem diligenter confutavit P. Baltuſius S. J. Theologus *edito ſingulari* de hoc genere argumenti opuſculo. In Baltaſium invectus acriter Jacobus Baſnagius eſt. Sed etſi fuerint nonnulli e Proteſtantibus, qui ei aſſentirentur, tamen extorquere a doctioribus non potuit, ut omnia impoſturis Sacerdotum facta concederent. In his eſt Johann. Laurentius Moshemius *in not. ad Cudvort. p.* 862. 875. Atque fraude quidem aliqua excogitata fuiſſe conſtat, teſtimoniis Clementis Alexandr. *in* II. *Stromat. libro*; Origenis *l.* vii. *contra Celſum n.* 3. *p.* 695. *T.* 1. *opp. edit. Monach. S. Mauri*: qui tamen non ita agit, ut dæmones præfuiſſe hujuſmodi oraculis aliquando, neget. & Euſebii Cæſarienſis qui *l.* iv. *cap.* II. *pag.* 135. *edit. an.* 1628. præter alia multa ſic habet „ Nuper etiam, noſtraque memoria di- „ vinæ hujus ſapientiæ clariſſimos, cum ad Romana tribunalia rapti eſſent, quæſtionum vi adactos, „ univerſum hoc fraudis genus ad homines decipiendos comparatum declaraſſe, totumque negotium „ præſtigias eſſe arte compoſitas faſſos fuiſſe. Atque hi omnem molitionis occultæ rationem, totam- „ maleficæ artis ludificationem, verbis ipſiſſimis, quibus rem ante patefecerant, in Acta publica re- „ tulerunt: ſicque juſtas exſecrandis fraudis pœnas luentes, quidquid latebat, evulgarunt, quæque no- „ ſtra oratione produntur, ea rebus ipſis in omnium luce comprobarunt.

ra malorum dæmonum præstigiis perficiebantur, quos aut signo crucis, aut invocato Christi nomine, aut prece denique Christiani ex iis locis excedere, mortalesque decipiendi finem facere (1) cogebant. Ethnici permulti, qui Deos suos nostris hominibus subiici viderent, miracula, quæ a Christianis fierent, nisi ex Deo vero proficisci

(1) Hoc ni ita fuisset, qua fronte ausi fuissent Majores nostri affirmare, acturos se, invocato Christi nomine, ut qui in Idolis, & templis Ethnicis illuderent, ii sese dæmones malos esse confiterentur? Vide quæ supra attulimus *pag.* 390. *& seq.* Tertulliani, aliorumque PP. loca. Præterea Cyprianus *in eo libro*, quem ad Demetrianum *scripsit pag.* 191. *edit. Brem.* „ Veni, *inquit*, & cognosce vera „ esse, quæ dicimus. Et quia sic Deos colere te dicis, vel ipsis, quos colis crede, aut si volueris „ & tibi credere, de te ipso loquetur, audiente te, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæca- „ vit. Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas, timeri ab eis, quos tu adoras. Videbis sub manu „ nostra stare vinctos, & tremere captivos, quos tu suspicis, & veneraris, ut dominos. Certe vel „ sic confundi in istis erroribus tuis poteris, quando conspexeris, & audieris Deos tuos, quid sint, „ interrogatione nostra statim prodere, & præsentibus licet vobis, præstigias illas, & fallacias suas „ non posse celare „. Eodem pertinent, quæ disputant Tertullianus *l. c. pag.* 390. *not.* 2. Minucius Felix *in Octavio pag.* 252. *& seqq. edit. an.* 1672. Lactantius *l. c. supra pag.* 390. *not.* 4. Rursum nisi dæmones ad simulacra, ac delubra illudere Ethnicis consuevissent, quo tandem modo aut signo Crucis, aut prece Christianorum, quam Ethnici non intelligerent, neque audirent, Sacerdotes Idolorum cognoscere poterant, præsentem esse aliquem, qui aut sacrificia impediret, aut ne responsa a diis darentur, cogeret? Vide Acta *S. Symphorosæ M. apud Ruinart. num.* 5. *pag.* 20. *edit. Veron.* Acta SS. Luciani, & Marciani *ibid pag.* 145. Prudentium *lib.* περὶ στεφάνων *hymno* v. *qui est de S. Vincentio, & apud Ruinart. pag.* 331. *ejusd. edit.* Confer præterea, quæ supra *pag.* 389. *de Asturio*, & de persecutione a Valeriano excitata dixi, *& L. Cæcilium cap.* x. *pag.* 196. *Tom.* II. *opp. Lactant.* & Lactantium *lib.* IV. *cap.* XXVII. *Divin. Instit. pag.* 345. *edit. Paris. an.* 1748. ubi „ Cum diis suis „ immolant, *inquit*, assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant.

„ *Nec responsa potest consultus reddere vates.*

„ Et hæc sæpe caussa præcipua justitiam persequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam Ministro- „ rum nostri sacrificantibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo, deos illorum fugaverunt, „ ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cum intelligerent haruspices, instigan- „ tibus iisdem dæmonibus, quibus prosecant conquerentes, profanos homines sacris interesse, ege- „ runt principes suos in furorem &c. Hæc igitur argumenta, & signa erant, quibus Christiani inducebantur; at dæmones interdum præstigiis suis Ethnicis illudere ad delubra, & simulacra solere inducebantur. Nam quod Van Dale, & Fontenellus pugnant, rationes alias potissimam fuisse, quibus ad eam tuendam Patres permoti sint, partim falsum omnino, partim dubium est. Cur enim ad alias confugerent, qui tam manifestas in promtu haberent? Neque enim verum est, inductos illos in eam opinionem fuisse. I. Quod miranda quædam de oraculis scripta ab antiquis gentilibus cernerent. II. Quod oracula cessasse circa Christi tempore dicerentur. III. Quod Philosophandi rationem Platonicam probarent. Quemadmodum namque adjunxissent veteribus illis fidem, quorum auctoritatem sæpe neglexerant? Sed quia similia fieri ad simulacra sua ætate cognorant, non esse ea, quæ veteres tradiderant omnino neganda putabant. De cessatione oraculorum non nego fuisse aliquos, qui ita sentirent, ea tamen omnino cessasse ubique non putabant, cum ipsi responsa dari a dæmonibus plerumque, suo etiam tempore, audirent. Nihilo magis verum est, quod de Philosophia Platonica statuit Fontenellus. Negari quidem non potest, quin aliqua Platonis decreta Patres probarint, quod similia esse Christianis arbitrarentur. Sed Platone non indigebant, ubi erat de oraculis sermo, ut qui suis ipsi oculis viderent, quæ dæmones patrare consuessent. Omnes autem de oraculis narrationes veterum Historicorum falsas esse, aut suspectas falsitatis, probari a Fontenello, & Van Dale numquam poterit. Ut ne illud quidem, quod addit Fontenellus, componi sententiam de oraculis cum religionis Christianæ decretis non posse. Quo enim modo scriptor Orthodoxus sententiam tam antiquam, tam late patentem, tam penitus insitam, audet dicere pugnare cum Christiana religione videri? At non eodem pacto Lucam redarguet, qui a Paulo spiritum Pythonicum ejectum e muliere scripsit fuisse in Actis *cap.* XVI. *v.* 16. *& seqq.* qui spiritus responsa reddere solere t? Si ergo Ethnici imponi sibi ab eo patiebantur, cur item passi non fuissent, ut sibi a dæmonibus

in

ficisci intelligebant, itaque abiicere superstitionem, veramque pietatem colere statuebant.

Erat autem discrepans ratio dijudicandorum miraculorum, visorumque, quæ apud hæreticos contingere dicebantur. Etenim enthusiasmum (1) illum, atque furorem, quo agitati Cataphrygæ, atque nonnulli alii hæretici, oracula fundere, visaque cernere credebantur, certum erat procedere ex divino Spiritu nequire. Præterea nihil agebant eorum, quæ magicis artibus, præstigiisque effici non posse viderentur. Pellere (2) enim dæmones non valebant. Rursum neque cæcis, quos cæcos revera ante fuisse constitisset, neque ambulandi facultatem claudis, neque vitam mortuis restituere poterant. Jam vero ab Ecclesia Orthodoxa impetrabantur magna non eorum modo, qui credidissent (3), sed etiam Ethnicorum, Hæreticorumque utilitate (4).

CAPUT

in sacrificiis, oraculis &c. procurandis imponeretur? Quod si de dæmonibus opinio non satis bene a Philosophis constituta fuit, erantque sectæ, quæ oracula negarent, parvi refert. Quid enim gentiles moror, cum scriptura tradat, quid sit de dæmonibus sentiendum? Deinde si sectæ quædam rejecerunt oracula, sustulerunt etiam providentiam, quin huic Dei attributo quidquam detraxerint. Postremo quod Clementem Alex., quod Origenem, quod Eusebium oracula in fabulis omnia numerasse Fontenellus dicit, falsum est. Consulendi illi Scriptores loc. indic. not. superiore.

(1) Habuerunt majores nostri notas quasdam, quibus nunc etiam utimur, quibus falsa a veris prodigiis, visisque distinguerent. Adeo autem receptæ erant, ut in controversiam minime revocarentur. Cur enim antichristiana esse quædam dixissent, si nullum habebant, quo eadem distinguerent, signum? Furorem illum, quo quis mente captus, agitatusque responsa dabat, enthusiasmi, non spiritus Prophetici indicium esse putabant in Montanistis. Si quid præterea incantatione perficiebatur, hoc in numero præstigiarum habebant. Quæ cum Evangelio componi, cumque Ecclesiarum traditione non poterat, ex Deo proficisci negabant posse.

(2) *Lib.* II. *cap.* LVI. & apud Eusebium *loc. cit.* „ Super hæc arguentur, *inquit*, qui sunt a Si„ mone, & Carpocrate, & si qui alii virtutes operari dicuntur non in virtute Dei, neque in veritate, „ neque in beneficiis, hominibus facientes ea, quæ faciunt, sed in perniciem, & errorem per magicas „ illusiones, & universa fraude: plus lædentes, quam utilitatem præstantes his, qui credunt eis in „ eo quod seducant. Nec enim cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes dæ„ mones effugare præter eos, qui ab ipsis immittuntur, si tamen & hoc faciunt, neque debiles, aut „ paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos, vel earum, quæ a foris accidunt, in„ firmitatum bonas valetudines restaurare. Tantum autem absunt ab eo, ut mortuum excitent, quem„ admodum Dominus excitavit, & Apostoli per orationem, & in fraternitate sæpissime propter aliquid „ necessarium, ea, quæ est in quoquo loco, Ecclesia universa postulante per jejunium, & supplicatio„ nem multam, reversus est spiritus mortui &c. Vide Eusebium *lib.* v. *cap.* XVI. *Hist. Eccl. pag.* 227. *& seqq. edit. Cantabrig.* quo loco Maximillæ spiritum a Zotico Comanensi, & Juliano Apameno detectum fuisse dæmonem scribit. Contra Catholicorum erant miracula hujusmodi, quæ a dæmone fieri non possent. Aliqua narrantur apud Eusebium *lib.* v. *Hist. Eccl. cap.* I. Vide supra *pag.* 203.

(3) Id vero ne Dodwellus quidem negat. Nam prece Narcissi factum de aqua in oleum conversa prodigium fuisse putat, commodo & utilitate Orthodoxorum *dissert.* 2. *in Iren. pag.* 580.

(4) Huc spectat Natalis factum, de quo paullo ante dixi: *pag.* 410. *n.* 5.

CAPUT VIII.

De Perſequutionibus, quibus Catholica Eccleſia quatuor primis ſeculis vexata ab Ethnicis eſt: de maxima Sanctorum Martyrum multitudine: deque aucto inde numero Chriſtianorum.

§. I.

De Perſequutionibus, quæ plebis tumultu excitari adverſus Chriſtianos ſolebant.

Perſequutionum adverſus Chriſtianos duo genera fuerunt. Alterum genus fuit earum, quæ furore, atque impetu plebis oriebantur; alterum, quæ commotæ erant edictis Imperatorum. Poſtulat autem inſtituti ratio, ut de iis priore loco dicam, quæ populi tumultu concitatæ ſunt. Ac de iis quidem, quæ vivis Apoſtolis contigerunt, diſputatum ſupra eſt ſatis, ut exiſtimo, accurate. Supereſt, ut de ceteris deinceps dicendum eſſe videatur.

Principio Judæi id nixi vehementer ſunt, idque maxime laborarunt, ut quos poſſent noſtrum, interficerent (1). Eorum autem exemplum ſunt Ethnici (2) imitati. Itaque ſub Veſpaſiano, etſi latæ peculiares leges contra Chriſtianos nullæ fuerant, tamen ſuſpicari quis poterit, eo tempore impetum in eos fuiſſe (3) interdum factum. Eſt

(1) Juſtinus Martyr *Dial. cum. Tryph. pag.* 192. *& pag.* 204. *edit. Monachor. S. Mauri*. Adeundus etiam Tertullianus *Apolog. cap.* XXI. *pag.* 211. *edit. Havercamp.*

(2) Rurſum Juſtinus *in Dialogo cum Tryphone pag.* 323. *edit. an.* 1615. „ Aliæ item nationes, *inquit*, ἔτ' ἄλλα ἔθνη, quæ ad rem quoque factis conferunt execrationem, eos, qui ſe tantummodo Chriſtianos eſſe fatentur, neci dedentes . . . . . Et cum ſuaſionibus noſtris, neque illi, neque vos moveamini, ſed ut nomen Chriſti negemus adurgeatis, morte potius (*quam ut id faciamus*) multari optamus, & toleramus, *& pag.* 337. Colliges Deus, *inquit*, *Eccleſiam* anguſtiis affectam, hoc eſt ex orbe terrarum ejectam, quantum in vobis, & aliis cunctis mortalibus eſt ſitum, quandoquidem non ſolum ex poſſeſſionibus ſuis Chriſtianorum quiſque exigitur, verum etiam in mundo toto nemini eorum vivere permittitur &c.

(3) S. Apollinaris ſub Veſpaſiano martyrii gloriam adeptus fuiſſe fertur. Non utar Actis Martyrii, quæ ſane aut vitiata, aut conficta ſunt, ut eſt demonſtratum a Tillemontio. *Tom.* II. *memor. Hiſt. Eccl.* Medio ſeculo VII. Maurus Archiep. Ravennas paucla Acta S. Apollinaris deſcribi, inſculpique laminis argenteis tribus curavit. Anno 1173. cum tranſlata ſacra Martyris lipſana fuiſſent in alium locum, inventæ laminæ ſunt, quarum tertia, ut refert *Synchronus Auctor ſpicileg. Hiſt. Ravennatis*, ſic habet „ Hic fuſtibus cæſus eſt. Diutius ſuper prunas ſtetit. Equuleo appenſus, denuo verberatus, ſuper plagas aquam recepit fervidam . . . . . Defunctus eſt ſub Veſpaſiano Cæſare Auguſto X. Ka-
„ lend.

Eſt vero auctor Athenagoras in legatione pro Chriſtianis (1), quæ circa an. 177. ſcripta eſt, a ſycophantis noſtros jactari ſolitos fuiſſe. Quo ſane tempore teſtata res eſt, plebis ſurore in Galliis fuiſſe vexatos, raptoſque ad ſupplicium eos, qui ſe Chriſtianos eſſe profiterentur (2). Atque ea, quæ in Aſia coorta adverſus Chriſti ſectatores tempeſtas eſt, cum M. Antoninus Imperium obtineret, initium e populi tumultu (3) cœpit. Quinetiam mortuo Marco Antonino, etſi lata a Commodo edicta non eſſent, quibus quæri Chriſtianos ad necem præſcriberetur; (erat enim in noſtros propenſior, quam eſſe ſuperiores principes conſueſſent) tamen ſævitum acriter in eos fuiſſe, memoriæ traditum a Theophilo (4) Epiſcopo Antiochenorum fuit, ſcriptore diligenti imprimis, & eorum temporum æquali. Queſtus præterea Tertullianus eſt vicem Chriſtianorum, qui etſi mites experti

„ lend. Auguſt. . . . . Niſi forte *Veſpaſiani* nomine Intelligendus Domitianus ſit, ut Arlngus *lib.* III. *Rom. ſubterr. cap.* XXII. *pag.* 340. de Domitiano intelligi oportere putat.

SIC . PRAEMIA . SERVAS . VESPASIANE . DIRE
CIVITAS . VBI . GLORIAE . TVAE . AVTORI
PRAEMIATVS . ES . MORTE . GAVDENTI . LETARE
PROMISIT . ISTE . DAT. CHRISTVS . OMNIA . TIBI
QVI . ALIVM . PARAVIT . THEATRVM . IN . CELO

Sed de hac inſcriptione erit alibi opportune dicendum, cum de Domitiani perſecutione agam.

(1) Athenag. *Legatione pro Chriſtianis inter opera Juſt. Mart. edit. Monachor. S. Mauri p.* 280. „ Ac vos obſecramus, ut & de nobis aliquid cogitetis, quo tandem aliquando a ſycophantis mactari „ deſinamus ...... Corporibus ac vitæ noſtræ, poſtquam projecerimus pecunias noſtras, inſidiantur.

(2) Act. Mart. Lugd. apud Euſebium *lib.* V. *Hiſt. Eccl. cap.* I. *pag.* 199. *edit. Cantabr.* „ Et gravitatem quidem ipſam ærumnarum, & gentilium adverſus Sanctos furorem, ac rabiem, quæque & „ quanta Beati Martyres perpeſſi ſunt, nec nos exprimere dicendo, nec quiſquam ſcribendo comple- „ cti accurate poſſit. Omni ſiquidem virium impetu in nos irruit adverſarius . . . . . Ac primum qui- „ dem quæcumque a populo univerſo acervatim ingerebantur, conſtantiſſime tolerarunt. *Et pag.* 201. „ Præcipue vulgi, ac Præſidis, & militum furor univerſus incubuit in S. Diaconum Viennenſem. Atque hæc omnia plebis tumultu, Præſidiſque improbitate contigiſſe inde etiam conſtat, quod ut habet ibidem Euſebius *pag.* 207. poſt datæ litteræ ad Imperatorem fuerint, ut de his, qui ſuperfuerant, Confeſſoribus, quid eſſet ſtatuendum cognoſceretur. Vide etiam Acta SS. *Epipod. Alexandri* apud Ruinartium *pag.* 63. *edit. Veronenſis*, ubi hæc inter alia habentur „ Judices, Officiales, Tribuni, vulgus „ certatim indiſcreto etiam ſexu, Chriſtianos multiplici crudelitate laniabant &c.

(3) De perſequutione Aſiatica Melito Sardianus apud Euſebium *lib.* IV. *Hiſt. Eccl. cap.* XXVI. *pag.* 189. *edit. Cantabrig.* „ Impudentiſſimi delatores, & alienarum opum cupidi, *inquit*, ex edictis occaſio- „ nem nacti, palam diu noctuque graſſantur, ſpoliantque homines innoxios . . . . . Quod ſi hæc tuo „ juſſu (Marce Antonine Imperator) fiunt, recte, atque ordine facta ſunt . . . . . ſin vero illud con- „ ſilium, atque edictum plane inauditum . . . . . numquam a te profectum eſt, obſecramus te multo ma- „ gis, ne nos hujuſmodi publico latrocinio vexari permittas.

(4) Theophilus extremo *tertio libro ad Autolycum pag.* 140. *poſt opp. S. Juſt. Mart. edit. an.* 1615. „ Præterea, *inquit*, Chriſtianos, qui verum Deum venerantur, (Ethnici) hactenus ſunt perſequuti, „ nec adhuc hodie perſequi ceſſant: immo iis, qui verborum quibuſdam illecebris Deum convieiantur, „ præmia, & honores decernunt, quoſdam eorum, qui feſtinant ad virtutem capeſſendam, & ſanctam „ vitam agunt, lapidibus obruere, quoſdam interficere. Adhuc hodie non ceſſant Chriſtianos crude- „ liſſime, & inhumaniſſime virgis cædere.

perti superiores Imperatores fuissent, nihilominus id curari ab Ethnicis cernerent, ut ejus religionis nomen funditus deleretur. Quare si qua re adversa respublica premebatur, continuo malevoli, quasi nostri origo essent malorum, Christianos clamabant exponi bestiis, lacerari, atque interfici oportere: neque vero clamabant solum, sed etiam clamando facile, quod expeterent, consequebantur (1).

Post annum 250. Saturninus Episcopus Tolosanorum, cum a nescio quo perdito homine accusatus apud sacerdotes Idolorum esset, quod impediret, ne quæ a falsis numinibus oracula funderentur, populi tumultu, atque seditione comprehensus fuit, cumque sacrificare noluisset, dire cruciatus, postremoque affectus extremo supplicio est (2). Quinetiam etsi anno circiter 262. pace Ecclesia fruebatur, tamen Marinus miles Cæsareæ in Palæstina, quod Christianus esset, Achæi Judicis jussu in jus vocatus, martyrii gloriam consequutus est (3). Atque etsi nullæ essent latæ ab Imperatoribus leges, quibus Duces exercituum sævire in milites Christianos juberentur; tamen illi potestate, qua erant poliri, abutebantur, & aliquos ob religionis Christianæ cultum capitis condemnabant (4). Neque vero in Urbe, Provinciisque Populi Romani modo, sed etiam in iis regionibus, quæ barbaris regibus parerent, sævitum acriter in eos fuit, qui Christiana sacra consectarentur, & colerent. In Perside namque

(1) Tertullianus *Apologetici cap.* XL. *edit. Haverc. pag.* 339. „ Existimant omnis publicæ cladis, „ omnis popularis incommodi, Christianos esse in caussa. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non „ ascendit in arva, si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem „. Multa hujusmodi apud eumdem extant, quæ referre longum est.

(2) Vide Acta apud *Ruinart. pag.* 109. *& seq. edit. Veron.*

(3) Apud Eusebium *lib.* VII. *H. E. cap.* XV. *pag.* 341. *edit. Cantabrig.*

(4) Eusebius *Hist. Eccl. lib.* VIII. *cap.* IV. *pag.* 380. *edit. ejusd.* „ Quamplurimos referre possumus, qui pro vero supremi nominis culto admirabilem animi alacritatem declararunt, idque non solum ex quo adversus omnes Christianos excitata erat persequutio, sed & dudum antea, cum pax adhuc vigeret. Tunc enim cum diabolus, qui potestatem accepit hujus mundi, tanquam ex altissimo sopore excitari primum cœpisset, & post illud temporis intervallum, quod persecutionem Decii, ac Valeriani subsecutum est, clam adhuc, & occulte insidiaretur Ecclesiæ, nec simul, & confertim nobis bellum inferret, sed eos dumtaxat, qui in exercitu militabant, utpote periculum ipsorum facturus, appeteret, reliquos enim nullo negotio expugnaturum se credebat, si hos primum in certamine superasset: tunc inquam cernere erat quamplurimos, qui abjecta militia privatam vitam amplecti maluerunt, quam supremi omnium rerum opificis cultum abnegare. Postquam enim Dux Romani exercitus nescio quis, Christianos milites persequi aggressus, eos qui in exercitu merebant, lustrare cœpisset, ac recensere..... complures Regni Jesu Christi milites nominis illius confessionem sæculari gloriæ, ac felicitati, qua fruebantur, absque ulla cunctatione prætulerunt. Ex quibus pauci non modo dignitatem, verum etiam vitam amittere pro defensione pietatis sustinuerunt, cum is, qui religioni nostræ struebat insidias, parce adhuc, & raro sanguinem quorumdam fundere auderet, deterritus, ut credibile est, multitudine fidelium, & universis simul bellum inferre formidans. Verum ubi apertius se ad bellum accinxit, dici non potest quot, & quanti Christi Martyres in omnibus locis, atque urbibus passim cernere licuerit.

namque Saporis regis jussu magnam nostrorum multitudinem in extremos cruciatus venisse, propterea quod Christum ejurare, Solique sacrificare noluissent, traditum a Sozomeno, aliisque scriptoribus est, qui eam ætatem proxime attigerunt (1). Est autem auctor Sozomenus fuisse eorum numerum, qui passi (2) tunc temporis fuerunt, quorumque memoria recoli solebat, sexdecim millium: reliquorum vero innumerabilem pene multitudinem, quorum nomina ne recenseri quidem a Persis, Syrisque potuerint, qui in iis conquirendis plurimum diligentiæ, laboris, atque studii consumsissent. Sed de hoc persequutionum genere satis dictum esto, de quo reperiri vix arbitror posse aliquem, qui esse dubitandum putet (3).

§. II.

De Persequutionibus, quæ edictis Imperatorum sunt adversus Christianos concitatæ.

I.

De Neroniana.

ANno 64. Æræ Christianæ Neronis Imperatoris scelere (4) incensa Urbs fuit. Quamobrem erant ei cives vehementer irati. Ergo, ut ejus mali suspicionem ab se depelleret, Christianos tanti (5) flagitii

 reos

(1) Vide Sozomenum *libro* II. *Hist. Ecclesiastica cap.* VIII. & *Acta SS. MM. Orient.*, *qua anno* 1748. edidit *Romæ vir clarissimus Evodius Assemanus Episcopus Apameensis*.

(2) Sozomenus *ibid.* & *apud Ruinart. Act. MM. pag.* 502. *edit. Veron.*

(3) Recte Moshemius *cap.* V. *Hist. Eccl. sec.* I. § V. *pag.* 117. „ In provinciis passim vim Christianis „ perpetuo fere a plebe, aut præsidibus allatam esse, documentis exploratum est certissimis. Idque „ quum publica Imperatorum in illos edicta extarent, impune semper fieri licebat „. Senatus etiam jussu adversus Christianos Tiberii ætate nonnihil fuisse constitutum e *cap.* V. *Apologetici Tertulliani* colligitur, ubi de Tiberio, qui id impedierit, agis. Sed de hac re vide etiam infra §. II. *num.* 3.

(4) Suetonius *cap.* XXXVIII. *in vit. Neron.* „ Incendit, *inquit*, Urbem tam palam, ut plerique „ consulares cubicularios ejus cum stuppa, tædaque in prædiis suis deprehensos non attigerint. Tacitus *lib.* XV. *Annal. c.* XXXVIII. incertum id esse scribit: „ tametsi orta suspicio de illo esset, quasi fuisset incendii auctor. Consule Tillemontium *T.* I. *vit. Imperator. vit. Neron. art.* XVII. *pag.* 295. *edit. Veneta*.

(5) Tacitus *lib.* XV. *Annal. cap.* XLIV. „ Non ope humana, non largitionibus principis, aut Deum „ placamentis decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur. Ergo aboiendo rumori Nero „ subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appella- „ bat. Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum sup- „ plicio adfectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio, rursus erumpebat, non modo „ per Judæam originem hujus mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia, aut pudenda „ confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur: deinde indicio illorum multi- „ tudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt.

reos constituit, exquisitissimisque suppliciis cruciari, atque interfici præcepit. „ Nam eos aut ferarum tergis contectos laniatu canum „ interire, aut crucibus affigi, aut inungi, quo inflammari possent, „ imperavit, ut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis ure- „ rentur (1). Hi spectaculo suos Imperator hortos obtulit. Neque vero horum sanguine solum lui nefarium scelus, quod ab se perpetratum fuisset, voluit. Etenim ne iis quidem parcendum putavit esse, qui in Provinciis versabantur. Quod cum traditum non ab Orosio (2), & Sulpicio Severo modo, verum etiam a Lucio Cæcilio, atque a Tertulliano (3), & Melitone Sardiano (4), scriptoribus antiquis imprimis, indicatum sit, negari a (5) novis sine confidentiæ, temeritatisque nota non debuit. Nam quæ hi afferunt, ut vexatos in Provinciis Christianos minime fuisse demonstrent, nullius momenti sunt. Principio, quod Clemens Romanus ad Corinthios scripserit, casus adversos, qui Christianis Romanis contigissent, fuisse impedimento, quin sibi ad eos litteras ante dare licuerit, non efficit, leges nullas fuisse de vexandis ubique locorum nostris ab Nerone latas. Est enim eorum sententia ad veritatem propensior, qui anno circiter 97. æræ vulgaris scriptam fuisse priorem ad Corinthios a Clemente Epistolam arbitrantur (6), quo tempore frere Domitianus in Christianos

(1) Tacitus *ibid.* & Juvenalis Satyra 1. *v.* 155.

Pone Tigellinum, tæda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Ad quos versus Scholiastes, notat hoc modo „ Tigellinum si lædis (*Neronis Amicum*) vivus ardebis: „ quemadmodum in munere Neronis vivi arserant, de quibus ille jusserat acreos fieri, ut lucerent „ spectatoribus, cum fixa essent illis guttura „. Huc item fortasse spectat illa *tunica molesta*, de qua ille idem Juvenalis *sat.* VIII. *v.* 235.

Ausi quod liceat tunica punire molesta.

Ad quæ verba Scholiastes „ *Tunica*, inquit, *vestis ex charta facta, pice illita, in qua ignibus pœna addicti ardere solent*. Suetonius *cap.* XVI. *Afflicti suppliciis Christiani*, inquit, *genus hominum superstitionis novæ, ac maleficæ*.

(2) *Lib.* VII. *cap.* VII. *Sulpic. Sever. lib.* II. *hist. pag.* 146. *edit. Antuerp. an.* 1574. Lucius Cæcilius *de mort. Persecut. cap.* II. „ Cum animadverteret Nero non modo Romæ, sed ubique quotidie „ magnam multitudinem deficere a cultu Idolorum, & ad religionem novam, damnata vetustate, tran- „ sire, ut erat execrabilis, ac nocens Tyrannus, prosilivit ad excindendum cæleste templum, deleo- „ dumque justitiam „. Itaque, teste Cæcilio, ex edicto *persequutio* a Nerone fuit, quod Christianam religionem ubique propagari vidisset.

(3) Tertullianus *Apolog. cap.* V. Ubi Neronem inter persequutores numerat eos, qui in totam Ecclesiam sævierunt; non vero inter alios, qui peculiaria edicta contra Christianos vulgarunt, ut cum Trajano, cum Marco Aurelio, Antonino Pio &c.

(4) Melito Sardensis apud Eusebium *lib.* IV. *cap.* XXV. *Hist. Eccl. pag* 190. quo loco recenset item inter persequutores Christianorum Neronem eodem, quo Tertullianus, modo.

(5) Henrico Dodwello *diss.* XI. *Cyprianica sect.* XIII. & Samuele Basnagio *ad an. Christi* LXV. *n.* XX. Probabilem horum esse opinionem censet Christophorus Cellarius *diss.* IX. *de Neronis Claudii in Remp. & Eccl. sævitia num.* XXIV. *pag.* 698. *edit. dissert. Acad. an.* 1712.

(6) Vide Coustantium *Monit. in epist. ad Corinth.* I. *Clem. pag.* 7. *Tom.* I. *epist. Romanor. Pontif.*

ſtianos ceſſarat. Quamobrem miror, inveniri virum eruditum aliquem potuiſſe, qui hinc concluderet, vivo Nerone in Romanos quidem Chriſtianos fuiſſe acriter ſævitum, in Corinthios contra, alioſque, qui in Provinciis agerent, non item. Nec gravius eſt, quod ex ſilentio Euſebii (1) repetunt, qui a nobis diſſentiunt, argumentum. Cur enim Euſebii ſilentium nos moveat, ſi affirmet Lucius Cæcilius auctor diligens, qui eodem tempore atque ille Cæſarienſis Epiſcopus floruit? Quod enim tertio loco opponunt, ex Taciti verbis colligi perfacile poſſe, quod volunt, leve eſt. Etenim etſi Romæ cauſſa, cur in Chriſtianos animadverteret Nero, incendium Urbis fuit, cujus ab ſe ſuſpicionem amoliri hujuſmodi artibus curabat, tamen alia quoque addita a Tacito eſt, ob quam venire ceteri, qui longe abeſſent, in ſummum cruciatum deberent. Erat hæc odium generis (2) humani: quod non iis tantum, qui in Urbe manebant, ſed omnibus Chriſtianis per ſummam injuriam ab inimicis obiiciebatur. Quamobrem hac una contentus, quæ communis omnium Chriſtianorum erat, alteram de incendio, Suetonius (3) prætermiſit. Neque plus ineſt virium ei argumento, quod quarto loco ex Apologetico Tertulliani (4) concludunt: *Neronem ſcilicet, qui in hanc ſectam, tunc maxime Romæ orientem, Cæſariano gladio* animadverterit, in Chriſtianos ſolum Romanos *ferociſſe*. Nam, ut eſt recte animadverſum ab Havercampo (5), ſenſus verborum Tertulliani hic eſt: non alibi magis hanc ſectam tunc temporis, cum Nero imperaret, viguiſſe. Idque jam confirmari teſtimonio Taciti (6) facile poteſt. Quare tantum abeſt, ut Romæ ſolum ſævitum in Chriſtianos ab eo Imperatore dicat, ut cum ibidem eum inter perſequutores numeret, qui bellum, non parti alicui, ſed univerſæ Eccleſiæ indixerunt, ſatis indicet, edicta fuiſſe ab eo publicata, quibus omnes, qui Chriſtianam religionem profiterentur, cruciari, morteque affici juberet. Extremum quod afferunt de non conſervata Martyrum, qui in Provinciis deceſſiſſent, memoria, non magis me, quam ſuperiora, deterrere a ſententia poteſt. Quemadmodum enim contigerit, ut ea periret, neſcio; illud ſcio, memorari ab antiquis ſcriptoribus, commotam

 fuiſſe

(1) Sunt hæc argumenta a Baſnagio producta *l. c.*
(2) Vida Taciti locum ſupra deſcriptum.
(3) Loco paullo ante relato.
(4) *Tertull. l. c.* „ Conſulite Commentarios veſtros, illic reperietis primum Neronem Cæſariano „ gladio ferociſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur.
(5) *Havere. in l. c. Tertull. pag.* 59.
(6) *Loc. indic.*

fuiſſe in univerſo Romano imperio adverſus Chriſtianos ſæviſſimam tempeſtatem. Quod niſi ſufficeret ad id, quod ſentio, demonſtrandum, vereor ne multæ res in hiſtoria futuræ ſint, quæ pari licentia in falſis ponantur. Pati autem eos quis poterit, qui Lucium Cæcilium, hiſtoricum ſatis accuratum, & diligentem, uberius (1), quam res ipſa ferret, de Neronis ſævitia dixiſſe defendunt? Etenim ſi ea, quæ illis, propter monumentorum penuriam, obſcura videntur, refelli hac una ratione poſſent, qua uberius fuiſſe veteres loquutos reſpondent, quam res poſcerent, næ illis ſuppeteret modus, quo omnia eis ipſis perfacile evertere liceret.

Sed quamvis mihi vehementer probetur, quod eſt de vexatis Neronis tempore Chriſtianis ubique locorum, quæ in Romanorum ditionem veniſſent, tamen inducere animum aliqui nequeunt, ut arbitrentur, genuinam eſſe inſcriptionem, quam repertam in Luſitania fuiſſe ferunt, noſque retulimus libro ſuperiore (2). Cum enim laboratum maxime a Moraleſio (3) fuerit, ut eam inveniret, tum inveniri ne in iis quidem locis potuit, in quibus eam ſervari, qui ipſam publicarant, dixiſſent. Sunt præterea in ea nonnulla, quæ criticos aliquot deterruerint, ne eſſe ſinceram putarent (4).

I I.

De Domitianea.

Poſt Neronem Domitianus inſectatus Chriſtianos eſt, cum in cives Romanos ſævire deſiiſſet. Itaque ut ab Juvenali (5) propter crudelitatem *Nero*, ita a Chriſtianis & *portio Neronis* (6), & *non minor*

(1) Sic enim de Cæcilio cenſet Baſnagius *ibid.* (2) *Cap.* II. §. VII. *pag.* 83.

(3) *Ambroſ. Moral. lib.* IX. *General. Chron. Hiſpan. pag.* 265. *edit. an.* 1573. Neque vero is ſolum, ſed illi etiam, quos *l.* I. *c.* II. *p.* 83. nominavi, Scriptores eam inſcriptionem eſſe genuinam dubitant. At Baronius *ad an.* LXIX. *num.* XXVI. ſinceram eſſe putat. Ei aſſentitur Pagius *in Critic. ad an.* LXIV. *num.* IV. quo loco Scaligerum perſtringit, propterea quod ſine ullo momento ſuſpicatus ſit, eſſe eam fortaſſe in ſpurias rejiciendam.

(4) De hac perſecutione agunt, qui notationes in *L. Cæcil. lib. de Mortibus Perſecutor. ediderunt*, ut Baluzius, Tuinardus, Nourrius, aliique: Tillemontius *l. c.*, *&* *Tom.* I. *Mon. Hiſt. Eccl.* Pagius *l. c.* Ruinartius *Præfat. in Acta SS. MM.* & ex Proteſtantibus Thomas Ittigius *cap.* VI. *ſelect. H. E. capit. pag.* 323. *& ſeqq.* & Cellarius *l. c.*

(5) Satyra IV. *v.* 38.

..... *Et Calvo ſerviret Roma Neroni.*

Huic ſuccinit Auſonius de eodem Domitiano agens:

Cæſar, quem Calvum dixit ſua Roma Neronem.

(6) Tertullianus *cap.* V. *Apologet. pag.* 60. *edit. Havverc.* „ Tentaverat & Domitianus portio Nero-
„ nis de crudelitate, ſed qua & homo facile cœptum repreſſit, reſtitutis etiam, quos relegaverat,

minor (1) *tyrannus* , & *successor* (2) *Neronianæ* impietatis appellatus est . Anno circiter nonagesimo (3) quarto omnia cruciatus exempla edere in Christianos , non eos solum , qui Romæ , sed eos etiam, qui in Provinciis versarentur , cœpit . Ergo homo improbus , atque impurus Johannem Evangelisten (4) in dolium ferventi oleo plenum, si tamen est Tertulliano credendum, immitti , alios in exilium (5) pelli , multosque interfici præcepit . In his Gaudentius (6) , Anti-

(1) Lucius Cæcilius *cap.* III. *libri de Mortibus Persecutorum pag.* 186. *T.* II. *opp. Lactantii edit. Paris. an.* 1748. ,, Post hunc (Neronem) interjectis aliquot annis , alter non minor tyrannus ortus est , ,, qui cum exerceret injustam dominationem , subjectorum tamen cervicibus incubavit quamdiutissime , ,, tutusque regnavit , donec impias manus adversus dominum tenderet . Postquam vero ad persequen- ,, dum justum populum instinctu dæmonum incitatus est , tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas. ,, Nec satis ad ultionem fuit , quod est interfectus , domi etiam memoria nominis ejus erasa est . . . . . . ,, Rescissis igitur actis Tyranni , non tantum in statum pristinum Ecclesia restituta est , sed etiam multo ,, clarius , ac floridius enituit ,, .

(2) Eusebius *H. E. lib.* III. *cap.* XVII. *pag.* 18. *edit. Cantabrig.* ,, Ad extremum *Neronianæ impietatis , bellique , & odii adversus Deum* διάδοχον *successorem* seipsum professus est . Quippe hic ,, secundus persecutionem in nos concitavit , quamvis pater ipsius Vespasianus nullam umquam inju- ,, riam nobis inferre tentasset ,, .

(3) Vide Toinardum in adnotationibus *ad cap.* III. *lib. de Mort. Perseq. L. Cæcilii pag.* 398. *& seq. edit. Paris. an.* 1748. *T.* II. *opp. Lactant.* Et quæ infra a nobis contra Dodwellum disputata sunt. Pagius *Dissert. Hypat. pag.* 110. extremo anno XCIII. Christi cœptam in nostros persequutionem scribit . Idemque statuit in *Critic. Baron. ad an.* XCIII. *n.* IV. A quo equidem minime dissentirem , si solidiore argumento uteretur ad eam rem comprobandam . Nam quod ex vita Agricolæ a Tacito perscripta refert , felicem scilicet eum fuisse , quod Conlega, Priscoque Coss. (an. scilicet XCIII.) decimo Kalend. Septembres decesserit , evaseritque ,, postremum illud tempus , quo Domitianus , non jam per inter- ,, valla , ac spiramenta temporum , sed continuo , & veluti uno ictu , Rempublicam exhausit ,, *p.* 606. *& seq. edit. opp. Taciti an.* 1574. , nihil efficit aliud , quam ortam post Agricolæ interitum in Christianos tempestatem fuisse . Quo autem mense hujus , aut insequentis anni coorta sit , id vero concludi ex Taciti verbis nullo modo posse censeo .

(4) Vide quæ dixi *pag.* 395. *not.* 1. præter Eumannum fuerunt alii , qui dubitarent , num vera ea Tertulliani narratio sit , quos numerat Thomas Ittigius in *select. capit. H. E. sec.* 1. *pag.* 331. *& seq.* Sed hi nisi momentis gravioribus rationum agant , extorquere a nobis , ut eis assentiamur , non poterunt .

(5) Vide locum Tertulliani supra recitatum . Eusebium *lib.* III. *H. E. cap.* XVIII. *pag.* 108. *& seq. edit. Cantabrig.* : Ubi ,, in hac persecutione , *inquit* , Johannes Apostolus .... ob testimonium , quod ,, Divino Verbo perhibebat , in insulam Patmum traditur esse relegatus .... Porro his ipsis tempori- ,, bus doctrina fidei nostræ tantopere florebat , ut Scriptores etiam a religione nostra alienissimi , & per- ,, secutionem , & Martyria nostrorum monumentis suis tradere non dubitarint . Qui quidem etiam ,, tempus ipsum persecutionis accurate notaverunt . Scribunt enim , anno principatus Domitiani quin- ,, to & decimo , Flaviam Domitillam *Flavii* Clementis ejus , qui tunc temporis Romæ Consul fuit, ,, ex sorore neptem , una cum aliis plurimis ob confessionem Christi in insulam Pontiam fuisse depor- ,, tatam ,, . Campegius Vitringa *loc. cit. in* παρέργῳ *cap.* VI. cum premi se hoc Eusebii loco videret , confessus quidem est , alicujus quidem illud pretii esse , quanquam adjecit , considerari oportere, quibus ille vetus auctor testibus utatur , ut affirmet , doctrinam nostræ religionis tunc temporis fuisse maxime florentem , cumque unius auctoris , quem Brutium in Chronico vocat , fide utatur, non esse ei auscultandum concludit . Sed cum Eusebius adeo floruisse tum rem Christianam scribat , ut ne ab inimicis quidem prætermissa Martyria nostrorum fuerint , nusquam dicit , eo solo se teste uti . Nam alios quoque habuisse , qui loquuti de magno numero ejus ætatis Christianorum fuerint , satis indicat *lib. eodem* III. *cap.* XXXVII. *H. E.* Atque est illud ridiculum , judicare Vitringam de Brutii loco , quem numquam viderit , reprehendereque Eusebium velle , qui viderit .

(6) Retuli paullo ante *p.* 415. Inscriptionem . Vespasiani autem nomine Domitianum indicari censeo, ut

Antipas (1), & Flavius (2) Clemens (de quo supra demonstratum est) Domitiani patruelis, fuerunt. Ab Domitiano ne, an a successore Nerva revocata edicta fuerint (3), non satis liquet. Ac nisi Hegesippus (4) ab eo, qui tulisset, fuisse hujusmodi edicta sublata diceret, nihil fortasse Tertulliani testimonium impediret, quin a Nerva fuisse rescissa putarem. Hoc certum est, longe fuisse eam vexationem diuturniorem, quam novus (5) quidam scriptor existimaverit. Nam ejus argumenta, quæ sane levia sunt, habent hoc modo: primo, scriptum a Lucio Cæcilio esse, statim atque sævire in nostros cœpit, interiisse Domitianum. Secundo, Brutio (6) Ethnico scriptore teste, anno xv. Domitiani Flavium Clementem, qui unus Consulum esset, aliosque, qui rebus Christianis studerent, affectos supplicio fuisse. Constare autem, consulatum Flavii Clementis in annum xcv. incidisse. Atque a Domitiano xv. Tribuniciam potestatem, xiii. Septembris die, fuisse initam. Periisse autem Domitianum an. xcvi. die xviii. Septembris mensis. Igitur sævitum ab Domitiano

ut factum etiam a S. Hilario libro contra Auxentium *pag.* 1264. *edit. Paris. Constantii an.* 1693, ubi, „ Nerone se, credo, *inquit*, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos „ odiis confessio divinæ prædicationis effloruit „. Quibus verbis cum crudelissimos Christianorum vexatores indicet, Vespasiani vocabulo Domitianum, quem talem fuisse constat, non Vespasianum Patrem, quem tam sævum in nostros non fuisse certo scimus, designarit necesse est. Verum quidem est, Eusebium *l.* III. *H.E. c.* XII. testari, famam aliquando extitisse, quæ ferret, *Vespasianum post expugnata Hierosolyma, perquiri jussisse eos, qui Davide prognati fuissent, ne quisquam ex regia stirpe apud Judæos superesset, eaque de caussa vexatam eam gentem fuisse*: at de Christianis eo loco Eusebius ne verbum quidem. Atque a Vespasiano Patre Eusebius *lib.* VII. *cap.* XVII. nullam nobis injuriam fuisse illatam scribit. Errat autem Reinesius, qui negat, Vespasiani appellatione fuisse umquam insignitum Domitianum *Inscription. pag.* 955. Nam Hermolaus Barbarus refert antiqua monumenta, *ad Plin. Præfat.* quæ sic haberent: IMP. CÆS. DOMITIANVS. VESP. AVG. GERM. JOVI. VICTORI. Quæ cum ita sint, sævijsse Domitianum in Christianos ita, ut eis necem inferret, confitendum est.

(1) *Cap.* II. *Apocalyps. v.* 13.

(2) Vide, quæ dixi supra *pag.* 354.

(3) Lucius Cæcilius rescissa Acta Domitiani post ejus interitum, desiisseque persecutionem scribit, *l. c.* Tertullianus contra a Domitiano restitutos eos fuisse testatur, quos Religionis Christianæ caussa relegarat. Cæcilio assentiuntur Orosius *lib.* VII. *cap.* VII. & Xiphilinus *in Epit. Dionis de Nerva*. In Codice Vaticano Apologet. Tertull. desunt verba. *Restitutis etiam quos relegaverat*, ut est animadversum ab Havercampo *in not. ad Apol. Tert. l. c. pag.* 61. Idem legi posse hoc modo locum Tertulliani censet. *Sed Nerva bonus facile cœptum repressit, restitutis etiam, quos relegaverat*. Recte si codices Ms. subsidio illi essent. At non sunt. Quare ipse quoque conjectans suspicatus hæc fuit. Præterea est Hegesippi apud Eusebium *lib.* III. *H. E. cap.* XX. *pag.* 110. *edit. Cantabrig.* luculentissimum testimonium, ajentis, Domitianum *misso edicto persecutionem adversus Ecclesiam commotam compescuisse*. Quæ sane verba cum tam sint Tertulliani sententiæ similia, me deterrent, ne communem ejus loci Apologetici lectionem esse immutandam putem.

(4) Vide locum supra recitatum *Lucii Cæcilii*.

(5) Dodwell. *l. c.*

(6) Locus Brutii apud Auctorem Chronici Paschalis habet hoc modo „ πολλοὺς Χριστιανοὺς κατὰ τὸ ιδ´ ἔτος Δομετιανοῦ μεμαρτυρηκέναι. *Multos Christianos* 14. *anno Domitiani Martyrium fecisse*. Consule Toinardum *l. c.*

mitiano vix anno integro fuisse . Tertio , esse auctorem Tertullianum , experiri quidem voluisse Domitianum , quid contra Christianos posset , sed cœptum repressisse , restitutis , quos relegaverat. Quod si verum est , jam labi eos , qui supplicium ab illo Imperatore de nostris fuisse sumtum defendunt . Exilium namque nominari a Tertulliano (1) , in quod acti nonnulli essent ; non mortem , qua aliqui fuerint affecti. Antipam enim, cujus fit in Apocalypsi mentio, non jussu Domitiani , sed furore populi passum fuisse martyrium . Nam Glabrionem , & Flavium Clementem , quod in Judaismi , aut in Atheismi suspicionem venissent , fuisse capitis condemnatos : nisi forte Christiana religio Judaismi , & Atheismi contumeliosis nominibus indicata ab Ethnicis scriptoribus fuerit . Quarto , ne annuam quidem eam vexationem fuisse , cum ejusdem jussu desiisset , cujus ante imperio cœpta fuerat .

At quæ vir alioqui eruditus de Lucio Cæcilio *suspicatur* , falsa sunt . Nam is ,, alter (2) , *inquit* , non minor tyrannus ortus est , ,, qui cum exerceret injustam dominationem , subjectorum tamen ,, cervicibus incubavit quamdiutissime , tutusque regnavit , donec ,, impias manus adversus dominum tenderet . Postquam vero ad ,, persequendum justum populum instinctu dæmonum incitatus est, ,, tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas . Quæ sane verba non sunt ejusmodi, ut continuo interfectum Domitianum , atque nostros insectari cœpit , efficiant . Confert enim Cæcilius tempus, quo ille potitus ante commotam in Christianos tempestatem imperio est , cum eo intervallo , quod a persequutionis exordio ad ejus Imperatoris interitum excurrit , atque hoc quidem cum priore collatum brevissimum fuisse significat . Tito namque fratri successit Domitianus anno Christi LXXXI. die 13. septembris . Jam vero si anno XCIV. mense circiter Februario initium in Christianos animadvertendi fecit. anni duodecim,mensesque aliquot ab exordio imperii Domitiani ad illud tempus fluxerint necesse est. At enim a februario anni XCIV. ad septembrem anni XCVI. duo anni , mensesque fere septem fuerunt , quod certe spatium exiguum est , si cum superiore, ut dixeram , comparetur (3) . Ex Brutii loco video, quid sequatur, Non enim ille an. XV. Domitiani cœpisse *persequutionem* , sed sævitum in Christianos fuisse scribit . Id quod nostrum nemo usquam nega-

(1) Vide locum modo relatum Tertulliani .
(2) Luc. Cæcil. *l. c.*
(3) *Consule Toinard. in l. c. L. Cæcilii* .

negaverit. Cruciatos enim an. xcv. Christianos fuisse non concedo solum, sed etiam defendo, quod ita veterum testimonia (1) postulent; edicta autem, quibus necari eos oportere decerneretur, quorumque caussa cœpta persequutio est, vulgata anno xciv. hoc est quarto decimo Domitiani fuisse censeo; qua in re statuenda Brutium ipse quoque auctorem vehementer (2) sequor. Miror autem quid sit, quod Tertullianum sibi esse præsidio novus ille scriptor, cujus paullo ante memini, arbitretur. Quemadmodum enim Tertullianus negasset, quæsitos ad necem jussu Domitiani nostros fuisse, qui Johannem Evangelistam in *ferventis olei dolium* injectum jussu Domitiani fuisse testatur? At enim Dodwellus prodigium, quo factum est, ut inde illæsus Apostolus exiret, deterruisse Domitianum a vexandis ad necem usque Christianis scribit. Quasi vero religionis Christianæ caussa Flavius Clemens, & Glabrio interfecti ab eo Imperatore non fuerint. Quod si dubitat Dodwellus, ne quam defendere instituit, deserere cogatur opinionem, nos sane veteres (3) scriptores de re certa dubitare non sinunt. De Antipa, quod ille dicit, tumultu plebis fuisse occisum, videat quemadmodum probari possit. Nam quos martyras (4) Johannes memorat in Apocalypsi, quorum pars magna Romæ pugnarat, cujusnam tandem jussu fuisse interfectos, nisi Domitiani, contendet?

Non agam autem hoc loco eorum auctoritate, qui Domitiano Imperatore & Dionysium Areopagitam, & Onesimum, quem Paulus ad Christiana sacra converterat, & Nicomedem Presbyterum, & Andream Apostolum martyras obiisse (5) scripserunt. Scio esse ea omnia

(1) Ad extremum usque vitæ suæ in nostros sæviisse Domitianum ex verbis relatis L. Cæcilii plane colligitur. Idque jam longe ante innuerat Juvenalis. Consule quæ dixi *lib* 1. *cap.* II. *pag.* 90. *& seq.* Revocanda quoque in memoriam sunt, quæ supra disputavi *lib.* 1. *cap.* II. §. 23. *pag.* 96. & *cap.* III. §. 1. *pag.* 113. *num.* 5. & *lib.* II. *cap.* VI. παρ. 70 *pag.* 354. Ac mirum sane est, Dodwellum *incruentam* potuisse persecutionem a Domitiano excitatam dicere, cum præter ea, quæ dicta de Clemente & Glabrione sunt, haberet locum Brutii in promtu, qui fertur, *multos Christianos Domitiano Imperatore Martyrium fecisse*.

(2) Vide quæ attuli supra *Brutii verba ex Chronico Paschali* & Eusebio *pag.* 423. *not.* 1. *&* *pag.* 421. *not.* 5.

(3) Consule quæ ante *lib.* 1. *cap.* III. *pag.* 113. *& lib.* II. *cap.* VI. *pag.* 354. disputavimus.

(4) *Apocalyps. cap.* XVII. *v.* 6. „ Et vidi mulierem ebriam, *inquit*, de Sanguine Sanctorum, & „ de Sanguine Martyrum Jesu . . . . . Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, & bestiæ, quæ portat eam, „ quæ habet capita septem, & cornua decem. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier „ sedet, & Reges septem sunt . . . . . & mulier, quam vidisti est civitas magna, quæ habet regnum „ super reges terræ: Memorat igitur Martyres Johannes in Apocalypsi, quam scripsit posteaquam pulsus in exilium est tempore Domitiani. Quare sequitur, eum Imperatorem, a quo vulgata edicta in Christianos fuerunt, pluribus nostrorum intulisse necem.

(5) Vide Tillemontium *Tom.* II. *Monum. H. E. pag.* 118. *& seqq. edit. Veneta*.

ea omnia in dubium a viris doctiſſimis, atque graviſſimis revocata. Mittam etiam de Herma dicere, qui in *libro Paſtoris* diram vexationem, quæ inſtaret (1), commemoravit. At Clemens Romanus, a quo (poſt commotam in Chriſtianos a Domitiano perſequutionem) epiſtola ad Corinthios ſcripta eſt, nonne perplures Romæ Religionis cauſſa extremo ſupplicio fuiſſe affectos (2) teſtatur? Labitur ergo vehementer, qui neque cruentam, neque diuturnam *Domitianeam perſequutionem* fuiſſe defendit (3).

Ac diuturna profecto eſſe debuit, quæ anno XCIV., ut paullo ante vidimus, orta, producta eſt fere ad anni XCVI. Septembrem menſem. Nam de initio dictum ſatis eſt. Reſtat autem, ut de exitu pauca dicam. Quis autem eſt, qui diu ante Domitiani interitum, fuiſſe revocata edicta putet, ſi veteres (4) aut a Nerva primum fuiſſe reſciſſa, aut vivo Domitiano, tantumque ſpatii exules habere nequiviſſe, ut redirent in patriam, tradiderunt? Ergo vel ille, dum vixit, conſtans in vexandis noſtris fuit, vel ſi ceſſavit in Chriſtianos ſævire, paullo ante ceſſarit neceſſe eſt, quam tot ſcelerum pœnas ſuo interitu lueret. Quod ſi ille menſe circiter Februario anni 94. inſectari Chriſtianos cœpit, anni vero 96. Septembri, aut Auguſto menſe finem in eoſdem furendi fecit, non anno integro, ſed duobus ſolidis annis, ac menſibus circiter ſex inſectatus Chriſtianos fuit.

(1) *Lib. 1. cap. II. §. 2. 3.*

(2) *Epiſt. 1. ad Corinth. num. VI. pag. 12. edit. Conſtant. Tom. 1. epiſt. Romanor. Pontif.* „ Iis „ viris, qui divinam vitam duxerunt, ingens aggregata eſt multitudo electorum, qui multas contumelias, multaque tormenta propter æmulationem paſſi, pulcherrimo apud nos exemplo extiterunt. „ Propter æmulationem vexatæ mulieres Danaides, & Dirce, cum gravia, & nefanda ſupplicia ſuſtinuiſſent, ad conſtantem fidei curſum pervenerunt, & corpore debiles, nobile præmium acceperunt. Vide Acta *Mart. S. Ignat.* apud Ruinart. *Acta Sincer. SS. MM. pag. 8. num. 1. edit. Veron.*

(3) Dodwellus *ibid.*

(4) Confer quæ diſputata ſunt ſupra *pag. 421. & ſeq.* & quæ in *notationibus ibid.* produxi veterum teſtimonia. De Perſequutione Domitianea agunt Magnus Baronius ad an. XCV. *& ſeqq.* Pagius *loc. cit.* Tillemontius *Tom. II. Mon. H. E. edit. Venet. pag. 117. & ſeq.* & e Proteſtantibus G. J. Voſſius *in edict. Imperat. contra* Chriſtianos *Tom. IV. opp. pag. 54.* Franciſcus Balduinus *ad edict. Princip. de Chriſtianis*. Thomas Ittigius *ſelect. capit. Hiſt. Eccl. ſec. 1. pag. 329. & ſeq.* aliique.

III.

De Trajana.

Tertius a Nerone Imperator, qui Ecclesiam exagitarit, Trajanus fuit. Is etsi minus esse crudelis (1) Ethnicis videbatur, tamen, cum injuria a Christianis affici sua (2) numina putaret, esse in eos animadvertendum constituit. Itaque Ignatium (3) Episcopum Antiochenorum Romam deduci, bestiisque exponi jussit. Præterea Rufum, ac Zosimum Philippenses necari fecit. Est autem auctor Polycarpus Episcopus Smyrnensium, alios (4) eodem tempore Philippenses fuisse gloriam martyrii consequutos. Neque vero hi solum pro Christo, cum ille imperaret, pugnarunt. Ignatius in ea Epistola, quæ est ad Romanos, fuisse alios etiam, quos bestiæ, ad (5) quas essent damnati, attingere renuissent, scribit. Quinetiam proditum memoriæ ab auctore *Actorum* Ignatii est (6), coactos ab Trajano fuisse Christianos, ut aut sacrificarent, aut morerentur. Atque, exemplo Imperatoris, Provinciarum Præsides (7), Judicesque, qui nostrorum inimici essent, multo crudeliter cruciatos tandem aut capitis condemnarunt, aut agi in crucem jusserunt. Neque

(1) Confer quæ congerit in eam rem Tillemontius *Tom.* II. *vit. Imperator. pag.* 146. *& seqq. edit. Veneta.*

(2) Vide Acta Martyrii S. Ignatii *Antioch. Episc. apud Ruinart. Act. sincer. SS. MM. pag.* 8. *n.* 2.

(3) S. Polycarpus apud Eusebium *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* XXXVI. *pag.* 132. *edit. Cantabrig.* „ Obsecro, *inquit*, vos omnes (Philippenses) ut pareatis præpositis vestris, omnemque patientiam „ exerceatis, quam spectastis non solum in Ignatio, Rufo, ac Zosimo viris beatissimis, sed etiam „ *ἐν ἄλλοις τοῖς ἐξ ὑμῶν in aliis vestrum.* "

(4) Vide notationem superiorem.

(5) Confer locum Ignatii supra descriptum *pag.* 394. *not.* 1.

(6) *Acta Martyr. S. Ignatii apud Ruinartium pag.* 8. *num.* 2. *edit. Veronensis* „ Trajanus, *inquit*, persecutionem comminans, omnes ipsos Dei cultores existentes vel sacrificare, vel mori „ cogebat.

(7) Eusebius *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* XXXIII. *pag.* 128. *edit. Cantabr.* „ Tanta & tam gravis, „ *inquit*, plerisque in locis adversus nostros persecutio tunc temporis sæviebat, ut Plinius secundus „ inter Provinciarum rectores celeberrimus motus Martyrum multitudine, ad principem retulerit de „ numero eorum, qui fidei caussa obtruncabantur, simulque indicaverit, deprehendisse se, nihil „ ab eis impie, nihil adversus leges fieri, nisi, quod primo diluculo excitati, Christo tamquam „ Deo hymnos canerent. Quibus respondens Trajanus, edixit: Christianos quidem requirendos non „ esse, oblatos vero puniri oportere. Quo facto persecutionis incendium, quod nobis violentius in„ cumbebat, restinctum quidem aliqua ex parte videbatur: iis tamen, qui nos maligne, & fraudulenter aggredi vellent, non minor opportunitas suppetebat: alibi populo, alibi præsidibus pro„ vinciarum adversus nostros insidias comparantibus: adeo ut, si non palam, & publice, locales ta„ men in aliquot Provinciis persecutiones exardescerent, ET PLURIMI EX FIDELIBUS MULTIPLI„ CIS MARTYRII CERTAMEN SUBIRENT. Vide & *cap.* XXXIII. *ejusd. Libri.* Ubi agit de Simeone Episcopo *Hierosolymarum.*

que Dodwellus negat, Trajano Imperatore, Arrium Antoninum (1) Christianos, qui in Bythinia essent, fuisse acriter insectatum, ita ut eorum aliquos interfecerit. Est illud denique exploratum, Plinium secundum in (2) Asia quosdam quidem damnasse, alios gradu pepulisse, sed deterritum multitudine, litteras tandem dedisse ad Imperatorem, ut quid factu esset opportunum cognosceret. Imperator (3) qui esset imbutus superstitione, Plinium, quasi recte omnia gessisset, laudavit. Negavit deinde, constitui quidquam certi in ea re universim posse, propterea quod casus varii in dignoscendis hujusmodi caussis accidere solerent, qui immutarent rationem facti. Hoc tamen ab se decerni, dixit: conquiri Christianos non oportere. Esse eos puniendos, si accusati, Christianos se esse, minime negassent, diisque supplicare recusassent. Quod si propositi libelli contra aliquem essent, tacito ejus nomine, qui proposuisset,

(1) Tertullianus *lib. ad Scapulam c.v. edit. Parif.* 1641. Id vero sub Trajano contigisse, ne Dodwellus quidem negat *l. c. num.* XXVII. *pag.* 74. *opp. S. Cyprian. edit. Oxoniensis*.

(2) *Lib.* X. *epist.* XCVII. ad Trajanum „ Interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, „ hunc sum sequutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani? Confitentes iterum, ac tertio „ interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam qualecumque „ esset, quod faterentur, pervicaciam certe, & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt „ alii similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi in Urbem remittendos..... Visa est „ mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, „ omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur: neque enim civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est „. Plinius igitur eos, qui fatebantur, atque in sententia manebant, duci jusserat ad supplicium, quod puniendam esse existimaret, quam ipse judicabat, superstitionem. Nam τὸ *duci*, quo utitur Plinius idem sonat, atque *duci ad supplicium*. Nam magistratus verbum est. Seneca *de Ira lib.* I. *cap. extremo*: *Cn. Piso* „ *cum iratus duci jussisset eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat*. Rursus *Damnatus extra vallum ductus est*. Iterum ibidem. *Conscendit tribunal Piso furens, ac jubet duci utrumque &c.* Adeundus magnus Baronius *ad an.* 104. *num.* 9. Magnum autem horum numerum fuisse, quos necis Plinius condemnarat, inde maxime liquet, quod deterritus tandem multitudine periclitantium fuerit, cum deteaisset Christianam religionem non in urbibus solum, sed in villis etiam, agrisque admirabilem in modum vigere. Quare Tertullianus *in capite secundo Apologetici pag.* 23. *edit. Haverc.* „ Invenimus, *inquit*, inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim secundus, cum Provinciam „ regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Trajanum Imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de Sacramentis eorum comperisse, quam cœtus antelucanos, & „ ad confoederandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cetera scelera prohibentes &c. Quod dicit tamen Tertullianus *quibusdam damnatis*, sumi ita non debet, ut hi pauci fuerint; cum Plinius dicat, in eos, qui confiterentur, fuisse ab se constitutam animadversionem. Qui autem confessi sunt, permulti erant. Tandem enim cum comperisset, omnes urbes, vicosque plenos Christianorum esse, sævire desiit, consuluitque Imperatorem.

(3) Apud Plinium *ibid. epist.* XCVIII. „ Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis caussis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi „ certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt; si deferantur, & arguantur, puniendi sunt: ita tamen, ut qui negaverit se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit, id„ est supplicando diis nostris, quamvis suspecto in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. „ Sine auctore vero propositi libelli, nullo crimine locum habere debent. Nam pessimi exempli, nec „ nostri seculi est.


ſet, eorum non eſſe habendam rationem. Hoc reſcripti genere, factum fuiſſe ab Ethnicis Chriſtianos vexandi finem, incredibile eſt. Cum enim illi negligi a noſtris ſua numina, reſque ſacras contemni cognoſſent, quo tandem modo paſſi fuiſſent, hos impune in civitatibus verſari, quin rem gratam diis ſe facturos arbitrarentur, ſi Chriſtianorum nomina detuliſſent, ſacrilegoſque (ſic enim noſtros vocabant) puniri curaſſent? Cumque Trajanus, jus eſſe Præſidibus ſanxiſſet, in eos, qui Chriſtum ejurare, diiſque ſacrificare nollent, animadvertere, veriſimile non eſt, homines, qui dediti ſuperſtitioni eſſent, tantamque obtinerent poteſtatem, ſegniores ad eos exagitandos fuiſſe factos, a quibus idola deſpici, & ſua numina nihil pendi perſpicerent. Igitur ſtatuendum omnino eſt, quoad Trajanus vixit, adductos pleroſque ad ſupplicium fuiſſe, quod Chriſtianam religionem profiterentur (1). Quamobrem queſtus graviter Tertullianus (2) de eo Imperatore eſt, quod tum maxime in homines innocentes crudeliter, improbeque ageret, cum eis parcere videretur (3).

IV.

(1) Mitto quæ Tiberianus Primæ Palæſtinæ Præſes, & Trajanus ad Tiberianum ſcripſiſſe de Chriſtianis feruntur, cum eæ Epiſtolæ ſuſpectæ ſint falſitatis. Vide quæ dixi ſupra in *παρεργῳ* contra Vitringam *pag.* 343.

(2) Tertullianus *cap.* 2I. *Apolog. pag.* 26. „ O ſententiam neceſſitate confuſam! Parcit, & ſævit: „ diſſimulat, & animadvertit. Quid temetipſum cenſura circumvenis? Si damnas, cur non & inqui- „ ris, ſi non inquiris, cur non & abſolvis? &c.

(3) Agunt de perſequutione, & Martyribus ſub Trajano præter Baronium *l. c., & in not. ad Martyrolog. Roman.* 23. *Januar. &* 5. *Septemb.* Tillemontius *Tom.* II. *Mon. Hiſt. Eccl. pag.* 169. *& ſeqq. edit. Venet.* Ruinartius *Præf. ad Act. SS. MM pag* XXXI. *& ſeq. edit. Veron.* & Dominicus de Colonia Soc. Jeſu lib. inſcripto *La Religion Chrétienne autoriſée par les Payens Tom.* II. *pag.* 55. 56. *& ſeqq.* & e Proteſtantibus Ittigius *ſel. cap. Hiſt. Eccl. ſec.* II. *pag* 279. *& ſeqq.* Joh. Teſmarus *Proceſſ. Gentilium in Chriſtianos ſub Trajano Imp. inſtitut. & illuſtrat.* Franciſcus Balduinus *ad edict. veter. Princ. de Chriſtianis pag.* 34. *& ſeqq.* Gerardus Johannes Voſſius *ad edict. Imperat. contra Chriſtianos Tom.* IV. *op. p.* 54. *ſeqq.* Chriſtophorus Cellarius *Programm.* XLIII. *de Bonor. alioqui Principum Ulpii Trajani, Marci Antonini, & Septimii Severi acerbiore in Chriſtianos affectu pag.* 300. *& ſeqq.* aliique.



Gemmæ magnitudo.

I V.

De Hadriana.

Sequitur, ut de afflictis Ecclesiæ rebus sub Hadriano dicam. Erat ille ita sacris Romanis addictus, ut omnia peregrina (1) contemneret. Præterea summa erat crudelitate. Igitur etsi edicta nulla (2) vulgavit, quibus quærendos ad necem esse Christianos præciperet, tamen Ethnicis, cum Athenis præsertim versaretur, caussa, cur in nostros impetum (3) facerent, fuit. Eam vexationem diram, acerbamque fuisse, traditum a Hieronymo (4) est in ea, quam ad Magnum Oratorem Romanum scripsit, epistola. Quadratus (5) florebat eo tempore vir imprimis doctus, qui cum Christianus esset, sui, sociorumque defensionem suscepit. Eodemque in genere laboravit Aristides (6), homo pari eruditione, integritateque morum. Horum libris permotus Hadrianus, sedandam esse tempestatem, quæ sui caussa coorta esset (7), putavit. In Italia quoque sævitum in Christianos ætate ejus Imperatoris fuit (8). Itaque cum in Tiburtino ageret, Symphorosam viduam, ejusque filios, quod Christiani essent, necari fecit. Immo vero, cum ejus exemplo, aut impulsu, aut fortasse etiam præcepto, qui nostrum capti erant, adduci ad supplicium solerent, in caussa fuit, cur Christiani, eo Imperatore, esse sibi, rebusque suis metuendum (9) arbitrarentur. Nume-

(1) Spartian. *vit. Hadr. pag.* 11. *edit. an.* 1620. *Parif.*

(2) Tertullianus *ibid.*

(3) Vide Hieron. *in Catal. Viror. Illustrium c.* XIX. *p.* 109. *edit. Martian. T.* IV. Sulpicius Severus *l.* II. *Hist. cap.* XXXI. „ Quarta, *inquit*, sub Hadriano persecutio numeratur, quam tamen post exerceri pro„ hibuit, injustum esse pronuncians, ut quisquam sine crimine reus constitueretur.

(4) *Tom.* IV. *opp. pag.* 656. *edit. Martianæi*.

(5) Hieron. *de V. Illustr. pag.* 109. *Tom. eodem.* Vide Eusebium *lib.* IV. *Hist. cap.* III. *pag.* 142. *edit.* „ *Cantabrig.* ubi „ Ælius Hadrianus suscepit imperium. Huic Quadratus obtulit orationem, quam „ pro defensione religionis nostræ idcirco perscripserat, quod quidam malevoli homines vexare no„ stros, atque lacessere conabantur.

(6) Hieron. *ibid.* & Euseb. *ibid.*

(7) Lambecius idcirco persecutionem sedatam credit, quod monitus Hadrianus fuisset a Serenio Graniano Asiæ Proconsule. *Bibl. Vindob. Tom.* III. *pag.* 149. Vide etiam Nicolaum Antonium *Bibl. Hisp. Vet. lib.* 1. *cap.* 22. De rescripto Hadriani dicam paullo post.

(8) Vide Acta S. Symphorosæ & Filiorum, apud Surium, & Bollandianos ad diem X. Junii, & apud Ruinartium *Act. Sinc. SS. MM. pag.* 20. & *seq. edit Veron.*

(9) Extat inscriptio apud Aringhum *lib* III. *Romæ Subterraneæ cap* XXI. quam deinde retulerunt Mabillonius *Itin. Italic. pag.* 135. *edit. Parif. an.* 1724. & Boldettus *lib.* 2. *cap.* XLIV. *Osserv. sopra i Cimiterj pag.* 233. quæ sic habes:

TEMPORE

Numerantur autem in tabulis Ecclesiasticis Martyres, qui sub Hadriano interfecti fuisse feruntur. Quod si quis est, qui illos eo nomine Martyras neget fuisse, quod nulli, regnante Hadriano, caussa Christianæ religionis occisi fuerint, næ is vehementer errat. Nam si in jus vocati, interfectique, eo Imperatore, sunt in Oriente, atque Occidente ratione religionis Christianæ hi, quorum est paullo ante facta mentio, quid est, quod impediat, quo minus eo ipso tempore, eamdem ob caussam, ad supplicium adducti fuerint martyres, quorum in martyrologiis memoria celebratur?

Atenim sunt, qui (1) opponant; primo, Hadrianum, qui Judæis infestus esset, non fuisse tam crudeliter in nostros, quos ab ea gente vexari intelligeret, animadversurum; secundo, Justinum Martyrem in priore Apologia exemplum Hadriani proponere, quo impellere auctoritate tanti Imperatoris Antoninum Pium item Imperatorem posset, ut finem exagitandi innocentes fieri juberet. Quo autem ore ausus id Justinus fuisset, si integrum Ethnicis fuisse, vivo Hadriano, impetum in nostros facere, hosque morte afficere cognosset? Nihil ergo actum, eo Imperatore, fuisse, quod esse tam grave Ecclesiæ videretur; tertio, Serenii Graniani hortatu sublatum malum, quod Hadriani ætate Christianis immineret, non quod jam esset cuiquam inlatum.

Ego

TEMPORE ADRIANI IMPERATORIS MARIVS ADOLESCENS DVX MILITVM QVI SATIS VIXIT DVM VITAM PRO CHO CVM SANGVINE CONSVNSIT, IN PACE TANDEM QVIEVIT BENEMERENTES CVM LACRIMIS ET METV POSVERVNT. I. D. VI.

Guillelmus Fleetwoodus Præfat. ad Partem II. *Sylloges Inscript. Veterum* dubitare se scribit, num genuina, an spuria hæc inscriptio sit. Eademque Gisberti Cuperi *in notis ad cap.* IV. *L. Cæcilii de Mort. Persec. Tom.* II. *opp. Lactant. pag.* 432. *edit. Parif. an.* 1748. opinio est. Sed cur dubitent, non indicant. At sine ulla ratione dubitare de monumentis antiquis, quæ inventa in cryptis Romæ sunt, velle, hominum est, non veritatis amore agentium, sed ea, quæ ad veritatem Christianæ religionis demonstrandam conducunt, evertere cupientium. Nos vero nostris oculis fidem, quam hominibus præjudicata opinione ductis assensionem adhibere malumus. At enim Cuperus, etsi vera, *inquit*, hæc esset inscriptio, tamen non sequitur, plures Martyres fuisse Romæ Hadriani tempore. At si sævire Ethnicis in nostros licebat, si Ducem militum interfecerant caussa religionis, si denique in magno erant Christiani metu, conjiciendum est, alios quoque fuisse cruciatos: alioqui cur sibi, unius exemplo, ceteri ab Ethnicis metuissent? Rursum Cuperus, non esse inde consequens ait, Hadriani potius, quam Præsidum jussu necatum fuisse Marium. Non nego. Sed Præsidem audere simile quidpiam potuisse, non permittente eo Imperatore, quis credat? Deinde si Imperator Symphorosam, ejusque filios plecti jussit, non video, cur suspicari nefas sit, idipsum de Mario Duce Militum fuisse pronunciatum. Sed utcumque sit, illud saltem constat, fuisse sæpe in Oriente, & Occidente animadversionem in nostros Hadriani tempore constitutam.

(1) Dodwell. *l. c. num.* XVIII.

Ego vero assequi nullo modo possum, cur is, qui Judæorum inimicus erat, esse inimicus etiam Christianorum nequiret. Neque enim, quia in extremum nostri cruciatum venerant, quod Christum negare, & Barchochebæ factionis Judaicæ Duci assentiri, armaque contra Romanos capere noluissent; idcirco deterreri Hadrianus potuit, quin eos insectaretur, quos deos, sacraque Romanorum, quibus ipse deditus esset, despicere, atque aversari sciret. Atque est illud memoriæ traditum a Justino Philosopho, & Martyre, & scriptore temporum illorum, adversus Christianos (1) concitatos non Judæos modo, sed Ethnicos etiam fuisse, quin caussam odii, quo in nos ferrentur, explicare possent. Quod ex Justini Apologia ad Antoninum Pium Imperatorem scripta colligunt, non est consequens. Justini namque hæc fuit ratio. Antonino se auctorem esse, ut sedari tumultus, coercerique impetus hostium adversus Christianos (2) præciperet. Factum id quoque ab Hadriano fuisse, qui post multorum Christianorum cædem, cum variis libris, qui sibi propositi fuerant, innocentes esse eos intellexisset, reprimi Ethnicorum furorem jusserat, qui nostros ad supplicium rapere non dubitarent. Atque hoc quidem sibi Justinum voluisse, cognosci ex eo etiam rescripto potest, quod ab Hadriano ad Minucium Fundanum datum, inseri suæ Apologiæ S. Martyr, ut Antoninum moveret, curavit. Eo namque rescripto Hadrianus statuit, ne (3) deinceps quisquam Christianos incognita caussa condemnaret. Nam quod immi-

(1) *Epist. ad Diognetum pag. 497. edit. an. 1615.* ,, Adversus Christianos, *inquit*, tamquam ,, alienigenas Judæi bellum gerunt, & Græci eos persequuntur, & osores eorum caussam inimicitiarum ,, dicere nequeunt ,,. Quid? si Hadrianus, ut Christianæ religionis memoriam deleret, dum urbem Hierosolymam restituit, erigi in locis sacris idola præcepit? Vide Sulpicium Severum *lib. II. Hist. p. 239. edit. an. 1607.* S. Hieronymum *epist. 49. ad Paulinum p. 564. T. IV. opp. edit. Martianæi*, & S. Paulinum Nolanum *epist. XXXI. ad Severum pag. 194. edit. an. 1685. Paris.*

(2) Vide *Just. Apolog. I. al. II. pag. 99. edit. an. 1615.* ,, Ac nos quidem cum ex Epistola Hadria- ,, ni . . . . . Parentis vestri, id quod petiimus, flagitare a vobis posse nos, ut judicia fieri juberetis, ,, non magis tamen postulata nostra ad rem ab Hadriano judicatam accommodavimus, quam ad id, ,, quod justa nos poscere sciamus, orationem, atque sermonem præsentem apud vos instituimus. Epi- ,, stolæ autem Hadriani exemplum subjungimus, ut in eo quoque verum nos dicere intelligatis &c.

(3) ,, Imperator Cæsar Ælius Hadrianus Minucio Fundano. Litteras a Serennio Graniano viro cla- ,, rissimo, cui tu in Provincia successisti, ad me datas accepi. Non videtur mihi hæc res, quin de ea ,, disquiratur, prætermittenda esse, ne homines turbentur, neve calumniatoribus materia fraudu- ,, lenter agendi præbeatur. Quodsi Provinciales persequutiones adversus Christianos processu legitimo, ,, ut & illi pro tribunali respondeant, obtinere possunt, hac una insistant via, & non petitionibus, ,, atque vociferationibus solis. Imprimis enim convenit, si quis accusare velit, de eo te cognosce- ,, re. Itaque si quis eos detulerit, atque probaverit contra leges quidquam commisisse, tu pro deli- ,, cti qualitate ita sententiam adversus eos feres, ut mehercules, qui calumniæ caussa crimen cuiquam ,, intendisse compertus fuerit, pro maleficii gravitate in eum modis omnibus animadvertendum cures.

imminens periculum fuisse, tempestatem autem in Christianos ortam non fuisse colligi ex Serenii Graniani litteris ad Hadrianum, adversæ caussæ patroni pugnant, probari nullo modo potest. Etenim Eusebius, qui plane, quod scriptum a Serenio fuerat, cognorat, monitum ab eo fuisse Imperatorem tradit, iniquum (1) *videri Christianos nullo objecto crimine* vulgi clamoribus ad supplicium adduci, & indicta caussa interire. Itaque non impendebat periculum modo, sed concitata quoque plebis improbitate in innocentes Christianos tempestas fuerat. Quæ res confirmari magis magisque testimonio Justini potest. Is enim permotum fuisse testatur se, ut Christianæ religioni accederet, quod summa constantia supplicia, mortemque perferri ab iis vidisset, qui se Jesum sequi, & colere profiterentur (2). Dedit autem Justinus Christianæ religioni nomen, quo tempore Hadrianus imperium obtinebat. Hadriano igitur Imperatore, sævitum in Christianos fuerit, necesse est (3).

V.

De Antoniniana.

Post Hadrianum Antoninus Pius potitus imperio est. Hoc autem jubente (4), adducti plerique nostrum ad supplicium fuerunt. Atque ita quidem male in nostros homines animatus fuit, ut eos necis

(1) *Lib.* IV. *Hist. Eccl. cap.* VIII. *pag.* 152. *edit. Cantabrig.*

(2) *Apolog.* II. *al.* I. *pag.* 50. *edit. an.* 1615. & apud Eusebium loco mox iodicato „ Nam & ego, „ *inquit*, qui Platonis Philosophiam amplexus fueram, cum Christianos calumniis apperi audirem, „ eosque adversus mortem, & cetera, quæ formidabilia habentur, fortes, atque intrepidos viderem, „ sic apud me reputaram, fieri non posse, ut iidem vitiis, ac voluptatibus dediti essent &c.

(3) Confer Melitonis Sardiani locum apud Eusebium *lib.* IV. *Hist. Eccl. cap.* XXVI. & Xiphilinum in *Antonin. Pio sub initium*. De sævitia Ethnicorum tempore Hadriani in Christiaoos, præter Baronium, vide Tiliemontium *Tom.* II. *Mon. Hist. Eccl. pag.* 224. *& seqq. edit. Veneta*: Et Dominicum *de Colonia l. c. pag.* 26. E Protestantibus persequuti hoc idem argumentum sunt Thomas Ittigius *select. cap. Hist. Eccl. sec.* II. *pag.* 183. *& seqq.* Franciscus Balduinus *ad edicta Princip. v ter. de Christianis pag.* 75. 83.

(4) Confer Acta S. Felicitatis, & septem filiorum ejus apud Ruinartium *pag.* 22. *& seq. edit. Veron.* Sub Antooino quoque Telesphorus Pont. Max. Martyr decessit Vide Euseb. *lib.* I. *cap.* VI. qui Irenæum testem citat, *pag.* 217. *edit. Cantabr.* ajentem: *eum gloriosissime Martyrium fecisse*. S. Justinos Martyr *Apolog.* I. *al.* II. Antooioo Pio oblata *pag.* 55. *edit. an.* 1715. „ De nostris Christianis „ nomen ipsum tamquam criminis comperti argumentum arripitis, cum quidem nominis caussa delato„ res potius multare deberetis ..... Non legitimo examine judicia exercetis, sed affectu præter ra„ tionem transversum ducti ..... caussa non judicata supplicia infertis „. Ex quibus intelligitur, Antoninum duci interdum saltem ad supplicium Christianos Justini tempore præcepisse.

cis incognita caussa (1) condemnaret. De qua re Justinus martyr vehementer expostulat in celeberrima, quam ad ipsum scripsit, Apologia. Fuit autem ea diuturna vexatio. Nam cum diu post initia Imperii scripta ab Justino Apologia (2) fuerit, tum est in ea traditum, Antoninum plectere eos, qui Sacra Christiana colerent, consuesse. Neque vero furor Ethnicorum moenibus Urbis contineri eo tempore potuit. Est enim idem ille Justinus testis (3), alios nostrum gladio percussos fuisse, alios in crucem actos, expositos alios bestiis, plerosque omnibus tormentis excruciatos, ut Christiani esse desinerent: denique in toto mundo nemini Christiano permissum ab hostibus fuisse, ei tuto ut vivere liceret. Extat praeterea vetus inscriptio, quae eruta e Coemeteriis Urbis, (4) & descripta ab Aringho, atque publicata fuit. Ex ea plane intelligitur, Antonino Pio Imperatore, ob vim, & crudelitatem Ethnicorum, nostros ita fuisse

 per-

(1) Vide loca Just. mox descripta. Rursum in extrema eadem Apologia *pag. 99.* „ Neque ita contra eos, qui nihil per injuriam iniqui admiserunt, perinde atque adversus hostes supplicium capitis statuite. Illud autem vobis praedicimus, vos minime evasuros esse futurum Dei judicium, si in hac iniquitate perduraveritis.

(2) Nam scripta est post ortam factionem Marcionitarum, qui sane initio Imperii Antonini nondum sectam constituerant. Deinde scribere se Justinus testatur anno circiter 150. a nativitate Christi. Quod si recte numeros subduxit, scriberet necesse est anno Imperii Antonini circiter XIII.

(3) Dialogo *cum Tryph. pag. 337. edit. an.* 1615. „ Dum gladio percutimur, & in crucem agimur, & bestiis objicimur, & vinculis, & igne, & tormentis aliis omnibus plectimur, & excruciamur ..... Colliget (Deus) angustiis affectam (Ecclesiam) hoc est ex orbe terrarum ejectam, quantum in vobis (Judaeis) & cunctis aliis mortalibus est situm, quandoquidem non solum ex possessionibus suis Christianorum quisque exigitur; verum etiam in mundo toto nemini eorum vivere permittitur.

(4) Reperta est in Coemeterio Callisti, & relata ab Aringho *lib. III. cap.* XXII. *Roma Subterranea*, a Mabillonio *itiner. Ital. pag.* 235. *& seq.* a Boldetto *lib.* I. *cap.* III. *osserv. sopra i Cimiter. pag.* II. atque aliis. Sic autem habet.

ALEXANDER. MORTVVS. NON. EST. SED. VIVIT. SVPER. ASTRA. ET. CORPVS. IN. HOC. TVMVLO. QVIESCIT. VITAM. EXPLEVIT. CVM. ANTONINO. IMP. QVI. VBI. MVLTVM. BENEFICII. ANTEVENIRE. PRAEVIDERET. PRO. GRATIA. ODIVM. REDDIT. GENVA. ENIM. FLECTENS. VERO. DEO. SACRIFICATVRVS. AD. SVPPLICIA. DVCITVR. O. TEMPORA. INFAVSTA. QVIBVS. INTER. SACRA. ET. VOTA. NE. IN. CAVERNIS. QVIDEM. SALVARI. POSSVMVS. QVID. MISERIVS. VITA. SED. QVID. MISERIVS. IN. MORTE. CVM. AB. AMICIS. ET. A. PARENTIBVS. SEPELIRI. NEQVEANT. TANDEM. IN CAELO. CORVSCAT. PARVM. VIXIT. QVI. VIXIT. IV. X. TEM.

Hanc item inscriptionem Fleetwoodus, & Cuperus in dubiam revocant locis supra indicatis. Sed injuria. Quid enim judicent ii, qui neque saxa viderunt, neque Romae qua diligentia monumenta perquirantur, & falsa a veris secernantur, cognorunt? Atque in Cryptas quemadmodum fictae tabulae introduci potuerint, ut diu post detegerentur, inducerentque incautos in errorem, ne suspicari quidem possum.

perterrefactos, ut sibi ipsi ne in cavernis quidem consistere sine vitæ periculo fas esse arbitrarentur. Neque illi polliceri ex eo sibi quidquam commodi poterant, quem scirent deditum esse superstitioni deorum. Quod si cessandum a necandis nostris putavit esse, fecit id quidem, non quo misertus Christianorum calamitatem esset, sed quo vinci se ab illis (1) perspiceret, qui verbis, exemploque suo quidvis esse perpeti satius, quam Christum negare demonstrarent. Quamobrem nihil eos moror, qui ætate Antonini ad necem usque fuisse in Christianos sævitum inficiantur. Etenim non auctoritate Christianorum ejus, atque sequentium temporum Scriptorum modo, sed etiam Antonini edicto convinci perfacile erroris possunt (2).

V I.

De Aureliana.

Venio ad Marcum Aurelium. Is Antonino Pio successit (3). Etsi autem sciebat, Christianos in jus vocari, inque summum cruciatum, plebis, præsidumque improbitate, venire solere; tamen non solum eorum impetum non repressit, sed etiam nostros, quasi pervicaces, obstinatique manere in sententia, quam eam abjicere auderent, (4) merito puniri existimabat. Igitur (5) cum tam esset

(1) *Epist. ad commune Asiæ*, cujus *est capite superiore*, cum de legione fulminatrice ageremus, facta mentio. Vide eam in *calce Apolog. 1. Just. Mart. al. II. pag. 100. edit. an. 1615.* „ Commodius, „ *inquit*, illis fuerit, si ob id videantur, de quo accusantur, mortem oppetere. Et vincunt illi vos, „ suas ipsorum animas potius projicientes, quam ut obsequentes, quod postulatis faciant.

(2) *Epist. eadem ad commune Asiæ pag. ead. Ad mortem usque eos persequimini* ἕ διωκετε ἕως θανάτου De persequutione Antoniniana consulendus Ruinartius *in Præfat. ad Act. sinc. SS. Martyrum*. Multa in eam rem disputat etiam e Protestantibus Thomas Ittigius *select. capit. Hist. Eccl. sec. II. pag. 286. & seqq.*

(3) Anno 161. *M. Aurel. Cæs. III. & Commodo II. Coss.*

(4) M. Aurel *lib. XI. cap. III. De sua vita &c. pag. 16. edit. an. 1707.* „ Qualis est, *inquit*, „ animus ea, quæ jam parata est statim, si oportuerit, e corpore emigrare, & vel extingui, vel „ dispergi, vel permanere? Ita paratam dico, ut a judicio peculiari promtitudo hæc profluat, „ μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν ὡς οἱ Χριστιανοί, ἀλλὰ λελογισμένως ἕ σεμνῶς, „ *non ab obstinatione mera, ut Christiani, sed considerate & composite* mortem obeas „. Dacerius in locum eumdem *pag. 206. Tom. II. Version. opp. Antonini edit. Amstel. an. 1707.* Ita loquitur (Antoninus) *inquit*, ut diceres, quotidie Martyrum supplicia oculis ejus fuisse obversata.

(5) Constat ex eodem Marci Aurelii loco. Nam is *lib. X. cap. XI.* nonnulla complexus est, quæ referri ad bellum Sarmaticum omnino debent, quod anno 177. recruduit. Eodem libro sæpe senectutis suæ, morborumque meminit. Quare extremo fere vitæ suæ tempore XI. librum scripserit necesse est, in quo testatur, Christianos mortem oppetere, quam negare Christum maluisse. Quinetiam ne mortuo quidem Marco Antonino, Ethnici a vexandis nostris sibi temperarunt, cum ei rei assueti fuissent. Vide locum e Chronico Paschali descriptum supra *pag. 380. not. 5.* & Theophilum Antiochenum in extremo tertio ad Autolicum libro. Scripsit is initio Imperii Commodi.

esset male in nostros homines animatus, eos, quoad vixit, torqueri, laniari, extremoque supplicio, ni Christum negassent, affici permisit (1). Cumque seditione plebis, ejusque viri improbitate, qui Viennensi Galliæ præfectus erat, plerique Christiani condemnati necis fuissent, consultusque ipse deinde esset, quid de ceteris, qui superstites erant, statuto opus esse judicaret, non solum in auctores seditionis non animadvertit, sed etiam, ut *Confessores*, qui in carcere detinebantur, necarentur, præcepit (2). Neque contra Urbicium Judicem, qui Romæ, ut est apud Justinum in posteriore Apologia (3), animadversionem in Ptolemæum, & Lucium Christianos homines constituerat, quidquam esse decernendum putavit. Immo vero, etsi erat Justinus Philosophiæ laude illustris, tamen curatum ab Philosopho Imperatore non est, ne ille, sociique a Rustico Præfecto occiderentur (4). Præterea erat ei exploratum, edi in Asia ab Ethnicis in (5) Christianos omnia cruciatus exempla solere, nec induci se umquam passus est, ut Præsides Provinciæ a tanta crudelitate, ac sævitia deterrendos esse censeret. Atque hoc Imperatore, Polycarpum auditorem Johannis Evangelistæ, Smyrnarum Præses flammis exuri præcepit (6). Non enim assentior his, qui eum martyrem passum sub Antonino Pio fuisse arbitrantur (7).

Est vero magno in errore Dodwelli sententia, qui (8) neque

 M. Au-

(1) Eusebius *lib. v. Hist. Eccl. cap. 1. pag. 207.* Rescriptum fuerat (ad Præsidem in Gallias) a Cæsare, *inquit*, ut confitentes quidem gladio cæderentur, hi vero, qui negarent, dimitterentur incolumes. Hoc autem rescripti genus non erat *generale*, ut vocant. Nam ejusmodi a Marco nullum umquam publicatum est. Consule quæ dixi supra *pag. 384.*

(2) *Consule notationem superiorem.*

(3) Vide Justini Apologiam II. *al.* I. *pag. 41. & seq. edit. opp. an. 1615.* Ea data est ad M. Aurelium Imperatorem, & Senatum Romanum, &c.

(4) Confer Acta *Mart. sincera apud Ruinart. pag. 48. & seqq. edit. Veronensis.* Passi autem Justinus, sociique circa an. 167. Martyrium fuerunt.

(5) Melito Sardianus apud Eusebium *lib. iv. Hist. cap. xxvi. pag. 189.* Marcum Aurelium alloquens „ Quod, *inquit*, numquam antea factum fuerat, persecutionem nunc patitur piorum hominum ge- „ nus, novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores, & alienarum opum „ cupidi, ex dictis occasionem nacti, palam diu, noctuque grassantur, spoliantque homines inno- „ xios. Et paullo post: quod si hæc tuo jussu fiunt, recte, atque ordine facta sunto, ... & nos libenti animo φέρομεν τῦ τοιῦτε τὸ γέρας ejusmodi mortis præmium ferimus &c. Miror Valesium ἐκ τῶν διαταγμάτων vertisse *imperialibus edictis*. Nam τὸ *imperialibus* additum ab eo est, etsi in Græco textu simile quidpiam non legatur. Neque si Imperiale edictum fuisset, dubitasset umquam Melito jussu ne Imperatoris vulgatum fuisset, nec ne. At dubitat. Sic enim scribit „ sin vero illud edictum ..... numquam ex te profectum est &c.

(6) S. Polycarpum sub Marco circa an. 166. Martyrem decessisse, etsi contra Dodwellus sentiat, qui mortuum sub Pio defendit, tamen ex Ecclesiæ Smyrnensis Epistola plane colligitur. Adeundus Ruinartius *Act. MM. sinc. pag. 24. & seqq. edit. Veron.* Consule rursum Eusebium *lib. iv. cap. xxiv. pag. 186. edit. Cantabrig.* ubi de damnatis ad metalla pluribus Christianis tempore Marci Aurelii loquitur, testemque appellat Dionysium Episcopum Corinthiorum.

(7) Dodw. *dissert. Cyprianica* xi. *num. 33. pag. 76. edit. Oxon.* (8) *Ibid. n. 36. pag. 77.*

M. Aurelium ullam in Christianis vexandis habuisse partem, neque eo Imperatore tot martyras, quot vulgo numerantur, fuisse putat. Ac ne Lugdunenses quidem religionis caussa interfectos existimat. Nam incesti, aliorumque scelerum, testimonio servorum, convictos, damnatosque contendit, etsi eos fateatur longe distasse ab improbitate, atque flagitiis, quorum agi rei consuerant. Cumque accusatos infanticidii, incestique Lugdunenses, atque Viennenses Christianos fuisse Græci, Asianique intellexissent, tum hos impetu plebis commotos, ait, vehementer fuisse, vexasseque eos, qui nostram religionem colerent, quin ulli tamen mortem intulerint, quod jus vitæ, necisque penes urbicos magistratus non esset. Hos denique populares motus in caussa fuisse, cur Athenagoras, Melito Sardensis, & Apollinaris Hierapolitanus Apologias scripserint, obtulerintque Imperatori, quo modum vexandi fieri impetrarent.

Sed quid Marcus egerit, quoniam paullo ante demonstratum est, nunc omittatur. Quod præter Lugdunenses nullos alios extremo supplicio affectos fuisse scribit, concedi nullo modo potest. Namque (1) in Asia, in Hellade, aliisque in Provinciis plerosque martyras decessisse testata res est. Atque illud etiam constat, non ob ea crimina, quorum accusari Christiani solerent, sed religionis caussa, non aliarum Provinciarum modo, verum etiam Lugdunenses, atque Viennenses Christianos aut ad bestias damnatos, aut percussos fuisse (2). Quæ res, quoniam paullo post erit diligentius explicanda, non est cur hoc loco dirimenda esse videatur. Athenagoram autem quæ

(1) Vide Eusebium *lib. iv. Hist. cap. xv. pag. 164.* ubi „ Quo tempore, *inquit*, cum gravissimi „ persecutionum motus Asiam concussissent, Polycarpus vitam Martyrio terminavit &c. Memorat deinde alios, qui eodem tempore mortem pro Christo oppetere voluerunt. Athenagoras in Legatione, quam, ut paullo post videbimus, an. 177. æræ Christianæ scripsit „ Proinde, *inquit*, vos obsecramus, „ ut & nostri aliquam curam suscipiatis ὅπως ἐπαυσάμεθά ποτε ὑπὸ τῶν συκοφαντῶν σφαττόμενοι. „ *Ut a Sycophantis jugulari desinamus*, corporibus & vitis nostris insidiantur, postquam a nobis re- „ nunciatum est opibus *pag. 2. & seq. edit. opp. S. Just. an. 1615.* tam late autem grassata hæc persecutio est, ut Athenagoras *ibid. pag. 38* „ Innocentium, *dicat*, fama violatur tanta quidem calu- „ mniatorum frequentia, ut Proconsules, & Præfecti a vobis in diversas provincias missi, caussis au- „ diendis non sufficiant. Traducitur fama illorum &c. Quamobrem Eusebius *lib. v. Hist. cap. 1. pag. 197.* „ Annus tunc agebatur, *inquit*, septimus decimus Antonini Veri, quo tempore cum in nonnullis ter- „ rarum partibus violentior adversus nostros persecutio commota esset ex incursione popularium, innu- „ merabiles prope Martyres per universum Orbem enituisse, ex iis, quæ in unica Provincia conti- „ gerunt, conjicere est „. Errat ergo Dodwellus, qui tum adeo exiguo numero Martyres fuisse pugnat.

(2) Nam si ob scelus aliquod, cujus essent accusati, non vero ob religionem percussi fuissent, numquam Imperator, si negassent, dimittendos esse præscripsisset. Nam flagitiosi etiamsi negassent, liberi tamen non dimittebantur. Vide Euseb. *ibid. pag. 207. edit. Cantabrig.*

quæ Gallis evenerant, cognoſſe, poſtque eorum martyrium adjunxiſſe animum ad ſcribendam legationem, probare Dodwellus qui poterit, cum ille indicet (1), nihil ſe tum temporis accepiſſe, cum ſcriberet, eorum, quæ Lugduni, Viennæque contigerunt? Denique multos in Aſia, & Hellade martyres fuiſſe, tam eſt exploratum, ut mirer hominem diligentem, & peritum Hiſtoriarum, incidere in tam magnum erratum potuiſſe, ut contra eſſe ſtatuendum judicaret (2).

Commodo Imperatore, qui Marco Aurelio patri ſucceſſit, etſi res noſtræ meliore loco erant, tamen, ſaltem cum ille auſpicatus imperium eſt, Chriſtianos aliquot fuiſſe ad ſupplicium, cauſſa religionis, quam colerent, adductos, negari nullo modo (3) poteſt. Hoc interfecto, & ſucceſſore Pertinace paullo poſt, quam Commodus periit, ſublato, Didius Julianus dictus a Prætorianis militibus Imperator fuit. Sed cum eodem tempore exercituum duces tres, Severus

(1) Athenagoram nihil noſſe eorum, quæ geſta in Galliis fuerant, colligitur ex iis, quæ ipſe tradit in Legatione. Numquam enim dixiſſet, ut ſervos Chriſtianorum Ethnici interrogarent, ac ſi poſſent, extorquerent ab eis nos eorum ſcelerum reos eſſe, quorum accuſabamur, tumque jam convictos damnarent. Vide locum ſupra *lib.* I. *pag.* 160. Qua enim fronte jactare hæc potuiſſet, ſi accepiſſet, ſervos Gallorum Chriſtianorum accuſaſſe Dominos, quaſi iis flagitiis dediti eſſent? Vide quæ dixi ſupra *pag.* 160. *n.* 1. Anno autem CLXXVII. ſcriptam ab Athenagora legationem fuiſſe, cenſuerunt magnus Baronius ad an. CLXXIX. qui *reſpondet an.* CLXXVII. *num.* XL. Tillemontius *Tom.* II. *Mon. Hiſt. Eccl. Tom.* II. *part.* II. *pag.* 556. & ſi Pagio credimus diſſert. Hypat. *pag.* 116. Dionyſius Petavius. Ac Moshemius *diſſert. de ætat. Apolog. Ab Athenagora ſcripti* agens, editum illud ante an. 176. non fuiſſe ſatis dilucide probat; ut ne poſt annum quidem 177. Nam alioqui ſciſſet, quæ in Galliis geſta fuerant, neque dixiſſet „ Et ſervos aliqui noſtrum poſſident . . . . . Verum ne ex illis quidam ullus adver- „ ſum nos tale quidquam mentitus eſt. At an. 177. mentiti id ſervi fuerant, ut conſtat *ex Act. Mart. Lugd. apud Euſeb. lib.* V. *Hiſt. Eccl. cap.* I. Curarunt enim diligenter Galli, ut Eccleſiis omnibus quæ fuerant perpeſſi innoteſcerent. Itaque ſive Athenis Athenagoras agebat, ſive Alexandriæ, diu verſari in ignoratione earum rerum non poterat. Quid? quod Athenagoras innuat, tum cum obtulit Apologiam Imperatoribus M. Antonino, & Commodo, Romæ eos in Palatio egiſſe? Legat. *cap.* XIII. *pag.* 55. Id vero an. 177. congruit. Proximus enim annus 178. eos ab Urbe ſtatim evocavit. Lugdunenſes autem paſſos an. 177. fuiſſe, paucis oſtendimus capite ſuperiore, cum de legione fulminatrice ageremus. Id vero, præter inſignes Chronologus noſtros, multis demonſtravit contra Blondellum, Dodwellum, Loydium, & Clericum Joh. Laurentius Moshemius *obſerv. ſacris, & Hiſtoric. Critic. cap.* II. §. X. *pag.* 172.

(2) Vide, quæ protuli ſupra *pag.* 435. *not.* 5. *& ſeqq.* Acta S. Symphoriani apud Ruinart. *pag.* 68. & SS. Epipodii & Alex. *ibid. pag.* 63. *edit. Veron.*

(3) Conſtat ex extremo *libro Theophili Antiocheni ad Autolycum*, quod opus ſcriptum dixi anno I. Imperii Commodi. „ Adhuc hodie, *inquit*, non ceſſant Chriſtianos crudeliſſime, & immaniſſime „ virgis cædere „ & paullo ante „ Chriſtianos, qui verum Deum venerantur, hactenus ſunt perſecu- „ ti, nec adhuc hodie perſequi ceſſant: immo iis, qui verborum quibuſdam illecebris Deum convi- „ ciantur, præmia, & honores decernunt: quoſdam eorum, qui feſtinant ad vitam capeſſendam, & „ ſanctam vitam agunt, lapidibus obruere, quoſdam interficere. Vide *pag.* 140. *in Append. opp. S. Juſt. Mart. edit. an.* 1615. Imperare autem ſolus poſt patris interitum Commodus cœpit *an.* 180. Hoc circiter tempore Apollonius extremo ſupplicio, cauſſa Chriſtianæ religionis, interfectus eſt. Vide Euſeb. *lib.* V. *cap.* XXI. *pag.* 239. *& ſeq. edit. Cantabr.* ubi etſi meliore loco res noſtras ſub Commodo fuiſſe dicat, tamen omnino furendi finem ab Ethnicis factum, negat.

Severus in Pannonia, Pescennius Niger in Oriente, & Albinus in Galliis Imperium sumsissent, turbata dissensione civili republica, pax Ecclesiæ diuturna concessa est. Itaque quamquam alicubi nostri ab hostibus aliquando premi (1) solebant, tamen surere ubique Ethnici in Christianos non poterant, ut qui suis rebus prospicere, quam eos, qui nemini incommodo erant, insectari mallent.

VII.

De Severiana.

Anno circiter 202. æræ vulgaris Christianorum, qui decimus Imperii Septimii Severi fuit, sævissima in universas *Ecclesias* tempestas (2) coorta est. Itaque ubique locorum, ut est apud Eusebium, magna vis nostrum hominum ad supplicium ducebatur. Incredibile dictu est, quot genera cruciatuum excogitata ab hostibus fuerint, ut Christianis dire vexatis, nomen ejus religionis delere, funditusque memoriam tollere possent.

Adeo autem acriter sævitum in homines innocentes fuit, ut non deessent e Christianis, qui vehementer perterrefacti, instare Antichristi tempus (3) arbitrarentur. Atque est apud Eusebium, aliosque Ecclesiasticos scriptores, incredibilem eo tempore multitudinem martyrum extitisse, ut reprehensus merito Dodwellus fuerit, qui quasi pretii quidquam in imminuendo eorum numero fuisset,

(1) Constat ex Actis Martyrum Scillitanorum apud Ruinartium *pag. 73. & seqq. edit. Veron.* Passi namque anno 200. fuerunt. Proconsules autem, qui sæviebant, nitebantur edictis non Severi, sed superiorum Imperatorum.

(2) Spartianus in Sever. *cap.* XVII. *Judæos fieri*, inquit, *sub gravi pœna vetuit*, Severus, *idem etiam de Christianis sanxit*. Eusebius *lib.* VI. *Historiæ cap.* VII. De Juda Christiano eorum temporum, quibus Severus sæviebat, Scriptore loquens „ Antichristi, *inquit*, adventum jam tunc immi„ nere existimabat, adeo commota tunc adversus nostros persecutio, multorum animos vehementer „ conturbaverat. Anno CCII. cœpisse vexationem vix revocari in dubium potest. Quid caussæ autem fuerit, cur in nostros adeo Severus commoveretur, erga quos ante propensior, ut Tertulliani testimonio *ad Scapulam cap.* IV. liquet, difficile explicatu est. Sunt qui Plautianum hominem avarum, atque crudelem id consilii Severo, apud quem magna in existimatione erat, dedisse arbitrentur. In Ægypto imprimis persequutio sæviit, cum ibi Plautianus ageret. Dio *lib.* LXXVII. *pag.* 856. „ Morte, „ *inquit*, afficiebat magnum numerum clarorum, & honore sibi parium virorum &c. Eusebius *lib.* VI. *Hist. Eccl. cap.* I. *pag.* 257. *edit. Cantabrig.* „ Cum Severus persecutionem adversus Ecclesias exci„ tasset per omnes quidem ubique locorum Ecclesias ab Athletis pro pietate certantibus illustria sunt „ confecta Martyria, Præcipue tamen Alexandriæ increbuerant, cum ex universa Ægypto ac Thebai„ de lectissimi pugiles eo tamquam in amplissimum Dei stadium deducerentur, & cujusquemodi tormen„ ta, mortemque invicto animo perpessi, immortales a Deo coronas acciperent „. Describit mox Eusebius *cap.* II. Leonidis Patris Origenis, *& cap.* V. Potamiænæ Martyria.

(3) Vide notationem superiorem.

ſet, paucos omnino pro Chriſto ſanguinem fudiſſe, contra atque vetera monumenta poſcerent (1), defendit. Errat ille (2) præterea, quo loco ſcribit, duorum annorum intervallo tantum vexatam a Severo fuiſſe Eccleſiam. Nam ea longe diuturnior vexatio fuit. Alexander Epiſcopus Hieroſolymitarum, anno 211. conjectus in vincula cum eſſet, litteras Clementi Alexandrino (3) commiſit, quo tuto ad Antiochenos deferri poſſent. Quæ res plane efficit, ceſſatum eo anno nondum ab exagitandis noſtris fuiſſe. Numerat rurſum Tertullianus (4) Præſides in Africa ſex, qui in Chriſtianos, cum eam Provinciam obtinerent, debacchati ſint, etſi aliquid quandoque de ſuo furore remitti paterentur. Ita fit, ut in Africa ad ſexennium ſaltem perſecutio producta fuerit. Hoc fere tempore Clemens Alexandrinus ſuos *ſtromateon libros* ſcripſit. In iis, quam eſſent res Eccleſiæ afflictæ, paucis verbis ſignificavit (5). Anno 203. Felicitas, Perpetua, ſociique martyres diris tormentis cruciati, martyrii tandem gloriam conſequi meruerunt (6). Quin etiam anno circiter 210. Plutarchus, aliique Alexandriæ pro Chriſti religione tuenda ad mortem uſque invicte certarunt (7). Minus caute vero, vir alioqui doctiſſimus, Theodoricus Ruinartius ex Tertulliani Apologetico efficere ſe poſſe putavit, magnum fuiſſe tem-

(1) Vide verba Euſebii *notat. ſuperiore*. Clemens Alex. *lib.* II. *Stromat. num.* XX. *pag.* 494. *edit. Oxon.* „ Nobis autem, *inquit*, ſunt quotidie redundantes Martyrum fontes, qui noſtris ſpectantur oculis, qui torrentur, torquentur, & capite truncantur „ *& lib.* IV. *pag.* 598. *Chriſtianos affici*, inquit, *ſuppliciis, quod ſint Chriſtiani*.

(2) Dodwell. *ibid. num.* XLI. *pag.* 79.

(3) Euſebius *lib.* VI. *cap.* XI. *pag.* 269. *edit. Oxon.*

(4) *Ad Scapulam cap.* IV. „ Vigellius, *inquit*, Saturninus, qui primus in nos gladium egit, lumina „ amiſit. Sub Hilariano præſide cum de areis ſepulturarum noſtrarum acclamaſſent, areæ non ſint, „ areæ ipſorum non fuerunt. Quanti autem Præſides & crudeliores, & conſtantiores diſſimulaverunt ab „ hujuſmodi cauſſis? Ut Cincius Severus, qui Thiſtri ipſe dedit remedium, quomodo reſponderent „ Chriſtiani, ut dimitti poſſent: ut Veſpronius Candidus, qui Chriſtianum, quaſi tumultuoſum, ci„ vibus ſuis ſatisfacere dimiſit: ut Aſper, qui modice vexatum hominem, & ſtatim dejectum, nec ſa„ crificium compulit facere, ante profeſſus inter advocatos, & adſeſſores, dolere ſe incidiſſe in hanc „ cauſſam. Pudens etiam miſſum ad ſe Chriſtianum, in elogio concuſſione ejus intellecta, dimiſit, „ ſciſſo eodem elogio, ſine accuſatore negans ſe auditurum hominem ſecundum mandatum. Hæc „ omnia tibi, & de officio ſuggeri poſſunt, & ab eiſdem advocatis, qui & ipſi beneficia habent Chri„ ſtianorum „. His ſeptimus accedit Scapula, qui *Adrumetinum Manilum ad beſtias damnavit*. Scapula occiſo, Geta Africam adminiſtrabat. Plus igitur ſexennio perſequutio ſævriit, quamvis mites aliqui Proconſules ejus Provinciæ erga Chriſtianos fuerint.

(5) Vide locum ſupra deſcriptum, & quæ infra in notis diſputata ſunt.

(6) Edita primum Romæ Acta horum SS MM. a Luca Holſtenio Viro Clariſſimo ſunt. Inde cum notationibus Holſtenii recuſa Pariſiis, cura, & ſtudio Henrici Valeſii. Eadem deinde a Ruinartio in *Act. SS. MM. ſinceris pag.* 8n. *& ſeqq.* poſtremoque ab Orſio *in Calce Diſſert. de SS. MM. Perp. & Felicit. Orthodoxia* publicata fuerunt, additis ab utroque novis notationibus.

(7) Vide Euſebium *lib.* VI. *cap.* I. *& ſeqq.* & Ruinartium *ibid pag.* 99. *& ſeqq. edit. Veron.*

tempore persequutionis a Severo commotæ numerum Sanctorum Martyrum (1).

Quemadmodum enim concludi id potuit ex eo genere monumenti, quod anno 198. publicatum est, quadriennio scilicet ante, quam Severus animadversionem in nostros statuere decrevisset? Atque eo, quem dixi, anno scriptum, editumque Apologeticon a Tertulliano fuisse, multis evicit Johannes Laurentius Moshemius, sequutus Antonium Pagium virum eruditissimum auctorem (2). Quodsi eo intervallo multos nostrum adductos ad supplicium Tertullianus scripsit, recte ille (3) quidem, atque vere scripsit, quod etsi edicta ab Severo ulla nondum publicata adversus Christianos essent tamen Præsides Provinciarum, Christianos in jus vocatos, caussa religionis, plecti more majorum imperabant (4). Quod cum animadversum ante a magno Baronio sit (5), tum est a multis aliis doctis, atque in historia summa cum laude exercitatis viris probatum, & confirmatum. Ac præter exemplum Martyrum Scillitanorum, quod in eamdem sententiam Ruinartius (6) alio loco adduxerat, est illud præterea concedendum nisi anno æræ Christianæ 94., saltem ante annum 202. *stromata* a Clemente Alexandrino vulgata (7) fuisse. Is vero cum scriberet, intueri se consuesse testatur quotidie redundantes fontes sanguine SS. Martyrum. Est item apud Paulum

(1) Theodoricus Ruinart. *in Præf. pag.* xli. *edit. Veron.*

(2) Moshemius *Dissert. de Ætat. Apolog. Tertull.* Antonius Pagius *Diss. Hypatic. par.* II. *cap.* III. §. xii. *pag.* 117. *edit. Lugdun. an.* 1682.

(3) Tertull. *Apolog. cap.* II. *pag.* 34. „ Ideo & credunt de nobis, *inquit*, quæ non probantur, „ & nolunt inquiri ne probentur non esse, quæ malunt credi esse, ut nomen illius æmulæ rationis ini-„ micum, præsumtis non probatis criminibus de sua sola confessione damnetur. Ideo torquemur „ confitentes, & punimur perseverantes..... quia nominis prælium est „. Vide & *cap.* XII.

(4) Consule *Apolog. cap.* IV. V. VI.

(5) *Ad an.* CXCVIII.

(6) *Ruinart. Præfat. ad Acta SS. MM. num.* 42.

(7) Severo Imperatore scriptos a Clemente Stromateon libros fuisse, dictum supra est, idque jam Eusebii auctoritate patet *lib.* VI. *Hist. Eccl. cap.* VI. *pag.* 264. *edit. Cantabrig.* Itaque ejus testimonio usus sum, ut ostenderem sub Severo plerosque Martyras fuisse. Quo autem anno Severi scripserit, non dixi, quod sive ante vulgata ab eo Imperatore contra Christianos edicta, sive post scripserit, perinde se rem habere arbitrarer, cum illud adversus Dodwellum tenerem, Severo regnante, permultos fuisse, qui pro Christo sanguinem fuderint. Nicolaus Nourrius *Apparat. in Biblioth. SS. PP. Tom.* I. *lib.* III. *diss.* II. *cap.* II. *pag.* 869. anno XCIV. Nam animadvertit in temporum computatione, quam priore libro Clemens instituit, eum Commodi tempora non excessisse. *A primo certamine*, inquit, *ad Commodi mortem anni* III. *lib.* I. *pag.* 402. *edit. Oxon.* Ex qua re concludit Nourrius non multo ante, quam hæc scripta a Clemente fuerunt, periisse Commodum. Atque ante publicata edicta Stromateon libros fuisse perfectos ostendit Moshemius *dissert. de Ætate Apolog. Tertull. num.* X. quod Eusebius *lib.* VI. *Hist. Eccl. cap.* XI. & Hieronymus *lib. de vir. Illustr. cap.* XXXVIII. testentur, eum decertis Severi persequutio Alexandriæ sæviret, cum Alexandria in Syriam abiisse. Quo tempore pleno incommodorum perdifficile sane erat aggredi opus tanta eruditione refertum.

lum (1) Orosium scriptorem seculi v. bellum Severo ab Albino indictum pœnam ejus sævitiæ fuisse, qua ille usus adversus Christianos fuerat. Quis autem est, qui bellum ejusmodi ortum esse ante ducentesimum æræ Christianorum annum neget? Sed non est opus, ut si Tertullianus nobis præsidio sit, scriptores v. seculi mihi esse requirendos putem. Ergo ille cum Apologeticon (2) scriberet, nihil e *palatio* spirasse dicit, quod adversum Christianis esset. *Palatium* autem quid significat, nisi *Imperatores*, quorum illud domicilium erat? Quo autem ore ausus hoc fuisset affirmare, si edicta jam prodiissent, quibus rapi in jus Christianos, cruciari, atque interfici debere præscriberetur? Quid? Si plebem, eosque, qui nostros vexari, atque occidi curabant, non ad leges, quas Severus publicavisset, sed ad veteres (3), quas superiores Imperatores dederant, Tertullianus provocare consuesse dicat? An si ulla edicta, qui tum vivebant, Principes vulgassent, plebs ea omittenda putasset esse, ut ad antiqua confugeret? Præterea quod cap. v. statuit (4), *nullum Hadrianum, nullum Vespasianum, nullum Pium, nullum denique Severum datis legibus* in Christianos sævisse. Sunt enim qui non *Severum*, sed *Verum* esse legendum existiment, a quibus nulla est caussa, cur dissentiam. Verum quum in Apologetico tot indicia sint, quæ plane efficiant, illud fuisse ante an. 202. perscriptum; non est opus præsidio aliorum argumentorum. Interea statuendum illud est, antequam vulgata a Severo edicta essent, plures Martyras eo Imperante sanguinem, religionis caussa, quam profiterentur, fudisse.

Post Severi interitum, num a Caracalla ad Maximinum ullus fuerit, qui quærendos ad necem Christianos statuerit, incertum est.

(1) *Lib.* vii. *cap.* xvii. *edit. Mogunt. an.* 1615. *pag.* 542. „ Quinta, *inquit*, post Neronem persecutione, Severus Christianos excruciavit, plurimique Sanctorum per diversas provincias coronati sunt. Hanc profanam in Christianos, & Ecclesiam Dei præsumtionem Severi cælestis ultio e vestigio acta subsequitur. Nam continuo rapitur, vel retrahitur in Galliam Severus e Syria ad tertium civile bellum. Unum enim jam Romæ adversus Julianum, aliud in Syria contra Pescennium gesserat, tertium Clodius Albinus Juliani in occidendo Pertinacem socius, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, suscitabat.

(2) *Cap.* xxxv. *Apolog.* „ Nec ulli magis, *inquit*, depostulatores Christianorum, quam vulgus „ ..... Plane ceteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide, nihil hosticum de ipso senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirat.

(3) *Apolog. cap.* iv.

(4) *Cap.* v. *Apolog.* Extant codices, qui *Severum* habeant, sintque non minimi pretii. At meliores, ut Havercampus animadvertit, sciscunt: *Verus*. Guillelmus Caveus *Hist. litter.* Scriptor. Ecclesiast. *Tom.* 2. *pag.* 42. *edit. Genev.*, an. 202. Apologeticon editum fuisse a Tertulliano pugnat. Ratio,

Mirabile autem videtur, tot Martyres sub Alexandro numerari, quem constat fuisse ceteris, qui ante se vixissent, Imperatoribus in Chri-

Ratio, quæ illum, ut id suspicaretur, induxit, ea una fuit, quod vexatos fuisse vetus ille Scriptor Christianos, cum opus illud elaboraret, testetur; edictaque de cruciandis nostris ante an. 202. publicata non fuerint. Sed leve id quidem est. Nam constat, sævitum etiam ante in Christianos fuisse, etsi edicta publicata nulla erant. Atque ante illud tempus fuisse scriptum Apologeticon a Tertulliano, supra ostensum est. Henricus Dodwellus *dissert. de Primæva Rom. Pont. success. opp. Pearsoni posthumis addita* c.XIII. §. III. *pag.* 173. circa an. 203. opus illud perscriptum putat. Alio loco a se ipso dissentiens an. 202., quod id sibi opportunum ad suum de paucitate Martyrum systema constituendum videretur. *Dissert.* XI. *Cyprian.* §. XXII. *pag.* 69. *edit. Brem.* Rursum circa an. 211. *medio aliquo tempore inter Severi persecutiones, atque Maximini ortam eam videri in Africa persecutionem* dicit *dissert.* XI. *Cyprianica num.* LI. *pag.* 72. quæ Tertulliano *occasionem dederit scribendi Apologeticum*. Ita ille omnia turbat. Sed quætumque tandem barum sententiarum verisimilior illi visa sit, ea certe vitio non vacat, ut ante constitit. Eam, quæ est de anno CCIII., probavit Samuel Basnagius *ad an.* CC. *num.* VIII. *pag.* 216. *Tom.* I. *Annal.* Sed is lapsus etiam eo errore est, ut ante vulgata in Christianos edicta a Severo Ecclesiam summa pace gavisam putaret. Vir eruditissimus Antonius Pagius, qui in *dissert. Hypatica*, ut adnotavi, an. 198. editum fuisse opusculum illud censuit; in Critica Baroniana ad an. 199. *n.* VI. sententiam mutavit, statuitque, esse illud in an. 205. conjiciendum. Ita, ut castigaret Baronium, lapsus in gravem errorem est. Atque animadvertere vir magnus debebat, solere etiam Ethnicos ante vulgata in nostros edicta a Severo consuevisse. Id vero constitit supra non auctoritate Clementis, & Tertulliani modo, sed etiam exemplo Martyrum Scillitanorum, quorum Acta primum a Baronio *ad an.* CC., deinde a Ruinartio *loc. cit.* edita sunt, etsi Baroniana in nonnullis a Ruinartianis discrepent, ut & initium eorumdem Actorum publicatum *T.* IV. *veter. Analector.* a Mabillonio ab utrisque differt. Neque Florentinium moror, qui in *not. ad Martyrologium Hieronymianum pag.* 668. defendit, ea Acta suspecta falsitatis sibi esse, quod non conveniant in nonnullis rebus cum Martyrologiis, quæ Hieronymi nomen præferrent. Cur enim anteponam recentiora monumenta iis, quibus inesse notæ omnes vetustatis videntur? Sed sunt Chronologi, & hi quidem eruditissimi, qui etsi non an. 198. ut mihi videtur, at saltem an. 200., adeoque ante data edicta Apologeticon editum putent, ut Pamelius *vita Tert. pag.* 9. *opp. Tert. edit. Venet. an.* 1698. Dupinius *Biblioth. Auctor. Ecclesiast. Tom.* 1. *pag.* 92. Tillemontius *Hist. Imperat. Tom.* III. *part.* I. *pag.* 94. *edit. Bruxel.* Ac vidit quidem Dodwellus defendi ratione non posse, quod ille de an. 202. vel. 203. vel 211. statuit, quod ex Apologetico constet, Tertullianum ante publicata edicta scripsisse. Itaque, ut quod cogitarat de paucitate Martyrum, deque brevitate persecutionis aliquo modo sustinere posset, rogata tum quidem decreta a Severo dixit, in notitiam vero Tertulliani pervenisse dum scriberet, negavit. At non animadvertit primo, maxima celeritate edicta Principum tum temporis ad omnes Provincias perferri consuesse, quare inane esse, quod finxit. II. Si in Provinciam Africam nondum notitia de edictis pervenerat, tamen persecutionem invaluisse, adeoque ante edicta sævitum ab Ethnicis etiam in Christianos fuisse. Quemadmodum enim vi edictorum Africæ Præsides mortem cuiquam intulissent ob religionem, si nondum ea acceperant? Quod si puniebant Christianos an. 202., quin quidquam de novis decretis accepissent, quod haberent edicta superiorum Imperatorum, non video, cur punire ante annum eumdem noluerint quemquam Christianorum, quum eædem caussæ puniendi illis essent in promtu. Non est autem opus, ut in re commenticia, quam everti posse exemplis, testimoniisque supra adductis liquet, refellenda copiosius verser. At Severo, *inquit*, Præsidibus, plebique ante an. 202. sæviendi in Christianos otium non erat, quod bellis detinerentur. Ridiculum! Quasi vero Ethnici, qui calamitates, Christianorum caussa, oriri arbitrabantur, tum maxime, cum bella fervérent, in nostros debacchati non sint. Vide Arnobium *lib.* 1. *adv. Gent. pag.* 16. *edit. Heraldi an.* 1605. Sed dabo, iis in locis, in quibus an. 198. Imperator degebat, pace frui Christianos potuisse, in aliis Provinciis quid impediebat, quo minus præfecti sævirent? Ac ne illud quidem verum est, Imperatores, qui bello pressi essent, sibi a vexandis Christianis temperasse. Nam Valerianus belli tempore pleni periculorum nostros ærumnis, atque injuriis maximis affecit. Quæ cum ita sint, non equidem intelligo, cur ei argumento, quo Dodwellus abutitur, vim aliquam inesse crediderit Tillemontius *Tom.* III. *vit. Imperat. part.* I. *pag.* 146. *edit. Bruxel.* Sed Christiani, inquit Dodwellus, neque Albinianis, neque Nigrinianis partibus studebant, ut in eos esse animadvertendum Severus putaret. Mirum erudito homini fuisse incognitum, Christianos, non quod cuiquam Tyranno adhærerent, sed religionis caussa fuisse damnatos, dixisseque proinde Tertullianum *nominis* Christiani *prælium id esse. Apolog. cap.* II. Sed de his satis dictum esto.

Christianos propensiorem . Sed si revocemus in memoriam , quæ de impetu plebis , deque Præsidum crudelitate dicta alio loco sunt, nihil impediet , quo minus existimemus , aliquos ejusmodi Præsides (1) fuisse sub Alexandro , qui populis rem gratam facturi , nostros , si accusati fuissent , more majorum plectendos esse arbitrarentur (2) .

V I I I.

De Maximiniana .

Sequitur ut de ea , quæ orta Maximini jussu in Christianos est, *persequutione* dicam . Is igitur anno 235. imperii primo , quod incredibili in decessorem Alexandrum odio (3) ferretur , esse in eos modis omnibus animadvertendum putavit , quorum magnam fuisse in Palatio & multitudinem , & apud Imperatorem existimationem cognorat . Sæva imprimis (4) hæc fuit vexatio . Principio ille Episcopos , quod religionem docerent , sacrisque praeessent , comprehendi , atque interfici (5) præcepit . In alios deinde edi omnia cruciatus exempla (6) jussit . Itaque permulti patria excedere , ut

(1) Adeundus Ruinartius *Præf. num.* 47. 48. *Martyrolog. Rom.* xi. *Oct.* xxii. *Nov.*

(2) De persecutione sub Severo adeundi Tillemontius *Tom.* iiI. *Hist. Imperat. pag.* 146. *& seqq.* 415. *& seqq. Tom* iiI. *Mon. Hist. Eccl. pag.* 114. *& seq.* & *pag.* 636. Josephus Maria Suaresius ad Arcum L. Septimii Severi *Rom. edit. an.* 1676. . Baronius *Martyrolog. ad* vii. *Martii* , *&* Bollandiani *Act. SS. ad* vii. *Martii* .

(3) Eusebius *Hist. Eccl. lib.* vi. *cap.* xxviii. „ Gravi odio succensus , *inquit* , adversus familiam „ Alexandri , in qua plerique erant Christiani , persecutione excitata , solos Antistites Ecclesiæ , ut„ pote Evangelicæ prædicationis auctores , interfici jussit „ . Commotum item caussa Origenis Maximinum fuisse , scribit Orosius *lib.* vii. *cap.* xix.

(4) Firmilianus epist. inter Cyprianicas lv. *ad num. Pamelii* item lxxv. *pag.* 222. *edit. Bremensis* , „ Volo autem vobis , *inquit* , & de Historia , quæ apud nos facta est , exponere ad hoc ipsum perti„ nente . Ante viginti enim , & duos fere annos , temporibus post Alexandrum Imperatorem , multæ „ isthic conflictationes , & pressuræ acciderunt , vel in commune omnibus , vel privatim Christianis : „ terræ etiam motus plurimi , & frequentes exciterunt . . . . . Serenianus tunc fuit in nostra Provincia „ præses acerbus , & dirus persecutor . In hac autem persecutione constitutis fidelibus , & huc atque „ illuc persecutionis metu fugientibus , & patrias suas relinquentibus , atque in alias partes regionum „ transeuntibus : erat enim transeundi facultas , eo quod persecutio illa non per totum mundum , sed „ localis fuisset „ . Sed localis fuit eo tempore , quod designat Firmilianus , nempe initio Imperii Maximini , quo nondum edicta publicata in ceteris provinciis fuerant . Nam Origenes Ecclesias persequutionem passas scribit , ut mox liquebit .

(5) Vide Eusebium *loc. cit.*

(6) Consule Firmilianum *loc. cit.* Hinc Ambrosius , & Protectus multa perpessi eo tempore fuerunt . Adeundus Eusebius *lib.* vi. *cap.* xxviii. *pag.* 293. *edit. Cantabr.* Origenes in Matthæum *Homil* xxviii. „ Scimus , *inquit* , & apud nos terræmotum factum in locis quibusdam , & factas fuisse „ quasdam ruinas , ita ut qui erant impii extra fidem , caussam terræmotus dicerent Christianos : pro„ pter quod ET PERSECUTIONES PASSÆ SUNT ECCLESIÆ , ET INCENSÆ SUNT „ . Vide hujus librum de *Exhort. ad Martyrium* , quem hoc tempore scripsit .

fuga salutem peterent (1), statuerunt. Qui capti ab hostibus sunt, in summum cruciatum venerunt. Errat autem Dodwellus (2), qui *brevissimam* hanc fuisse *persequutionem* defendit. Nam si adeo brevis fuit, cur Origenes (3) apud Julianam biennium in latebris constitisset? Neque vero, quia Romanis tuto in Urbe versari deinceps licuit, continuo sequitur, fuisse finem Christianos vexandi (4) factum in Provinciis, quæ Maximino parerent. Nam Vitaliano, qui in Urbe Prætorianis militibus præerat, homine crudeli, & simili Maximino, Senatus jussu interfecto, vis tempestatis in Christianos commotæ sedata aliquanto est. Is autem periit, ubi intellectum Romanis fuit, dictos esse Gordianos Imperatores. Quamobrem concedendum est ad annum usque 237. sævitum in Romanam Ecclesiam fuisse, adeoque ne ab ea quidem vexanda hostes biennio saltem cessasse. At in Provinciis, quæ in Maximini ditionem ceciderant, nulla erat caussa, cur inimici nominis Christiani ab incœpto desisterent (5).

I X.

De Deciana.

Anno 249. Decius Imperator a militibus dictus est. Is ductus odio in Philippum (6), quem in res Christianas propensum fuisse sciret, in nostros crudeliter agere, delereque religionem, quæ late, longeque propagata erat, constituit. Itaque edictis novis publicatis, tanto adversus nostros furore Ethnici exarserunt, ut nullus in Romano Imperio locus esset, in quo non multi pro Christo mortem (7) oppeterent. Neque vero quod crudelis in nostros esset, idcir-

(1) Consule modo relatum locum Firmiliani.

(2) *Dissert. Cyprian.* XI. *num.* XLIX.

(3) Vide Palladii *Hist. Lausiacam cap.* LI.

(4) De Vitaliano Capitolinus *in Gordian. cap.* X. „ Quod se antea crudeliter egerat, *inquit*, & „ tunc magis ejus immanitas timebatur, amica, & familiaris moribus Maximini: *interfectus est* „. Sed tribus annis sævisse Maximinum scribit Rufinus *lib.* VI. *cap.* XIX. *Maximus numerus*, inquit, *extitit Confessorum tribus annis a Maximino persecutione commota.*

(5) De persecutione sub Maximino Thrace an. 235. 236. & 237. adeundi Tillemontius *Tom.* III. *Hist. Imperat. pag.* 514. *edit. Paris.* & *Tom.* III. *Mon. Hist. Eccl. pag.* 263. *edit. Paris.* 690. Ruinartius *in Præfat. ad Acta SS. MM. sincera num.* 49.

(6) Eusebius *lib.* VI. *cap.* XXXIX. *pag.* 301. *edit. Cantabrig.*

(7) Eusebius *ibid.* „ In qua persecutione, *inquit*, cum Fabianus Romæ Martyrium pertulisset, „ in ejus locum Cornelius subrogatus est. In Palæstina autem Alexander Hierosolymorum Episcopus

„ rur-

idcirco magnam non est apud suos Decius laudem (1) consequutus. Solebant enim boni alioqui Principes, quod superstitione imbuti essent, eos insectari, quos esse suorum numinum hostes putarent, ut injuriam his, velut existimabant, inlatam (2) ulciscerentur.

Itaque nulla erat caussa, cur majoribus nostris Dodwellus (3) invidiam conflaret, quasi vexationem Ecclesiarum longe majorem esse scripserint, quam veritas flagitaret. Ab Imperatore namque, quem scriptores Ethnici tantopere commendassent, tot mala, tamque gravia profecta esse, ne suspicari quidem Dodwellus poterat. At veteres Christiani, qui tum florebant, cum sævire Decius in nostros cœpit, quique ejus Imperatoris furorem experti sunt, plane cogno-

„ rursum propter Christum ad Præsidis tribunal adductus, cum ex secunda hac confessione magnam glo„ riam retulisset, Cæsareæ in carcerem conjectus est.....qui cum post præclaram..... Confessio„ nem in præsidiali judicio editam, tandem in custodia animam exhalasset, Mazabanes in ejus lo„ cum Episcopus renunciatus est. Eodemque modo apud Antiochiam Episcopo Babyla post Confessio„ nem in vinculis mortuo, Fabius Ecclesiæ illi præficitur. Porro quæ, & quanta Origeni in ea per„ secutione acciderint.....quæ & quanta propter doctrinam Christi vir ille pertulerit, vincula scilicet, & corporis cruciatus, & intimo carceris recessu ferrei torquis ærumnas, utque multorum die„ rum spatio pedes in nervo ad quatuor usque foraminum interstitia distenti fuerint. Ad hæc ignium „ minas, & quæcumque alia ab inimicis illata fortiter sustinuit..... plurimæ ejus Epistolæ non mi„ nus vere, quam accurate commemorant. *Cap.* deinde XLI. *pag.* 304. persequitur Eusebius, quæ perpessi incommoda & ante vulgata edicta commotam in nostros a Decio tempestatem Alexandrini fuerint, quique tunc apud eos Martyres extiterint. Inde *cap.* XLII. *de aliis Martyribus* a Dionysio Alexandrino commemoratis agens his ejus Episcopi verbis utitur „ *Sed & alii complures*, inquit, *per oppida, & vicos a gentilibus discerpti sunt*. Ex his autem, exque verbis Cypriani, quæ post adducam, cum liqueat Italos, Asianos, Ægyptios, ceterosque Africanos fuisse vexatos, consequens est, generalem fuisse persecutionem. Præterea Lucius Cæcilius *cap.* IV. *libri de Mortibus Persecutorum pag.* 188. *Tom.* II. *opp. Lactantii edit. Paris. an.* 1748. „ Extitit.....Decius, *inquit*, ... „ qui vexaret Ecclesiam &c.

(1) Aurelius Victor *Epit. pag.* 540. *edit. an.* 1688. „ Vir erat, *inquit*, artibus cunctis, virtuti„ busque instructus, placidus, & communis domi, in armis promtissimus &c.

(2) *Execrabile animal* appellatus Decius a Patribus est, non quo cives, sed quo Ecclesiam indignis modis exagitarit. Quare Cæcilius *l. c.*: *Extitit execrabile animal Decius, qui vexaret Ecclesiam. Quis enim justitiam; nisi malus persequatur? Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit, ut protinus caderet*.

(3) Sine summa injuria nemo homines & sanctos, & diligentes, adeoque fide dignos calumniæ arguit, ut Dodwellus, cum Patres *fabulatores*, & *iniquissimos* vocat, facit. *Dissert. Cyprian.* XI. *num.* LII. *pag.* 84. At sævissimam fuisse persecutionem, si antiquis monumentis insistamus, quis neget? S. Fabianum Romæ tunc fuisse interfectum certum est. Id affirmant *Euseb. l. c.* Catalogi Bucheriani antiquissimus Scriptor. *Passus est*, inquit, XII. *Kal. Febr. Tom.* I. *Vit. Pontif. ab Anastasio Bibl.*, *ut dicitur, Scriptar. editionis an.* 1718. Consule S. Cyprianum *epist.* IX. *ad Pamelii num.* IV. *pag.* 18. *edit. Brem.* Alii præterea eodem tempore passi Romæ fuerunt, ut ne Basnagius quidem *ad an.* 250. *num.* 2. neget. Jam de Alexandrina persecutione, quam atrox fuerit, indicatum paullo ante est. Quod ipsum est de Hierosolymitana, & Antiochena dicendum. De Africana sic habet Cyprianus *epist.* X. *al.* IX. *pag.* 20. „ Crevit pugna, crevit & pugnantium gloria. Nec retardati estis ab acie tormentorum me„ tu, sed ipsis tormentis magis estis ad aciem provocati..... Ex quibus quosdam jam comperi coro„ natos, quosdam vero ad coronam victoriæ proximos..... Tolerastis usque ad consummationem glo„ riæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem do-

„ lorum

cognorant, quam atrox ea vexatio (1) fuerit, ut conjecturis non sit opus, quibus eorum tam luculenta testimonia rejiciantur. Atque ego quidem Dodwelli prudentiam, studiumque inquirendæ veritatis desidero, qui, cum Patres ejus ætatis tanta & sinceritate, & integritate morum præstitisse cognosset, tamen eos, quasi fabulis delectarentur, atque iniqui Imperatori tanto essent, contemnere maluit, quam abjicere falsam, quam animo de paucitate martyrum concœperat, opinionem.

Est vero illud indignum viro, qui magna historiæ veteris peritia inclaruerit, quod Dodwellus adjungit, Christianos scilicet tunc ætatis quæsitos ad necem (2) minime fuisse, propterea quod plerique eorum, qui capti fuerant, extincto Decio, vita fruerentur. Quid enim hæc conjectura valeat contra manifestam antiquorum scriptorum (3) auctoritatem? Non sum nescius, superstites fuisse post Decii interitum eorum permultos, qui vexati eo Imperatore fuerunt. Sed hostium Christiani nominis hæc erat eo tempore ratio, ut diu nostros exagitarent, quo induci diuturnitate (4) supplicii ad sacrificandum possent. Quamobrem martyres, nonnisi post gravissimos cruciatus, cædi consuerant. Immo vero, ut perferre nova tormenta, qui cruciati fuerant, facilius possent, eisque spatium negandi daretur, eorum vulnera jussu Præsidum (5) curabantur. Itaque factum est, ut in carcere multi aut dolore, aut inedia (6 interirent. Quare tam erat dira ea vexandorum Christianorum ratio, ut Cypriano acerrimo illi severioris disciplinæ defensori,

„ lorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt..... Laniena gravior ad hoc diu perseveravit, non ut stantem fidem dejiceret, sed ut homines Dei ad Dominum velocius mitteret..... Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviena diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera. Fluebat sanguis, qui incendium persequutionis extingueret..... Preciosa mors hæc, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accipit coronam de consummatione virtutis &c. Sævitum quoque in Galliis fuit. Vide Acta S. Saturnini *apud Ruinart. pag.* 109. *edit. Veron.* Sydonium Apollinarem *lib.* VI. *epist.* XVI. Venantium Fortunatum *lib.* V. VIII. 9. & S. Gregorium Turonensem *lib.* I. *Hist. cap.* XXX. In Asia Smyrnis Pionium, sociosque pro Christo certasse putant Ruinartius *ibid. pag.* 116. *& seq.* Baronius, Valesius, & e Protestantibus Spanhemius, atque Usserius. Contra Basnagius *ad an.* 250. *num.* VII. sub Marco Aurelio passos eos fuisse contendit. Sed utrum verisimilius sit, non æque curo.

(1) Vide *notat. superiorem*.

(2) Dodwell. *loc. cit. num.* LIII.

(3) Confer, quæ paullo ante attuli Patrum, & Historicorum loca.

(4) Vide Cypriani testimonium supra descriptum, ut & Eusebium *lib.* VI. *cap.* XXXIX. *pag.* 301. *& seq. edit. Cantabr.*

(5) Vide Eusebium *loc. cit.*

(6) Lucianus *Epist. inter Cyprianicas* XXII. *al.* XX. *pag.* 47. *& seqq.* „ Jussi sumus secundum præ„ ceptum

ſori, ac vindici, qui cecidiſſent, excuſatione (1) quodammodo digni viderentur. Quod ſi aliqui ad majora ſupplicia reſervati, occiſo Decio, mortem vitarunt, non ſequitur, occiſum neminem fuiſſe, cum ille imperaret, ſi veteres ſcriptores, illius juſſu necatos pleroſque religionis Chriſtianæ cauſſa fuiſſe, tradiderunt.

A Gallo autem concitata in Clerum Romanum, aliaſque (2) Eccleſias tempeſtas, etſi diuturna non fuit, tamen magnam Chriſtianis intulit calamitatem. Nam aliqui ignibus exuſti, alii gladio percuſſi, alii ad beſtias damnati ſunt, quod Apollini ſacrificare detrectaſſent (3).

X.

„ ceptum Imperatoris fame, & ſiti necari, & recluſi ſumus in duabus cellis, ita ut nos afficerent fa- „ me, & ſiti, ſed & ignis vapore: & preſſura noſtra intollerabilis erat, quam nemo portare poſſet „. Videat Dodwellus, num, qui hæc juſſit, Imperator, liberari a nota ſævitiæ, & crudelitatis poſſit. Confer quæ attuli ex Euſebio de Alexandro Epiſcopo Hieroſolymorum in carcere mortuo, *pag.444. n.7.*

(1) Cyprianus *epiſt.*LVI. *al.* LIII. *pag.*115. *edit. Bremenſ.* „ Scripſiſtis mihi, fratres cariſſimi, quod „ cum in Capſenſi civitate propter ordinationem Epiſcopi eſſetis, pertulerit ad vos . . . . . frater, & „ collega noſter Ninum, Clementianum, Florum fratres noſtros, qui in perſecutione apprehenſi prius „ fuerant, & nomen Domini confeſſi . . . . . vicerant; poſtmodum, cum apud Proconſulem pœnis gra- „ vibus excruciarentur, vi tormentorum ſubactos eſſe, & de gradu gloriæ . . . . . diutinis cruciatibus „ excidiſſe, nec tamen poſt hunc gravem lapſum, non voluntate, ſed neceſſitate ſuſceptum, a pœni- „ nitentia agenda per hoc triennium deſtitiſſe . . . . . Et quidem . . . . . puto his indulgentiam Domini „ non defuturam, quos conſtat, ſtetiſſe in acie, nomen confeſſos eſſe . . . . . paſſos eſſe carcerem, diu „ inter minas Proconſulis . . . . . tormentis laniantibus, ac longa iteratione cruciatibus repugnaſſe, „ ut quod in noviſſima infirmitate carnis ſubactum videtur, meritorum præcedentium defenſione rele- „ vetur . . . . . Debent utique in accipenda pace præcedere, quos videmus non animi infirmitate ce- „ cidiſſe, ſed in prælio congreſſos, & vulneratos, per imbecillitatem carnis confeſſionis ſuæ coronam „ non potuiſſe perferre, maxime cum cupientibus mori non permitteretur occidi, ſed tamdiu feſſos „ tormenta laniarent, quamdiu non fidem, quæ invicta eſt, vincerent, ſed carnem, quæ infirma „ eſt, fatigarent.

(2) Euſebius *lib.* VII. *Hiſt. Eccl. cap.* 1. *pag.* 322. „ Sed neque Gallus culpam Decii intellexit, „ neque perſpexit quid tandem illum peſſumdediſſe. Quin potius ad eumdem lapidem ante oculos ſuus „ poſitum impegit. Qui, cum imperium Ipſius proſpero in ſtatu eſſet, cunctaque ex animi ſententia ſuc- „ cederent, viros ſanctos, qui pro pace, & incolumitate ipſius preces ad Deum allegabant, inſecta- „ tus eſt „. Atque hæc ex Dionyſio Alexandrino ſcriptore temporum illorum Euſebius in ſuam Hiſto- riam tranſtulit.

(3) Adeundi Tillemontius *Tom.* III. *Hiſt. Imperat. pag.* 602. *&* 811. *& ſeqq. edit. Pariſ.* Pagius *Tom.*1. *Critic. Baron. pag.*235. *prima edit.* Ruinartius *in Præfat. ad Act. SS. MM. num.*50. *& ſeqq.*

X.

De Valeriani in Christianos sævitia.

Etsi erat is initio æquiore animo in Christianos (1), tamen anno quinto Imperii, qui æræ Christianæ 257. fuit, Macriani, quem Archisynagogum (2) Magorum Ægyptiorum Dionysius Alexandrinus appellat, artibus, dolisque circumventus, impetum in nostros fieri, multosque ubique locorum interfici (3) curavit. Neque vero de Episcopis solum, & Clericis, quæ Dodwelli sententia est, sed etiam de plebe (4) Christianorum statuit, esse supplicium sumendum. Anno 258., novo Imperatoris rescripto, magis magisque aucta (5) mala Ecclesiæ fuerunt. Eo tempore Romæ Sixtus (6) Pontifex, paulloque post Carthagine (7) Cyprianus, & alibi alii (8) interfecti sunt. Est vero apud Gregorium Turonensem irruptione barbarorum (9) in Galliis quoque permultos propter Christianam religionem interiisse. An. 259. cum captus a Persis Valerianus fuisset, Gallienus Ecclesiæ pacem restituit, quamquam apud Alexandrinos Macri-

(1) Vide Dionysii Alexandrini Epistolam ad Hermammonem apud Eusebium *lib.* VII. *Hist. Eccl. cap.* X. *pag.* 331, *edit. Cant.* ubi „ Is, *inquit*, ante persecutionem . . . . . mansuetus quidem, ac beni-
„ gnus erat erga famulos Dei. Neque enim ullus superiorum Principum, ne illi quidem ipsi, qui pa-
„ lam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate, ac benevolentia nostros complexus est, quantam
„ ille præseferebat initio principatus sui. Totaque ejus familia piis hominibus abundabat, ac Dei Ec-
„ clesia esse videbatur.

(2) Dionysius *ibid.* „ Verum magister, & archisynagogus Magorum Ægypti ei tandem persuasit,
„ ut ab hoc instituto desisteret, jubens, ut castos quidem, & sanctos viros persequeretur, atque
„ occideret, quippe qui scelestis, ac detestandis incantationibus adversarentur . . . . . Valerianus,
„ qui ad hujusmodi facinora a Macriano impulsus fuerat, contumeliis fuit expositus &c.

(3) Vide *not. super.*

(4) Consule Eusebium *loc. cit. cap.* XI. *pag.* 338. & *cap.* XII. *pag.* 339. Cyprianus *epist.* LXXVI. *al.* LXXVII. „ Exemplum vestrum, *inquit*, secuta multiplex plebis portio, confessa est vobiscum
„ pariter, & pariter coronata est ... Ut Martyrii beatum gregem & sexus, & ætas omnis ornaret *pag.* 232. *& seq. edit. Brem.* Ex qua re liquet, *& pueros*, *& mulieres* martyrio fuisse coronatos, ut mirum sit Dodwellum tam turpiter esse lapsum. Vide Lucium Cæcilium *lib. de Mort. Persec. cap.* V. *pag.* 189. *Tom.* II. *opp. Lact. edit. Paris. an.* 1748.

(5) Vide *not. superior.*

(6) Tunc Sixtus Papa Romæ occisus est, & ut Cyprianus scribit *epist.* LXXX. *al.* LXXXII. quæ data est *an.* 258. „ Persecutioni quotidie præfecti in Urbe, *insisterunt*, ut qui sibi oblati fuerint, animad-
„ verterentur, *pag.* 238. Vide Ruinartium *Præf. ad Act. SS. MM. num.* 53.

(7) Consule Cyprianum de Sixto agentem *ibid.* & Acta S. Cypriani apud Ruinartium *Act. SS. MM. sincer. pag.* 171. *& seqq. edit. Veron.*

(8) Vide Acta SS. MM. Fructuosi, Augurii, & Eulogii apud eumdem *pag.* 191. *& seqq.* Jacobi, & Mariani *ibid. pag.* 194. *& seq.* Montani, & Lucii *pag.* 200. *& seqq.* S. Nicephori *pag.* 209. *& seqq.* apud eumdem, SS. Prisci, Malchi, & Alexandri *ibid. pag.* 212. S. Cyrilli pueri, *ibid. pag.* 213. *&c.*

(9) Consule Gregorium Turonensem *lib.* I. *cap.* XXXI. *Hist.*

Macrianus (1), qui Ægyptum obtinebat, cruciare Christianos pergeret. Interea qui morte afficiebantur, non ob edicta, quæ aut Gallienus, aut Claudius (2) tulissent, sed ob leges superiorum Imperatorum plecti solebant.

Aureliano Imperatore non tentata (3) modo, sed etiam commota in Christianos tempestas fuit. Anno 279. mortuo Aureliano, sex mensium spatio respublica caruit (4) Imperatore. Quo tempore, qui Provinciis præfecti erant, deterreri ab eis necandis minime potuerunt (5).

(1) Dionysius *Alex. apud Euseb. lib.* VII. *cap.* X. Persecutionem Alexandriæ menses 42. perdurasse scribit; id quod intelligi non potest, nisi Macrianus in Christianos Ægyptios persecutionem longius produxerit.

(2) Numerantur enim Martyres quidam, qui Claudii tempore interierint. Vide Baronium *ad an.* 269. 270. Etsi autem a Claudio sævitum in nostros fuisse difficile probatu sit, eo tamen regnante Ethnicos aliquos Christianorum vexasse, ac vita privasse, ostendit clarissimus Lupius *in dissert. ad monumentum S. Severæ* §. 11. *pag.* 6. Is vero refert, illustratque inscriptionem minio in lapide litteris Græcis, & Latinis vocibus scriptam, repertamque via Salaria in Cœmeterio SS. Thrasonis, & Saturnini, cum loculo cruento vase signato an. 1730. mense decembris. Ea vero sic habet.

ΚωΣΟVΛΕ . ΚΛΟV · ΔΕ · Ιω

ΕΔ . ΠΑΤΕΡΝω · Νω . ΝΕΙS

NOBEN . BPEI . BOVS . ΔΕΙ . Ε ΒΕ·ΝΕ·PES. ΛΟV.ΝΑ·XXIII.

ΛΕVΚΕC·ΦΕ·ΛΕ·Ι·Ε·CΕ·ΒΗ·PΕ·ΚΑ·PΕCCΕΜΕ PΟCωVΕΤΕ.

ΕΔ · ΕΙS · ΠΕΙΡΕΙΤω CΑΝΚΤω ΤΟΤω · ΤΟVΑ · ΑΝΝΟΤ ······

ΕΔ ΜΗCCωPωΝ · XI. ΔΕ PωΝ · X.

Consule Claudio & Paterno nonis Novembribus die veneris Luna 24 Leuce filia Severa carissimæ posuit, & Spiritui Sancto tuo. Mortua Fortasse *Martura* Annorum 32. vel 36. *& mensium* XI. *dierum* 10.

(3) Initio Aurelianus Christianis æquior fuit. Euseb. *lib.* VII. *cap.* XXX. Lucius Cæcilius *l. c. cap.* VI. „ Aurelianus, *inquit*, qui esset natura vesanus, & præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus sceleris ejus, & pœnæ, iram Dei CRUDELIBUS FACTIS lacessivit. Verum „ illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit, sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. „ Nondum ad PROVINCIAS ULTERIORES cruenta ejus EDICTA pervenerant, & jam Cænofrurio, qui locus est Thraciæ, cruentus humi jacebat „. Quis autem non perspicit consequens ex his verbis esse, edicta ejus in aliquas, quæ viciniores essent, Provincias pervenisse, & sævitum in iis contra Christianos CRUDELIBUS FACTIS FUISSE? Consentit Hieronymus in Chronico: *Aurelianus cum adversus nos persecutionem movisset*, inquit, *fulmen juxta eum*, *comitesque ejus fuit*. Atque hoc modo intelligenda Eusebii verba sunt, qui *libro* VII. *cap.* XXX. tradidit, periisse Aurelianum, cum edictis in Christianos subscriberet. Edicta enim, ut Cæcilius scribit, in vicinas Thraciæ Provincias manarant, rumorque de tempestate in Ecclesiam concitanda in alteriores pervenerat. Cumque edictis in alias provincias mittendis subscriberet Imperator, tum ictus fulmine decessit. Alioqui Eusebius cum Cæcilio pugnaret, quod concedere, sine gravi aliquo argumento, non possum. Nam contra sententem Dodwellum multitudinis Martyrum inimicum, nisi solidi quidquam afferat, nihil moror.

(4) Brevis ea persecutio fuit, ut ex Cæcilio *l. c.* Orosio *lib.* VII. *cap.* XXVII. colligitur, sed cum interregnum mensibus circiter sex fuerit, mirum non est, si post interitum Aureliani sævire in nostros præfecti, qui nos aversarentur, perrexerint.

(5) Vide Pagium *ad an.* 260. Baron. *Martyrol. Rom. m. August.* 9. *& seqq.* 13. 17. 21. *& seqq.* 26. *Septembr.* 10. *& seqq.* 14. 17. *Octobr.* 26. Tillemont. *Hist. Imperat. Tom.* III. *pag.* 746. *& seq.* 913. *& seq. & mon. Hist. Eccl. Tom.* IV. *pag.* 1. *& seq.* 584. *& seqq. & Tom.* III. *Hist. Imperat. pag.* 185. *& seqq. & Tom.* IV. *mon. Hist. Ecc. pag.* 345. 681. *edit. Paris.*

X I.

De Diocletianea Perſequutione.

Ventum tandem ad Diocletianum eſt. Is initio Imperii nihil adverſus Chriſtianos (1) egit. Qui vero eo intervallo temporis martyres obierunt, aut veterum legum ratione, aut ſcelere Præſidum, non autem edictis Diocletiani interfecti ſunt. Quo autem anno ſævire in noſtros cœperit, non ſatis liquet. Ruinartii (2) enim ſententia eſt, in annum 293. initia ejus perſequutionis revocari oportere. Contra Antonius Pagius (3) ad ann. 298. Sunt qui anno 298. vexationem militum peculiarem, anno vero 301. generalem (4) cœpiſſe veriſimile eſſe arbitrentur. Bellum vero univerſæ Eccleſiæ alii anno (5) 302., alii anno 303., alii anno 305., (6) quorum tamen poſtremorum eſt abſurda ſententia, indictum ab eo Imperatore fuiſſe defendunt. Utcumque tamen res habuerit ſeſe, illud certum, exploratumque eſt, & diuturnam, & ſævam, & cruentam, & late longeque patentem, & multitudine incredibili martyrum inſignem vexationem fuiſſe, quod inimicus generis humani omnes vires ſuas exſerere curarit, antequam is exiſteret Imperator, qui amplecti Chriſtiana ſacra, atque propagare per univerſum Orbem Romanum ſtuderet.

Sed poſtulat inſtituti ratio, ut quamobrem furere in noſtros cœperit, exponam. Ergo cum an. 303. ſacris daret operam, exque pecudum extis futura cognoſcere curaret, Chriſtiani, qui aderant, crucis ſe ſigno munierunt, dæmonaſque, a quibus ille reſponſa peteret, fugarunt. Quapropter vehementer perturbatus, ubi ex magiſtro Aruſpicum intellexit, homines profanos, qui intereſſent,

(1) Adeundus Euſebius *lib.* VIII. *Hiſt. Eccl. cap.* 1. *pag.* 375. *& ſeqq.* Conſentit Ruinartius *Præf. in Acta* SS. *MM. num.* 53.

(2) Idcirco Ruinartius putat perſecutionis initia eſſe ab *an.* 292. repetenda, quod Diocletianus decennalia Imperii celebraturus, ſe ut Deum adorari, & gemmas veſtibus ſuis inſeri juſſerit, ut eſt ab Eutropio *lib.* IX. litteris commendatum, cui conſentit in Chronico Euſebius. At hæc ſatis levis conjectura eſt, cum veterum teſtimonia, quæ præſidio ei ſententiæ ſint, omnino deſint. Nam quod Menas Ægyptius anno 294. Martyr deceſſiſſe ab auctore Chronici Paſchalis dicatur, parvi refert, cum ille, & recens ſit, & minus diligens, quam ut ejus chronotaxi inſiſtere, contra atque veterum de initiis perſecutionis auctoritas ſciſcat, oporteat.

(3) Vide Pagium *ad an.* 296.

(4) Baſnagius *ad an.* 301. *num.* 2.

(5) Baronius, Petavius, Labbæus aliique an. 302. Contra an. 303. Valeſius ad Euſeb. *lib.* VIII. *cap.* 11. *pag.* 378. *edit. Cantabr.* & Pagius *ad an.* 302. *num.* 3.

(6) Joſeph. Scaliger *de em. temp.*

essent, caussam ejus rei esse, ira inflammatus, non ministros sacrorum modo, sed etiam omnes, qui in palatio erant, sacrificare diis, ni verberibus puniri vellent, præcepit. Litteras deinde ad Præpositos scripsit, quibus, ut milites ad sacrificandum impellerent, eosque, qui obtemperare renuerent, ut militia solverent, imperavit. Aliquamdiu cum in Orientis partibus constitisset, in Bithyniam hyematum venit. Galerius Maximianus Cæsar, matris superstitione Deorum imbutæ precibus, quæ ferre nostrorum mores non poterat, incitatus, eodem accessit, Diocletianumque etiam, atque etiam obsecravit, ut novis edictis publicatis Christianos aut a religione, quam consectarentur deficere, aut interire cogeret. Imperator, qui quanta esset in republica perturbatio futura prospiciebat, quod magnus esset numerus Christianorum, quos libenter quidvis perferre, quam idolis cultum adhibere malle constaret, diu restitit, id *esse satis respondens*, si familiares, militesque tantum a sacris, institutisque, quibus sese obstrinxerant, deterreret. Sed cum Galerius urgeret, finemque orandi nullum faceret, consulto esse opus Imperator dixit. Igitur paucis judicibus, nonnullisque ex ordine militum convocatis, quæsivit ex illis quid factu esse opportunum existimarent. Erant eorum aliqui Christianis irati. Hi acerbe, crudelissimeque judicarunt. Ceteri cum intelligerent, eo hæc omnia spectare, ut Christianum nomen deleretur, rem Diocletiano gratam facturi, esse in hostes Deorum animadversionem constituendam, dixerunt. Sed cum ne horum quidem consiliis flecti potuisset, ad Apollinem Milesium Aruspicem misit, qui oraculum de re eadem consuleret. Is, qui male erat in nostros homines animatus, ea retulit, quæ ab hoste sibi Christiana religio polliceri posset. Ergo Imperator victus consiliis Cæsaris, judicum, militum, & oraculi denique auctoritate, Christianos, quos cremari Galerius optaret, cogendos esse ad sacrificandum, quin tamen quisquam supplicio afficeretur, decrevit. Ei rei perficiendæ diem constituit. Terminalia delegit, quæ dies est VII. *Kal. Mart.* quo tunc quasi terminum imponi ei religioni oportere significaret. Itaque ut ea dies illuxit, Præfectus cum ducibus, & tribunis, magno cum Christianorum terrore, ad Ecclesiam, quæ erat Nicomediæ accessit, quæsitoque primum frustra simulacro, quod a nobis coli arbitrabatur, illam deinde ædem, quæ amplissima erat, solo æquari paucis horis fecit. Postridie ejus diei propositum edictum fuit, quo statuebatur,

ut Christiani omni deinceps honore, dignitateque carerent, ut tormentis subjicerentur, utque, si res eorum ablatæ, si accusati sceleris, si injuria postremo quacumque affecti essent, nullus eis sese defendendi locus concederetur. Quod edictum cum vir, nescio quis, e nostris conscidisset, abductus continuo ad Judicem, omnibusque tormentis cruciatus, quæ admirabili constantia pertulit, exustus postremo fuit. Galerius, cui hæc agendi ratio tam sæva, tamque crudelis non esse, quam ipse optaret, videretur, novis Imperatorem artibus ad ejus iram contra Christianos magis magisque inflammandam parat. Igitur ministros, quibus ipse fideret, ad se vocat. Eis mandat, ut ligna atque sarmenta circumdare, ignemque ædibus Augusti subjicere noctu velint. Cogitabat. enim incendii reos Christianos agere, qui quasi novo edicto permoti, ausi fuissent tam scelestum facinus, velut hostes publici, perpetrare. Id ubi factum est, furens Diocletianus, ab iis, qui in palatio essent, Christianis, initium cruciatuum esse sumendum, præcepit. Aderat ipse, ministrisque, ut fortiter agerent, utque torquerent, lacerarentque Christianos, spiritus addebat. Quindecim dies vix intercesserant, cum Galerius molitus alterum incendium est. Sed antequam illud opera perficeret, abeundum sibi Nicomedia esse censuit. Antequam inde excederet, Imperatorem convenit. Negavit se in ea urbe manere velle, ubi vivus Christianorum scelere combureretur. Furebat Diocletianus non in domesticos tantum, sed in omnes, eosque etiam, qui sibi essent sanguinis propinquitate conjuncti. Quamobrem filiam Valeriam, conjugemque Priscam sacrificiis pollui coegit. Eunuchi, quorum ante magna erat in Palatio auctoritas, graviter cruciati, martyres tandem obierunt.

Presbyteri præterea, & Ministri Ecclesiæ comprehensi, supplicio afficiebantur. Cumque tanta esset multitudo, ut in singulos animadvertere Ethnici nequirent, circumducto igne omnis ætatis, & conditionis viri, mulieresque gregatim exurebantur. Consistebant quoque in templis judices, eosque, qui delati essent, sacrificare impellebant, & renuentes parere summum in cruciatum rapi imperabant. Pleni erant carceres Christianorum. In hos inaudita tormentorum genera excogitabantur. Datæ eodem tempore litteræ ad Maximianum Herculium, atque ad Constantium sunt, quibus significabatur, parcendum iis non esse, quos hostes numinum esse constaret. Herculius quum sævus natura esset, in Italos Christianos

ſtianos (nam verſabatur is eo tempore in Italia) commotus , eorum neminem abſolvendum ſtatuit, qui ſacrificium offerre falſis numinibus recuſaſſet . Contra Conſtantius Eccleſias evertit, ratus nihil eſſe de vita innocentium hominum pronunciandum .

Interea exceptis Galliis, quas unus Conſtantius adminiſtrabat, per univerſum Romanum orbem tres improbiſſimi , crudeliſſimique tyranni ſæviebant, judiceſque in provinciis nihil prætermittebant eorum , quæ ad augendam malorum , pœnarumque atrocitatem ſpectare viderentur . Galerius , qui anno 305. conſequutus fuit , ut Diocletianus , & Maximianus purpuram deponerent , decreta vulgavit, quibus præcipiebat, ut Chriſtiani poſt tormenta lentis ignibus urerentur . Ergo ignis , crux , feræ tormenta noſtris quotidiana erant . Diu cum agitata Eccleſia fuiſſet , Galerius in morbum extremum incidit . **Is cum *ſpem ſalutis* in** medicis nullam eſſe cognoſceret , & quæ incommoda Chriſtianis intuliſſet , in memoriam revocaret , facultatem eis fecit, ut profiteri palam religionem , quam colebant , & ædes ſacras rurſum extruere poſſent . Hoc edicto anno 311. Nicomediæ pridie Kalendas Majas vulgato , ipſe paullo poſt periit .

Maximinus intellecta Galerii Maximiani morte , libertatem , quæ conceſſa ab eo Chriſtianis fuiſſet , ſuſtulit, permotis civitatibus , ut legatos ad ſe mitterent, poſtulatum , ne in urbibus Eccleſias noſtris extruere liceret , ne quis eum ſua id ſponte feciſſe arbitraretur . Ergo ſacerdotes conſtituit , qui ei rei operam darent , Chriſtianoſque ad ſacrificandum cogerent , recuſanteſque parere judicibus aut necandos , aut puniendos offerrent . Igitur *confeſſoribus effodiebantur oculi , manus amputabantur , nares denique , atque auriculæ deſecabantur* . Erat quoque hoſtis Chriſtianorum Maxentius , qui a Conſtantino bello ſuperatus, an. 312. extinctus eſt. Interim Maximinus e Syria cum exercitu profectus , cum Hadrianopoli haud longe abeſſet , inſtaretque prælii dies , Jovem invocavit , eique ſi vinceret, vovit , ſe deleturum nomen Chriſtianorum . Victo ſingulari divini numinis providentia Maximino , Licinius legem de reſtituendis Eccleſiis , deque concedenda libera colendæ religionis Chriſtianis poteſtate ſcripſit . Galerius interea hauſto veneno graviſſimam ægritudinem perpeſſus eſt , tandemque 313. , decimo a cœpta *generali per-*

persecutione, anno, cum captus oculis esset, misere animam efflavit (1). Atque is exitus hostium Ecclesiæ fuit.

Cum ergo late, longeque ea vexatio invaluisset, ut nullus fere in Romano imperio locus, excepta Gallia, esset, in quo Christiani supplicio non afficerentur, mirabile sane videri debet, Dodwellum adeo fuisse studio oppugnandæ veritatis abreptum, ut in Africa nullos fuisse comprehensos, punitosque defenderet, nisi eos tantum, qui aut conventus agere ausi fuissent, aut sacros codices tradere recusassent (2). Ac commune Imperatorum edictum de necandis iis, qui sacrificare noluissent, promulgatum in Africa fuisse, tam est perspicuum, ut traditum etiam ab Auctore actorum (3) *Saturnini*, & sociorum memoriæ fuerit, cujus quidem unius, quasi sibi præsidio esset, auctoritate Dodwellus abutitur. Nec discrepans est scriptoris *Actorum S.* Felicis Episcopi Tibiuritani sententia. Neque vero ullius ponderis est, quod Dodwellus opponit, ob conventus celebratos, fuisse

(1) Hæc nos omnia ex Lucii Cæcilii *de Mortibus Persequutorum libro* mutuati sumus *cap.* VII. *& seqq. pag.* 191. *& seqq.* quem consulas volo. Præterea multa ad eam rem illustrandam, qui in librum eumdem commentarios ediderunt, Baluzius, Toinardus, Nourrius, & novissimi editores Johannes Baptista Bruuius, & Nicolaus Lengletus Dufresnius collegerunt. Consulendi item Eusebius *lib.* VIII. *cap.* I. *& seqq.* iique omnes sunt, qui in ejus Historiam commentarios ediderunt. Adisis etiam Ruinartium *Præfat. in Acta Martyrum Sincera num.* 55. *& seqq.* Pagium *ad an.* 302. *num.* 5. *& seqq.* Tillemontium *Tom.* V. *mon. Hist. Eccl. pag.* 1. *&* 587. *edit. Parif.* Johannem Morinum *Hist. de la Delivrance de l'Eglise pag.* 149. *& seqq.* 313. *& seq.* Johannem Boeum *diss. de Initiis Persecut. Dioclet. edit. an.* 1676. Martyrologia *ad d.* XXVI. *Novembris &c.* Fuerunt etiam ex Acatholicis permulti, qui in eadem re laboraverint, ut Franciscus Balduinus *ad edict. Principum de Christianis p.* 112. 121. 126. ut Abraamus Calovius *de Consess. Martyrum sub* X. *Persecutione*, *edit. an.* 1658. & *an.* 1660. ut Franciscus Burmannus *Orat. de Persecutione Diocletianea, ejusque felicissimo exitu, edit. an.* 1719. ut alii denique, quos nunc numerare non vacat.

(2) Etsi omnes veteres Scriptores sævissimam fuisse Diocletiani persequutionem scribant, testenturque, incredibilem tunc Martyrum multitudinem extitisse, utrumque tamen negare ausus est Dodwellus *dissert.* Cyprianica XI. §. 69. *seq. p.* 90. *seq. edit. Oxon.* Nam crudelem fuisse Diocletianum negat, ut si ea excipias, quæ gesta Nicomediæ sunt, ne cruciari quidem prima anni parte provinciales permissum ab eo fuisse putaverit. Quamdiu autem Diocletianus Imperium obtinuit, nonnisi in Clericos capitali pœna animadversum Dodwellus adjungit. Rursum vix alias ullas cædes factas putat, præter eas, quarum primus auctor Galerius fuit. Ac diebus quidem festivis, inque urbibus tantum, quas capitales vocant, cædes fieri solitas defendit. Passim postremo Cæcilii, Eusebiique auctoritate abutitur. Sed quod sævum fuisse Diocletianum negat, dari quidem facile potest, si de tempore, quod ante incendium fluxit, loquamur. Nam post acerbum, crudelem, sævum denique nostris hominibus fuisse ostendunt, quæ scripta a Cæcilio sunt *lib. indicato cap.* XIV. *pag.* 200. & Lactant. *lib.* V. *Instit. Divin. cap.* IX. *&* XI. In Clericos autem sævitum colligitur ex Cæcilio *cap. indicato*, *& seqq* & Eusebio *lib.* I. *de vita Constantini cap.* XIII. Latissime autem ejusmodi vexationem patuisse, ex tribus Scriptoribus Cæcilio §. XV. *&* Eusebio *lib.* VIII. *Hist. Eccl. cap.* VII. & Lactantio *eadem cap.* XI. plane constat. Atque hoc idem postulat Inscriptio, quam supra *pag.* 83. descripsi, ubi fit Christianæ religionis usquequa a Diocletiano *deleta* mentio. Modo autem innumeri Martyres fuerint, ut scriptum ab Eusebio, aliisque est, sive in præcipuis, sive in ceteris etiam urbibus, vicisque, sive festo die, sive aliis occiderentur ab Ethnicis Christiani, parvi refert.

(3) Vide Acta SS. Saturnini, Dativi, & aliorum SS. MM. apud Ruinart. *Acta MM. Sincer. pag.* 338. *& seqq. edit. Veron.* Consule *& Præfat. Ruinartii num.* 59.

fuisse in Africa vexatos nostros, atque interfectos; cum etiam nomine tantum si necati fuissent, tamen religionis causa in vitæ discrimen venissent. Quamobrem est illud ab Optato Milevitano litterarum monumentis mandatum, fuisse extremo supplicio affectos plerosque in Africa, propterea quod negare Christum, remque divinam idolis facere detrectassent (1). Nam quod Hispaniam immunem fuisse Dodwellus defendit, falsum est (2). Non enim Constantius eam Provinciam, ut ille censet, sed Maximianus Herculius obtinebat (3). Atque in Gallia quoque, etsi non Constantii jussu, Præsidum tamen furore, cum ille abesset, mota in Christianos aliquando tempestas fuit (4). Errat præterea Dodwellus, dum præter Præsides, Judicesque, illorumque adsessores, atque advocatos, jus vitæ, ac necis neminem obtinuisse contendit, indeque concludit, paucos eo quoque tempore martyras extitisse. Nam quacumque tandem potestate Christiani interficerentur, interficiebantur tamen; id quod satis est ad id, quod volumus, demostrandum (5). Etenim quod adjungit, Eusebii verba de multitudine martyrum esse in sensum arctiorem coarctanda, quasi ille usus amplificatione fuerit, videat, ne injurium vetustati sit, indignumque, quod ab homine criticæ facultatis studioso adhibeatur (6).

Exactis tyrannis, Licinius, qui, ut supra demonstratum est, cælestibus visis permotus fuerat, ut cum hoste confligeret, ob eamque rem, post victoriam, Christianis, ut ædes sacras restituerent, religionemque publice colerent, facultatem fecerat; cum aliquot annis rempublicam administrasset, tum rebus novis studere cœpit, utque Constantinum Imperii collegam, quem sacris nostris addictum esse perspiciebat, quibus posset modis læderet, severe in omnes Christianos, qui in ejus potestatem venissent, crudeliterque agere

(1) *Lib.* III. *contra Parmen. pag.* 64. *edit.* 1702. ubi „ Quo tempore (Diocletiani) fuerunt & „ impii Judices bellum Christiano nomini inferentes ..... Alii cogebantur templa Dei vivi subvertere, alii Christum negare, alii divinas leges incendere, alii thura ponere. Vide cetera, quæ profert Ruinartius *Præf. num.* 59.

(2) Dodwell. *l. c. pag.* 95. §. 75.

(3) Vide L. Cæcilium *ibid. cap.* VIII. & *cap.* XVI.

(4) Vide Ruinartium *ibid. num.* 61.

(5) Adeundus Ruinartius *ibid. num.* 60.

(6) Nam eo in loco, quo abutitur Dodwellus, hæc sunt adjuncta ab Eusebio *lib.* VIII. *cap.* IX. „ Non paucis diebus, nec exiguo temporis intervallo, sed prolixo aliquot annorum curriculo continue hæc omnia (*cruciatus, cædiumque exempla &c.*) perpetrata *sunt*, cum nunc deni, interdum „ viceni, & amplius, nonnumquam ad triginta usque, & sexaginta, quandoque, & centum viri simul, „ ac mulieres una cum parvulis uno die interficerentur. Sed de numero hoc Martyrum erit §. sequente rursum differendi locus.

agere decrevit. Igitur eo Imperatore etsi non tanta multitudine, quanta Diocletiani, & Maximianorum temporibus, plures tamen, quod Christiani essent, in extremum supplicium adducti, martyres decesserunt (1).

Licinio sublato, cum unus Constantinus potitus summa in republica potestatem fuisset, ita aucta, atque amplificata res Christiana fuit, ut late longeque propagata, obtinere in orbe terrarum imperium videretur. Itaque Ethnici nihil in nostros homines audere palam poterant, propterea quod ab Imperatore sibi esse metuendum judicarent. Sed Constantino, ac filiis imperio, & vita functis, Julianus Julii Constantii (Constantini Magni fratris) filius anno 360. Augustum se appellari in Galliis fecit, paulloque post, mortuo Constantio, solus reipublicæ gubernacula suscepit, patefecitque (2) odium in nostros, quod ante, ne iram in se Christianorum Imperatorum concitaret, caute esse dissimulandum existimaverat. Ergo non modo templa Deorum aperiri, sacrificia procurari, cultumque idolorum propagari curavit, sed etiam debacchatus

(1) De viso Licinio oblato consule Lucium Cæcilium *de Mort. Persecut. cap.* XLVI. *pag.* 241. T. II. *opp. Lactant. edit. Paris. an.* 1748. De edicto pro Christianis adeundi *L. Cæcil. ibid. cap.* XLVIII. *pag.* 244. & Eusebius *lib.* X. *Hist. Eccl. cap.* V. *pag.* 480. *edit. Cantabrig.* De ejus in Christianos sævitiæ caussis agit idem ipse Eusebius *lib.* X. *cap* VIII. *pag.* 488. *& seqq.* ubi „ Primum, *inquit*, „ Christianos domo sua expellit, ... Post hæc cunctos in urbibus militantes, nisi dæmonibus sacrificare mallent, exauctorari, & honore militiæ spoliari jubet. Sed hæc parva sunt, si cum majoribus, quæ deinde secuta sunt, conferantur ..... Lege lata prohibuit, ne quis miseris in carcere detentis alimenta humaniter subministraret, neve quis homines in vinculis fame contabescentes miseratione prosequeretur .... Quin & legi adjecta erat hæc pœna, ut qui reis stipem dedissent, pari cum reis ipsis supplicio plecterentur ..... Denique eo furoris processit, ut Episcopos etiam adoriretur .... & ex illis probatissimum quemque, structis per præsides suos insidiis, interemit. Sed quæ apud Amasiam, & reliquas Ponti urbes perpetravit, omnem crudelitatis modum transcendunt: ubi Ecclesiæ Dei aliæ iterum solo æquatæ sunt, aliæ clausæ .... Præsides &c. Episcopos partim iisdem, quibus maleficos homines pœnis identidem subjiciebant .... Quidam vero novum quoddam mortis genus pertulerunt, corpore in multas partes frustratim conciso. Post hæc igitur Dei cultores fugam iterum inire cœperunt .... Quæ cum ad hunc modum impiissimo Tyranno succederent, deinceps persecutionem adversus omnes Christianos excitare in animum induxit. Ac Procul dubio voti sui compos extitisset, nisi ... Deus ... Constantinum ... ad has partes perduxisset „. Licinius an. 324. victus, & 325. interfectus est. Vide Pagium ad an. 317. & 318.

(2) Julianus *Epist. ad Alex.* LI. testatur 20. se annis Christianum, sed jam inde a 12. annis idolorum cultorem fuisse. „ Non a recto tramite aberrabitis, inquit, si ei fidem habeatis, qui ad annum „ usque vicesimum ætatis illa via progressus est, & hanc alteram duodecimum jam insistit annum. Ammianus Marcellinus *lib.* XXII. *cap.* V. affirmat „ cum a rudimentis pueritiæ primis inclinationem „ erga numinum cultum, paullatimque adolescentem desiderio rei flagrasse, multa metuentem tamen „ agitasse quædam ad id pertinentia quantum fieri poterat occultissime „. Maximus Ephesius, quem Nicomediæ audivit, ejus mali caussa fuit. Confer Libanium *Panegyr. Julian. T.* II. *pag.* 175. Socratem *lib.* III. *cap.* I. Sozomenum *lib.* V. *cap.* II. Rursum Ammianus Marcellinus ibidem „ ubi per tempus „ licuit, sui, *inquit*, pectoris patefecit arcana, & planis, absolutisque decretis aperiri templa, arisque hostias admoveri ad Deorum statuit cultum „. Adeundi Socrates *lib.* III. *cap.* XI. & Theodoritus *lib.* V. *cap.* XXI.

bacchatus (1) ita in Christianos est, ut superiores principes Ethnici consuerant. Nam etsi non cædibus (2) ipse per se, sed hortatu, magnisque pollicitationibus revocare a Christianis sacris omnes, quos eisdem obstrictos esse cognoverat, studebat; tamen aliis, ut in nostros sævirent, (3) facile permittebat, quod in eos, qui nobis malum intulissent, animadvertendum non esse arbitraretur. Quamobrem permulti sub (4) Juliano martyres numerantur. Sed cum hæc ad religionem, quæ tot veritatis indicia præseferret, delendam satis esse nequire perspiceret, alias sibi rationes ineundas esse putavit, quæ numquam in mentem Ethnicis Principibus venissent. Principio ratus, contentione, atque dissidiis societatem bene alioqui constitutam dissolvi, tollique fortasse posse, Eunomianos, (5) Arianos, Donatistas, Novatianos, qui ab Orthodoxis dissentirent, restituit, iisque, quos ab Constantio pulsos in exilium fuisse constabat, redeundi in patriam potestatem fecit. Jussit deinde, ut nequis nostrum in scholis oratores, poetas (6), & philosophos ve-

(1) Hoc enim ante hominem agitabat, quod deletam fere Idolorum superstitionem intueretur. Vide Libanium *Parentali Orat. in Julian Imp.* §. x. *pag.* 237. *T.* vii. *Biblioth. Græcæ* J. *Alb. Fabricii*, & quæ ex Marcellino produxi notatione superiore.

(2) Johannes Antiochenus in Excerptis Peirescianis *pag.*845. „ Erat, *inquit*, Christianorum Insectator, ita tamen, ut a crudelitate, & a cæde abstineret „. Prosper item in Chronico „ Juliano ad „ Idolorum cultum converso, *inquit*, blanda persecutio fuit, illiciens magis, quam impellens ad sa„ crificandum.

(3) Rufinus *lib* II. *H. E. cap.* xxviii. Dissimulante Juliano „ velut relaxatis frenis, inquit, efferbuit „ in omnem sævitiam feritas Paganorum „. Vide Philostorgium *lib.*vii. *c.* iv. Sozomenum *lib.*v. *c.*vii. & Socratem *lib.* III. *cap.* I. *& seq.* qui „ ad hæc, ubi Christianos aris illigatos, inquit, velut „ victimas Imposuerant, in multa alia incredibilia debacchati sunt „. Consule quæ dixi *Epist.* I. *ad Mansium de Ratione Temporum Athanasianorum n.*xxii. *& seqq. pag.* 68. *& seqq.*

(4) Adeundus Tillemontius *Tom.* vii. *Monum. H. E. pag.* 350. *& seqq.* Vide etiam Martyrolog. *ad Jan. d.* 4. 25. *Mart.* 22. 24. 29. *Apr.* 9. *Maji* 4. 10. *Jun.* 10. 17. 21. 23. 25. 26. *Jul.* 9. 16. 18. *Aug.* 5. 7. *Sept.* 8. 12. 15. 30. *Oct.* 9. 16. 20. 22. 23. *Nov.*7. 16. 24. *Dec.* 10. 20. 22. Suidam ad *v.* ἀπαρχαῖς. Sozom. *lib.*v. *c.* x. *&* xi. Theodoretum *lib.* III. *c.* vii. Gregorius Nazianz. *Orat.* III. *pag.* 88. *& seqq.*

(5) Consule Tillemontium *Tom.* v. *Mon. H. E. pag.* 522. *& seqq. &* vii. *pag.* 328. Confer etiam Julianum *Epist.* xxvi. Sozom. *lib.* v. *cap.* v. & Ammianum Marcellinum *lib.* xxii. *cap.* v. ubi „ ut dispo„ sitorum, inquit, roboraret effectum dissidentes Christianorum Antistites, cum plebe discissa in pala„ tium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante religioni suæ ser„ viret intrepidus. Quod agebat ideo obstinate, ut dissensiones augente licentia, non timeret „ unanimantem postea plebem: nullas infestas hominibus bestias, UT SUNT SIBI FERALES PLERIQUE „ CHRISTIANORUM, EXPERTUS. Confer Augustinum *Epist.* cv. *al.* clvi. *T.* II. *opp. edit. Maurin. S. Mauri*. Codicem Theodosianum *T.* vi. *pag.* 155. Socratem *lib.* III. *c.* xi. Philostorgium *lib.* ix. *cap.* iv. Julianum ejusdem *Epist.* xxxi. Sozomenum *l.* v. *c.* v.

(6) Consule Julianum *Epist.* xlii. Rufinum *lib.* I. *c.* xxxi. Ammianum Marcellinum Scriptorem Ethnicum *l.* xxv. *c.* iv. S. Augustinum *lib.* xviii. *de C. D. Dei c.* lii. G. Nazianzenum *Orat.* I. *in Julian. pag.* 51. Orosium *lib.* vii. *c.* xx Socratem *lib.* III. *c.* xii. Sozomenum *lib.* v. c. xviii. Theodoritum *l.* III. *c.* viii. Et e novis magnum Baronium ad an. CCCLXII. *n.* 275. 297. Arnoldum Pontacum *in notis ad Chronic. Euseb. p.* 732. Tillemontium *T.* vii. *Monum. H. E. p.* 346. *&* 717. Henricum Valesium *ad* Ex-

teres Græcorum explicare auderet. Cum enim multa inde a Christianis peti videret, quibus Ethnicorum superstitio everteretur, veritus, ne his subsidiis, quin detrimenti aliquid caperet, societas Christiana majores progressus faceret, suosque fines amplificaret, dejiciendos nostros ex eo præsidio esse judicavit. Militibus præterea iis tantum, qui thurificati essent, donativum (1) concessit. Insigne militare Constantini labarum cum cruce (2) sustulit. Nostros non *Christianos*, *sed Galilæos* (3) vocari lege lata præcepit. Procurationes Provinciarum, (4) jurisque dicendi facultatem statuit Christianis concedi non oportere, quibus gladio uti vetitum a Christo esset. Clericorum privilegia revocavit. Aliquarum Ecclesiarum (5) facultates tolli, & militibus distribui præcepit. Imaginibus Cæsarum (6) statuas Deorum junxit, ut si honorare quisquam Imperatores vellet, cultum etiam idolis tribuere videretur. Christi Imaginem (7), quæ Paneade servabatur, auferri, trahi per urbem, confringique, ejusque loco suam poni imperavit. Est ille præterea suos etiam, atque etiam cohortatus, ne vinci se virtutibus a Christianis (8) paterentur. Postremo ne quid transfuga ille prætermitteret, quod Christianæ religioni detrimento esse posset, scriptis quoque libris eam oppugnare (9) conatus est. Cumque expeditio-

Excerpta Persec. p. 119. Ludovicum Thomasinum *de Studio Poetar. Christiane instituendo lib.* 1. *cap.* 11. & 111. Godfridum Hermantium *in vita Basilii Magni l.* 11. *c.* xxvi. Antonium Pagium *ad an. Chr.* 362. *n.* xxxix. & *seq.* Gaudentium Paganinum *lib. de Philosophica Cognit. Jul. Imp. Enarratione Hist. c.* xvii. Sunt etiam ex Protestantibus in hoc argumento versati, Jacobus Gothofredus *ad leg.* v. *Cod. Theodos. de Medic. & Profess. T.* v. *p.* 31. & *Orat. de arcanis Juliani Artibus ad profligandam Religionem Christianam, quæ extat in Collect. Varior. ejus opusc. edit. Genev. an.* 1654. Adamus Rechembergius *Dissert. de Juliani Imp. Apostasia pag.* 369. & *seqq. T.* 1. *Dissert. Hist. Polit. edit. an.* 1698. Joh. Petrus Ludevvig *Diss. de Edicto Juliani Imp. contra Philosophos Christian.* Tobias Eckardus *Diatrib. de Scholis a Juliano occlusis T.* iv. *Miscellaneor. Lipsiens. pag.* 195. Johannes Arend. Belmanni *de Julian. Apost. Dissert.* 2. Joh. Johachim Widnerus *in Dissertationibus de Juliano ex historicis geminis vere Apostata, & Apostata per nullam culpam Christianorum*, Johannes Ens *Orat. Inaugur. de Persec. Julianea*, Joh. Albertus Fabricius *Biblioth. Græca vol.* vi. *pag.* 77. *n.* 2. aliique.

(1) Vide Gregor. Nazianz. *Orat.* 1. *pag.* 84. & *seq.* Sed paucos invenit, qui sibi assentirentur. Nam *Epist.* iv. *quæ est ad Aristomenem Philosophum* paucos se invenisse scribit nostrum, quos ex animi sententia, scientes, volentesque ad suam sectam pertraheret. Confer ejusdem Imperatoris *Epist.* xxvii.

(2) Adeundus Nazianz. *ibid. pag.* 75.

(3) Idem *ibid. pag.* 81.

(4) Confer Rufin. *l.* 1. *c.* xxxii.

(5) Vide ejus *Epist.* xliii. *quæ est ad Ecebolum*, & Acta Gallicani Ducis sub Juliano passi apud Bollandianos *T.* v. *Jun. p.* 38. Sozom. *l.* v *c.* v. Theodoritum *lib.* 1. *c.* xi.

(6) Nazianz. *Orat.* 3. *in Julian. pag.* 8.

(7) A muliere, quæ fluxu sanguinis laborabat, dicata ea imago Cæsareæ Philippi, seu Paneade fuerat. Confer Sozomen. *l.* v. *c.* xxi. Eversam a Paneadensibus Philostorgius scribit, sed de jussu Juliani, hujusque statua ibidem collocata silet, *l.* vii. *c.* iii.

(8) Confer Sozomenum *l.* v. *c.* xvi. qui Juliani de hac re Epistolam *ad Arsacium Galatiæ Pontificem* refert.

(9) Vide Greg. Nazianz. *l. c. pag.* 70. Eas scriptiones refutavit S. Cyrillus Alexandrinus.

peditionem adversus Parthos pararet, se post victoriam Christianos esse dixit (1) debellaturum. Sed singulari Dei providentia, cum arma in hostes movisset, certamenque instituisset, a milite Persa confossus (2), periit. Eo (3) sublato, Christiani vocato ad Imperium Joviano optimo Principe respirarunt.

§. III.

De multitudine Sanctorum Martyrum.

EST autem illud exploratum, cum ejusmodi persequutiones sævirent, innumerabiles pene Martyres extitisse. Ac Nerone quidem Imperatore, cum ingens multitudo Christianorum esset, ut traditum a Tacito est (4), isque jam Princeps eos funditus delere (5) statuisset, quis dubitet magnam vim martyrum, copiamque viguisse? Quod idem de tempestate a Domitiano in nostros concitata dicendum est, quod non a nostris modo, sed ab Ethnicis etiam scriptoribus fuerit sempiternæ hominum (6) memoriæ commendatum. Nam de Trajani ætate negari nequit, quin incredibilem Ecclesiæ martyrum numerum dederit. Quod cum demonstratum superiore paragrapho fuerit, nunc omittatur. Patres vero, qui sub Antoninis (7) floruerunt, disertis verbis testati sunt, tantam suis temporibus vim martyrum fuisse, ut passim nostri ad necem quærerentur. Atque hoc ipsum, Severo (8) Imperatore, contigisse perspicua res est. Nam de Maximini (9), Decii (10), Valeriani (11), Diocle-

(1) Rufin. *l.* I. *c.* XXXVI. & Gregorius Nazianzenus *Orat.* II. *in Julian. pag.* 114. ubi „ Votiva vi- „ ctima, inquit, universam Christianorum gentem dæmonibus persistere, ac subjicere (*dixit*) si pro- „ positi compos exsisteret „. Idem *Orat.* I. *pag* 94. de Juliano agens, „ Christianos, inquit, omni „ libertate, & fiducia spoliatos, eosque ab omnibus conventibus, foris, publicis cœtibus, ipsisque „ adeo tribunalibus arcere constituerat.

(2) Confer Ammianum Marcellinum *lib.* XXV. *c.* III. Gregorium Nazianz. *Orat.* II. *in Julian. p.* 116. & *l.* I. *p.* 71. Rufinum *l.* I. *c.* XXXIV. Sozom. *l.* V. *c.* XV. Periit Julianus *an.* 363. die 26. Junii.

(3) Vide Tillemontium *l. c* eosque Scriptores, quos paullo ante commemoravi, qui de persequutione ab Juliano commota disserunt. Multa, quæ huc spectant, complexus est J. Alb. Fabricius *homo de secta Lutheranorum salut. Luce Evang. c.* XIV. *a pag.* 294. *ad* 338.

(4) Vide supra *pag.* 417. *not.* 5.

(5) Confer quæ dixi *pag.* 416. *not.* 2.

(6) Vide *pag.* 421. *not.* 5. *& pag.* 421. *not.* 6. *& quæ de Persecut. sub Trajano, & Hadriano disputavi pag.* 426. *seq.*

(7) Consule quæ ibid. disputavi *de Persecut. Antonin. & M. Aurel.*

(8) Vide supra hujus *cap.* §. II. *n.* VII.

(9) Ibid. *n.* VIII.

(10) Ibid. *n.* IX. *& seqq.*

(11) Ibid. *n.* X.

tiani (1) denique, atque Maximianorum in nostros crudelitate , quæ effecit,ut gregatim Christiani occiderentur,aut igne absumerentur, memini me nonnulla superiore paragrapho disputasse. Quamobrem non est opus , ut ea repetam , ne actum agam . Quæ generatim ad multitudinem martyrum comprobandam conferunt , ea nunc esse in medium proferenda puto , ut magis magisque liqueat, quam magnis in erratis Dodwellus, & qui ei adjunxerunt assensionem , versentur. Principio afferam monumenta vetustissima , quæ in Cryptis Romæ reperta sunt . Igitur præter inscriptiones, quas paullo ante (2) produxi , inventa sunt in S. Hermetis Cœmeterio Sanctæ Marcellæ , & 550. (3) , & Sancti Ruffini , ac (4) 150. martyrum monumenta . Præterea in Cœmeterio Sanctæ Agnetis seculo superiore Sancti Gordiani , quem cum tota familia (5) , caussa Christianæ religionis , martyrii gloriam fuisse consequutum constat , inventa sepulcralis inscriptio est . Atque vasa vitrea sanguinis plena , quæ ad sepulcra SS. MM. apponi in Cœmeteriis consuerant , ad veritatem plane demonstrant , cum maximo numero reperta sint , maximam item fuisse SS. Martyrum multitudinem . Nam vasculis in loculi externa superficie positis inscriptio interdum adjiciebatur , quæ eis contineri sanguinem Martyris , qui ibi depositus esset (6) , indicaret.

(1) Confer quæ dixi de Persequutione Diocletianea . Præterea Lactantius *lib. v. Divinar. Institut. cap. xi.* ,, Alii , inquit , ad occidendum præcipites extiterunt ; sicut unus in Phrygia , qui universum ,, populum pariter cum ipso conventiculo concremavit ,, . Quodsi omnes maximam fuisse Martyrum multitudinem tam veteres , quam novi , ut vidimus confitentur , quorumdam ego , qui contra pugnent, uti se ostentent , conjecturas , inanesque rationes non æque curo .

(2) Pag. 430.

(3) Relata est a Severano , & deinde ab Aringho *lib.* III. *Rom. Subterr. cap.* XXIII. *postremoque* a Boldetto *lib.* I. *cap.* XLIV. *pag.* 233. *Osserv. sopra i Cemeter.* Habet autem hoc modo .

MARCELLA ET CHRISTI MARTYRES

CCCCCL.

(4) Apud eosdem *ibid.*

RVFFINVS ET CHRISTI MARTYRES

CL MARTYRES CHRISTI .

(5) Apud eosdem *ibid.* & apud Mabillonium *Itiner. Italici pag.* 139. *edit. an.* 1724. *T.* I. Musei Italici . Scripta est partim Græcis, partim barbare expressis caracteribus . Sic autem habet :

Hic Gordianus Gallia nuncius jugu
latus pro fide cum familia tota
Quiescunt in pace
Tspibila ancilla fecit .



(6) Vide adpositam tabulam *pag. seq.* Consule etiam Boldettum *loc. cit. cap.* XXXIX. *pag.* 187. qui accepit ab Aringho .


SA̅ SATVRNI̅
SANG
SA̅

ret. Quod si in maxima eorum loculorum, quibus vascula adposita sunt, parte inscriptiones ejusmodi non (1) cernuntur, negari tamen non potest, quin vascula eadem sanguinem Sanctorum Martyrum (2) continerent. De ea namque re, cum vehementer Leibnitius

(1) Ut vides in Tab. quam ab Aringho publicatam huc etiam transferri volui.

(2) Mabillonius *ibid. pag.* 138. ,, Pro certis Martyrum indiciis, inquit, sunt vitrea vasa Martyrum sanguine tincta, qualia referuntur in Romæ Subterraneæ *lib.* III. *cap.* XXII. Atque hujusmodi quædam vidi apud Illustrissimum Præsulem Silvestrum Meranum Episcopum Porphyreonsem S. D. N. BENEDICTI XIV. P. M. Sacristam, eruditum, & insigni comitate virum, atque etiam apud Illustrissimum Præsulem Johannem Baptistam Lercarium S. M. Majoris in Urbe Canonicum. Ac refert eorumdem schemata permulta, præter ea, quæ allata ab Aringho sunt l. c., vir clarissimus Boldettus *Osserv. sopra i Cimiterj lib.* 1. *cap.* XXXI. *& seqq. pag.* 149. *& seqq.* Summam quidem fuisse Majorum nostrorum in colligendo eorum, qui passi fuissent pro Christi religione, sanguine diligentiam, constat ex antiquis monumentis plerisque, quæ collegit ibidem *cap.* XXX. *& seq.* Boldettus. Confer Acta S. Vincentii apud Ruinartium *pag.* 328. *edit. Veron.* Prudentius *Hymno* XI. περὶ στεφάνων. v. 141.

,, Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ
,, Ne quis in infecto pulvere ros maneat.
,, Si quis & in sudibus recalenti aspergine sanguis
,, Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.

Atque *palliola* ejusmodi quandoque in sepulcris MM. reperiri, sæpius spongias in vasculis, auctor est Boldettus, *ibid. pag.* 149. *& seq.* qui mox adjungit. ,, Et præsertim an. 1714. in Cœmeterio S. Basillæ, & Hermetis *ad clivum cucumeris* vocato, ubi Sepulcro Martyris cujusdam adfixum deprehendi vasculum sanguinis .... in quo erat spongia &c. Sed præstat doctissimi viri Antonii Mariæ Lupii Florentini S. J. Theologi verba in hunc locum transferre, at quæ ad rem nostram mirifice conducant. Is ergo *in Dissert. de Epitaph. S. Severæ pag.* 31. ,, Res est, inquit, ita multis experimentis fulta, ita ,, validis demonstrata rationibus, ut vel hominibus a Romana Ecclesia alienis, dummodo vel maxime imperiti, vel præfracte temerarii non sint, persuasum de ea fuerit. Quæ Godefridus Leibnitius ,, ad Illustrissimum Raphaelem Fabrettum hac super re scripserit, Fabrettus ipse narravit (Inscript. ,, Domest. cap. VIII. pag. 556.) addiditque narratis doctas, ut solet, atque efficaces rationes. Fusius deinde hanc explicavit controversiam cl. Boldettus, cui quod addere possis vix reperias .... Certum illud imprimis est, vascula ejusmodi, quæ ad aliquos Cœmeteriorum loculos appusita inveniantur, sanguinem olim continuisse. Hoc evincunt Chimica illa experimenta Leibnitii: hoc oculi ipsi ,, testes crustarum, etiam nunc post tot secula rubescentium, negare non possunt .... Effusum autem ,, a Martyribus fuisse sanguinem, qui in ampullis his continetur, duo sunt argumenta, quæ probant: ,, alterum quidem ex historiarum testimonio ductum .... alterum vero, quod tam historia, tum ratio ,, suppeditat, ex quibus eruitur, eorum tantum, qui Martyrium passi fuissent, non vero aliorum ,, sanguinem fuisse asservatum ,,. Laudat mox vir eruditus Boldettum, a quo primum esse ostensum dicit: Tum adductis versibus Prudentii, quos paullo ante retuli, additisque duobus aliis, qui sic habent ,,

,, Nec jam densa sacro quidquam de corpore silva
,, Obtinet, aut plenis fraudat ab exequiis.

Inde sic statuit ,, Ex quibus ultimis verbis illud etiam certo infertur, collecta fuisse hæc non ut servarentur solum, verum etiam ut Martyris Hippolyti loculo inferrentur. Et quidem spongiosam unam ,, ... inter sacra antiquorum Christianorum cimelia, quæ in Museo Kircheriano servantur, vidi intra ,, ampullam christallinam, in qua ad Martyris Sepulcrum adhærente inventa fuerat ... Accidit præterea aliquando inventas fuisse ejusmodi cruentas Phialas ad ea sepulcra, in quibus martyrem contineri aliunde constabat (Anno proxime elapso 1733. in Cœmeterio Callisti detectus est loculus vase ,, sanguineo notatus, & ita scriptus MARTYR IN PACE). Sic in Cœmeterio Ostriano adhærebat vasculum Sanguineum Sepulcro Primitii, quem titulus sepulcralis Martyrem exhibet:


PRIMITIVS IN PACE QVI POST
MVLTAS ANGVSTIAS
FORTISSIMVS MARTYR

ET

tius vir eruditus, & summa laude Philosophiæ apud suos homines celeberrimus dubitaret, ubi Romam venit, quærendum esse existimavit.

ET VIXIT ANNIS P. M.
XXXVIII. CONIVGI SVO
PERDVLCISSIMO BENEMERENTI
FECIT.)

„ Sic etiam Sepulcro Sanctorum Vitalis, atque Agricolæ Martyrum Sanguis eorum illatus fuerat: qua-
„ re magnus ille Ambrosius de eorum inventione loquens (*De Exhort. ad Virgines*) *collegimus*, in-
„ quit, *sanguinem triumphalem*. Idemque de SS. Gervasii, & Protasii sepulcro narrat, inventa ibi *eo-*
„ *rum ossa integra, & plurimum sanguinis*. Sanguinem autem illum, qui inventus est phialis va-
„ sculisque contineri necesse fuit, cum jam dissoluta membrorum compage corpora Martyrum in cine-
„ res, atque ossa resoluta essent.... Res itaque exploratissima est, quæque in dubium revocari, præ-
„ terquam temere nequeat, solitos fuisse primorum seculorum Christianos, sanguinem e martyrum
„ vulneribus defluentem colligere, ac diligenter recondere. Restat igitur, ut ostendamus martyrum
„ tantum... sanguinem ab antiquis fuisse asservatum... Quot enim sunt (quantumvis multi sint) ii
„ loculi



mavit. Itaque experiri voluit, sanguis ne illud esset, quod rubrum colorem præseferret, an alius generis corpus. Id autem cum artis chimicæ


„ loculi, quibus adhærent cruenta hæc vascula, si cum iis innumeris comparentur, quæ hoc præconio „ carent?„. Restat igitur, ut dicamus solos martyres honore hoc a fidelibus priscis exceptos, eorumque tantum sanguinem collectum &c. „. Hæc ille. Ex quibus plane liquet vascula, quæ sepulcris ejusmodi calcis vi adhærent, rubentque, sanguinem SS. MM., qui depositi illic fuerint, continuisse. In interiore etiam sepulcrorum parte nonnumquam vascula reperiuntur, quæ fuerunt plena sanguine, quamquam aliquando reperta aliqua sunt, in quibus sanguis nullus esset, ut quæ ne vestigium quidem sanguinis exhiberent. Hujusmodi est illud, quod non ita pridem reperit Illustrissimus Silvester Maranus Episcopus Porphyriensis S.D.N. Sacrista, qui nobis illud humanissime ostendit, permisitque, ut delineari incidique ligno curaremus. Est vero simile *fig. pag. sup.* Sed observandum est tum inscriptionem, tum etiam figuram stagni Neronis Ostiæ, non ita in vitro esse, ut hic exhibetur lectorum commodo, sed totam circum vasculi superficiem extimam occupare. Viri docti, inque his rebus exercitati, quemadmodum explicari hæc inscriptio debeat, quæsierunt. Fuerunt, qui sic legerent. *Memoriæ Felicissimæ filiæ Faros stagni Neronis ostiarius ambias votum Silveriæ*. Esse autem *Fares* nomen Patris. Alii quod effigiem mulieris nudæ cernerent, quæ altera manu ferrum solutum, quod mortis apud Ethnicos indicium fuit, altera vasculum retineret; & sarum stagnumque Neronis Ostiæ fuisse scirent; rati vasculum gentilis alicujus hominis fuisse, qui illud filiæ suæ memoriæ consecraverit, quæ obiisset: legi oportere putarunt hoc modo: *Memoria Felicissimæ filia Faros Stagnum Neronis Ostiæ ambias ambra Silveria*. Ac de Pharo quidem Ostiæ Suetonius in Claudio *cap. xx. pag. 672. edit. Pitisci* „ Portum Ostiæ, „ *inquit*, extruxit circumducto dextra, sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole „ objecta, quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto „ fuerat advectus. congestisque pilis, superposuit altissimam turrim in exemplum ALEXANDRINI PHARI, „ ut ad nocturnos ignes navigia dirigeret „. Ea in nostro vitro turris cernitur in mediis aquis, a qua aliquanto effigies Silveriæ distat. De stagno autem Neronis Ostiæ idem ipse Suetonius in Nerone *c. xxxi. p. 790.* „ Stagnum maris instar fecit, *inquit*, circumseptum ædificiis ad urbium speciem „. Quodsi secius exhibetur in vitro, quam exhiberi in nummis consuescat, vitium quidem ejus, qui pinxit fuit, non quo portus Ostiæ figura ab ea, quæ in nummis repræsentatur, discreparet. Ad ixta Stagno videtur diversoria taberna, earum similis, quas exhibent nummi apud Constant. Landum *Numism. select. fig. ad pag. 69. edit. an. 1695.* Sueton. ibid. „ Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Bajanum „ sinum prænavigaret, dispositæ per littora, & ripas diversoriæ tabernæ parabantur &c. „ Itaque nullum dubium esse censeo, quin Pharos, & Stagnum Neronis Ostiæ iis litteris, quæ in vitro nostro leguntur, significentur. Vox *Ambias* neque Patris, neque Matris vocabulum esse, sunt qui censeant. Etsi enim apud Boldettum *lib. II. cap. IV. pag. 37. Osserv. sopra i Cimiterj* extet inscriptio, quæ sic habet: *Amias Gorgonio Conjugi Carissimo &c.* tamen τὸ *Ambias* hoc loco nomen non esse, sed verbum defendunt. Atque inde in verba hæc acclamationis formulam quamdam esse: *Pharon, & Stagnum Neronis Ostii. ambias*, (hoc est *circumeas*) *umbra Silveres*. Nam *ambire* idem atque, *circumire*, seu *circumcursare* plerumque significat. Quod cum exemplis ostensum a *Pitisco* in Lexico, aliisque sit, nostra oratione non eget. Atqui Ethnicos in ea fuisse opinione, ut Deos, umbrasque mortuorum circumire oppida, & vicos, &c. arbitrarentur, satis constat. Homerus in *Odiss. P.* Deos peregrinorum habitu civitates circumire comminiscitur. Suetonius in *Caligul. cap. LIX.* „ Satis constat, „ *inquit*, custodes hortorum umbris inquietatos „. Umbrarum autem vox mortuorum, quæ ad inferos descendissent, imagines significat. *Virg. VI. Æneid. v. 390.*

„ Umbrarum hic locus est, somni, noctisque sopore

Esse autem umbram plerique Ethnici quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem fictum sit, putabant. Ac figura quidem nuda ferrum solutum, quod mortis indicium est (ut est cum ab aliis, tum etiam a Fabretto animadversum, *Inscript. Domest. pag. 429.*) altera manu gestans, umbram mulieris indicare videtur. Nam calix, quem dextera tenet, cur non poculum lethæum significare possit, non video. Est autem fabula de Lethe fluvio apud inferos celebris, cujus latices qui gustassent, eos rerum omnium oblivio caperet, quod morte Ethnici oblivionem omnium surrepere mortuis arbitrarentur. Igitur V. SILVE. RAIAE umbra *Silverea* legi commode potest; nam τὸ *ai* pro *e* in inscriptionibus sumi interdum videmus. Qua de re consule Boldettum *lib. II. cap. VIII. pag. 421. Osserv. sopra i Cimiterj*. Interpunctio *Silve. Raja* nihil impedit, quo minus *Silverea* legere liceat, cum in Monumento S. Severæ *Paterni* nomen scriptum hoc modo sit ΠΑ TE ꓷ · Νω · idque jam sæpe in inscriptionibus antiquis, etiam temporum Augusti conspicimus. Vide Lupium *Mon. S. Severa pag. 67. & seqq.* Acclamationum autem formulæ variorum generum in vitris antiquis legi solent. Adeundus

Bol-

VASCV IN COEMETERIO CALLISTI REPERTÆ.



chimicæ præsidio solvisset, facile cognovit sanguinem esse, idque jam non oratione solum, sed scriptis etiam litteris confessus est (1).

Sed de multitudine Martyrum propositis, ac refutatis Dodwelli conjecturis, demonstrari communis plane ad veritatem sententia poterit. Ergo (2) ille principio Hieronymiano, ceterisque Martyrologiis fidem esse denegandam contendit, quod aliquot Martyrum millia commemorent. Nam vetera martyrologia paucorum Martyrum nomina complecti, eoque pauciorum, quo sunt ea vetustiora, animadvertit. Credibile autem non esse arbitratur, tantam vim, copiamque Sanctorum hominum, qui religionis caussa mortem oppetere maluissent, fuisse a primis collectoribus prætermissam. Cur enim prætermisissent? inquit. An aliquid se commodi inde consequuturos sperabant? At qui brevissimos catalogos scripserant, ii cognossent, si copiosiores dedissent, suam posteris operam gratam sine dubio futuram. An ignorabant, quæ gesta essent? Id vero ne in cogitationem quidem cadit, ut qui *Acta Romanorum Magistratuum* consulere facile poterant, qui in promtu habebant, quæ scribi a Christianis, qui interfuissent, consueverant, qui an-

Boldettus *lib.* I. *cap.* XXXIX. *pag.* 194. Quæret autem quispiam, cur Patris, aut Matris, quæ vasculum memoriæ filiæ consecraverint, nulla hic fiat mentio? Ego vero ex eo primum petam, cur in hac item Patris, Matrisve inscriptione mentio nulla fiat?

DOROTHEO FILIO DVLCISSIMO QVI VIXIT

N. VI. D. XX. OR. III. IN PACE

apud Bold. pag. 372.

Mitto ceterus ne sim longus. At V. pro umbra nusquam in vasis, & inscriptionibus legitur. Fateor. At quot sunt in vitris præsertim singularia acclamationum genera! Cur ergo hoc, quia singulare est, quisquam rejiciet? Nec exhibere negotium cuiquam debet, quod in vasculo pro *Pharon*, vel *Pharum*, legatur *Faros*, & pro stagnum, legatur *Stagnu*. Norunt enim antiquarii, quam hæc esse in veteribus inscriptionibus communia soleant. Adisis Boldettum *lib.* II. *cap.* IV. *pag.* 373. *c.* V. *pag.* 381. *&c.* VI. *pag.* 409. *&c.* Quod vas ab Ethnico quopiam memoriæ filiæ consecratum, quin sanguine plenum esset, in loculo pectori Martyris impositum fuerit, mirabile videri non debet. Nam ejusmodi vascula quædam in Cœmeteriis interdum reperiuntur, quæ quamobrem eo asportata fuerint, etsi sunt, qui explicare conentur, tamen ignoramus. Fortasse ut vascula, quæ in promtu habebant, sive Ethnica, sive Christiana erant, sanguine implebant, & sepulcris apponebant, ita nonnulla vel signorum loco ponebant, vel aromatum aliquo genere replebant, atque una cum sacris reliquiis condebant. Hæc ego conjectans dixi. Quod si quis est, qui meliorem interpretandæ hujus inscriptionis rationem repererit, is mihi rem gratissimam faciet. Cur vero umbram, ut ambiat Stagnum, & Pharum clamet parens, hæc fortasse caussa fuit, quod defossum haud longe a stagno corpus, aut in stagno casu perierit, sepulcroque condi nequiverit. Umbris namque inquietari loca, in quibus defossa erant insepultorum corpora, veteres censuerunt. Vide Plaut. Mostell. *Act.* II. *Scen.* II. *v.* 66. *& seqq.* & Suet. in Nerone *c.* XXXIV. & in Galba *cap.* VII. & Guter. *de Jure Manium l.* II. *c.* XVI.

(1) Vide Fabrettum Inscript. *Antiq. cap.* VII. & Boldettum *lib.* I. *cap.* XXXIX. *pag.* 187. qui verba proferunt.

(2) *Dissert. Cyprian.* XI. §. 1. *& seqq. pag.* 66. *& seqq.*

nuas SS. MM. in Ecclesiis commemorationes recoli sciebant, audiebantque orationes, quas Patres in concione habere solerent, ii quos numerare possent in suis catalogis martyres nescirent. Neque erant illis, quæ in ceteris Ecclesiis contigissent, ignota. Summa enim jam usque a primis temporibus erat inter Christianos *communicatio*, curabantque, ut rerum suarum ceteri, qui longe abessent, certiores fierent. Quæ res cum exemplo Lugdunensium, Smyrnensium &c. plane constet, longiore, uberioreque oratione non eget. Igitur cum neque consulto, neque ignoratione rerum factum id a majoribus nostris fuerit, si plures martyres in Ecclesia, inquit Dodwellus, viguissent, eorum saltem nomina fuissent monumentis mandata litterarum. Neque vero assensio adhibenda his est, qui curatum a collectoribus fuisse dicerent, ut illustriorum Martyrum acta, ac nomina scriberent, hominumque memoriæ commendarent. Nam qui laicorum, qui puerorum, qui servorum, qui plebejorum, qui catechumenorum martyrum meminerunt, ii quidem certe non illustriorum modo, sed etiam omnium, quos passos fuisse cognorunt, martyrum aut res gestas, aut saltem nomina describenda esse judicarunt.

Atenim quod aut actorum, aut nominum memoria interciderit, non sequitur, paucos omnino in Ecclesia olim Martyras floruisse. Quid enim? An quia nulli nominum eorum martyrum meminerunt, qui, Nerone Imperatore, Romæ tot cruciatus perpessi sunt, falsa esse Dodwellus defendet, quæ Tacitus, quæque Juvenalis scriptores (1) Ethnici tradiderunt? Atque ingentem sane eorum multitudinem fuisse constat. Rursum, vivo Domitiano, multos Christianos fuisse interfectos, Brutius (2) scribit. Ei vero cur sit adimenda fides, non video, viro nostrorum inimico, & æquali temporum illorum. Eademque fere de Martyrum eorumdem numero habet in priore ad Corinthios Epistola (3) Clemens, quamvis perpaucorum nomina memoret. Quid ergo? An quia eorum omnium, quorum est apud nos memoria, nomina propter vetustatem deleta, numerum exiguum omnino fuisse, Dodwellus dicet? Hoc si dicat, videat, ne nullos reperiat, qui esse sibi credendum arbitrentur. Nam quid de martyribus sub Trajano loquar? Eorum enim nomina neque Plinius, qui duci ad supplicium eos jusserat, neque alius

(1) Vide supra *pag.* 417. *n.* 5. & *pag.* 418. *not.* 1.
(2) Confer quæ dixi *pag.* 422. *not.* 6.
(3) Vide supra Clementis locum *pag.* 425. *not.* 2.

alius quiſquam (1) deſcripſit. Ac fuit profecto eorum incredibilis multitudo. Quid? Ignatius? An appellationum eorum hominum meminit, quos non ſunt auſæ feræ attingere (2)? Atque eſt illud, ut vidimus, memoriæ traditum ab Euſebio, (3) *plurimos tunc ex fidelibus ſubiiſſe certamen martyrii multorum* generum. Neque vero is, qui fuerint, narrat. Marii (4) autem Ducis militum, quem, cauſſa religionis, fuiſſe ſupplicio affectum conſtat, ullus ne uſquam veterum meminit? Atenim is ſine dubio Martyr fuit. Age vero quos in jus rapi, laniari, occidi denique Juſtinus, (5) antequam Chriſtianam philoſophiam colere cœpiſſet, vidit, qui qualeſve fuerint, uſquam ſcripſit? Nam qui gladio percuſſi, qui in crucem acti, qui tormentis, qui vinculis, qui igne denique, Juſtino (6) teſte, Hadriani, Antoninique temporibus extincti ſunt, his ne quiſquam veterum quæ nomina impoſita fuiſſent, prodidit? Ac vereor equidem, ne Alexandri (7) Martyris nomen, quod in martyrologiis immiſſum eſt, nos perpetuo latuiſſet, niſi ejus loculus detectus diligentia noſtrorum ſuperiore ſeculo fuiſſet: Jam vero quos obſtinatione ductos, ſic enim Ethnici de noſtris hominibus ſentiebant, Marcus Antoninus (8) Imperator cruciari maluiſſe, quam Chriſtum ejurare ſcribit, qui fuerint, quibuſque nominibus appellarentur, ulluſne aut Ethnicorum, aut Chriſtianorum memoriæ commendavit? Melito autem Sardianus (9), qui mortuos in Aſia fuiſſe pro Chriſto eos, qui deſerere noſtram religionem nollent, affirmat, an recitat uſpiam eorum inſtitutum, dignitates, nomen? Atque idipſum cum de multitudine martyrum, quam Athenagoras (10), quam Theophilus Antiochenus (11) ſub Pio, & Commodo, quam Clemens (12) Alexandrinus, quam Tertullianus (13), quam Minucius (14) Felix, quam alii denique ſub Severo, ceteriſque Impera-

(1) Confer *not. 2. pag. 427.*
(2) Conſule quæ dixi *pag. 394. not. 1.*
(3) Vide ſupra *pag. 426. n. 6.*
(4) Confer. *inſcription. ſupra pag. 430.*
(5) Conſule *ſup. pag. 432. n. 2.*
(6) Vide *inſcript. ſup. pag. 433. n. 4.*
(7) Vide *ſup. pag. 433. n. 4.*
(8) Vide *ſup. pag. 434. n. 5.*
(9) *Ibid. pag. 435. n. 5.*
(10) *Ibid. pag. 437. n. 1.*
(11) *Ibid. pag. 437. n. 3.*
(12) *Ibid. pag. 439. n. 1.*
(13) *Ibid. pag. 419. n. 4. & 440. n. 3.* Adi & ipſum *Tertull. Apol. cap. XII. pag. 125. edit. Havorc. & cap. 2. pag. 434. & ſeqq.*
(14) Vide Minuc. Felicem *in Octav. pag. 80. edit. an. 1672.*

peratoribus Ethnicis viguisse scribunt, dicendum sit, quid est, quod Dodwellus aut res a veteribus martyribus præclare gestas, aut eorum nomina postulet, quæ litteris commendata non fuerint?

At notabant, inquit Dodwellus, (1) veteres accurate & nomina, quibus S. Martyres appellabantur, & dies, quibus coronati fuissent.

Hoc ego persæpe (2) factum fuisse facile patiar, semper autem numquam patiar. Nam (3) interdum non poterat, vel quod prohibiti fuissent, vel quod propter multitudinem, aliamve caussam indicare nomina nequivissent. Atque ut mittam de actis (4) dicere, quæ injuria temporum, hostiumque scelere perierunt; quis nomina eorum martyrum indicavit, quorum *redundantes fontes* fuisse Clemens Alexandrinus (5) testatur? Neque vero majores nostri quinam illi CCCCCL. martyres, qui cum Marcella, & CL., qui cum Ruffino, & quinam e tota illa familia, qui cum Gordiano passi sunt (6), tradiderunt. An vero Cyprianus (7) nomina innumerabilium martyrum, quos memorat, omnia litterarum fuisse mandata monumentis scripsit? Quis autem omnium ex eo populo hominum, quos cum conventiculo exustos Lactantius (8) narrat, nomina recensere potuisset? Rursum complecti ne quisquam potuisset nomina hominum *omnis sexus*, ut Lucius Cæcilius scribit, & ætatis, qui *rapti ad exustionem* erant, qui *non singuli, quoniam tanta erat multitudo,* *sed*

(1) Dodw. *ibid.* §. 1.

(2) S. Cyprianus *epist.* XII. *ad Pamel. num.* XXXVII. *pag.* 188. Presbyteros, & Diaconos suos hortatur, ut „ Dies, *Martyrum*, quibus excedunt, adnotent, ut commemorationes eorum inter memo- „ rias Martyrum celebrari possint &c. „ Hoc fecit Tertullus tempore Cypriani in Africa, ut idem Cyprianus *ibid.* testatur, hoc Ecclesiæ Viennensis, & Lugdunensis, hoc Smyrnenses pro S. Polycarpo, hoc ille, qui Severo Imperatore *Acta SS. Perpetuæ*, *&* *Felicit. & soc.* scripsit. Hoc Dionysius Alex. hoc nonnulli alii; sed fieri idipsum tamen semper non potuit.

(3) Vide *inscript. Alex. supra pag.* 433. *n.* 4. Si igitur ita sibi cavebant, qui præsto adesse poterant? Rursum multitudo erat ingens Martyrum sæpe, ut vidimus. Quare non erat facile acta describere, aut nomina recensere. Alias nonnullas ejus inopiæ veterum caussas profert P. C. Innocens Ansaldus O. P. vir eruditus in ea Differt. quam *de Caussis inopiæ Veterum Monumentorum pro copia Martyrum dignoscenda* edidit Mediolani an. 1740. Sed vereor, ne aliquas viri docti non probent: cujusmodi est illa; veterum in ea re negligentia, quod jam nota tunc essent, quæ Martyres gessissent, *pag.* 37. *& seqq.* Hæc enim ratio si valeret, numquam existimassent majores nostri esse, quæ Martyres, Sanctique viri gesserant, propterea quod tunc essent comperta, posterorum memoriæ commendanda. Verum mitto de Ansaldi opusculo copiosius dicere, ne sim longus.

(4) Consule Ruinartium *Præf.* §. 1. *n.* 4. *pag.* XXI. *& seqq. edit. Veron.*

(5) Vide supra *pag.* 439. *n.* 1.

(6) Consule horum inscriptiones, quas attuli supra *pag.* 460. *& seqq.*

(7) S. Cyprianus *lib. de Exhort. Martyrii cap.* XI. *pag.* 126. *edit. Oxon.* „ Hoc ampliorem copiam „ computantes temporis nostri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante postmodum copia „ virtutis, ac fidei, numerari non possunt Martyres Christiani &c.

(8) Lactant. *lib.* V. *cap.* XI. *Divin. Instit.*

ſed gregatim circumdato igni amburebantur (1)? Quid? Illos modo triginta, modo quinquaginta, modo centum, modo etiam majore numero, quos interemptos fuiſſe Euſebius (2) ſcribit, eoſque etiam innumerabiles, quos ſcaphis impoſitos carnifices (3) in profundum mare projecerunt, eſſe ne quiſquam potuit, qui numeraret, eorumque nomina recenſeri poſſe arbitraretur? Ac Dionyſius ſane Alexandrinus, cum aliquorum nomina deſcribere inſtituiſſet, tum omnes, qui ſuo tempore paſſi in Ægypto fuerunt, nominatim notare propter multitudinem non potuit. „ Sed & alii *complures*, inquit, *per oppida, & vicos a gentilibus diſcerpti ſunt, ex quibus unum exempli gratia commemorabo*. Sed de hac re agam iterum paullo poſt, ubi de Euſebii Cæſarienſis teſtimonio erit inſtituendus ſermo. Nunc de Actis martyrum dicendum eſt. Ego vero etſi fatear, *acta* Magiſtratuum quædam videri a noſtris potuiſſe, omnia tamen videri potuiſſe numquam concedam. Nam cum maximæ perſecutiones ſævirent, quis ſibi perſuadeat Chriſtianos, qui ſibi cavendum eſſe cenſerent, adire miniſtros, exque iis petere acta voluiſſe, ſeque in extremum diſcrimen adducere? Deinde quæ acta poſtulare eorum martyrum poterant, qui *gregatim* exuſti fuiſſent? Poſtremo periiſſe eorum (4) actorum, quæ Chriſtiani collegerant, permulta, tam eſt manifeſtum, ut negari ſine ſumma impudentia non poſſit. Quod idem eſt de actis, quæ Chriſtiani ipſi, qui aderant, deſcribere conſuerant, dicendum. Atque adeſſe præterea illi ſemper non poterant, quod ſæpe in magna perſequutione ab Ethnicis ſibi eſſe metuendum arbitrarentur. Nam in publico tuti eſſe qui poterant, quibus

(1) Vide Lucii Cæcilii *lib. cit. cap.* xv. *pag.* 101. *T.* II. *opp. Lact. edit. Pariſ. an.* 1748.

(2) Conſule *Euſeb. lib.* VIII. *Hiſt. Eccl. cap.* IX. & *cap.* VI. *pag.* 382. „ Alios quoque innumerabiles, inquit, vinctos, & ſcaphis impoſitos, carnifices in profundum mare projecere „. Nicomediæ.

(3) Apud Euſeb. *lib.* VI. *cap.* XLII. *H. E. pag.* 308. *edit. Cantabr.*

(4) Prudentius *in Hymn. de SS. MM. Emetherio, & Chelidonio*, queritur, horum acta fuiſſe ſcelere Ethnicorum ſublata, ne legi a Chriſtianis poſſent.

„ O vetuſtatis ſilentii obſoleta oblivio!
„ Invidentur iſta nobis, fama & ipſa extinguitur.
„ Chartulas blaſphemus olim nam ſatelles abſtulit,
„ Ne tenacibus libellis erudita ſecula
„ Ordinem, tempus, modumque paſſionis proditum
„ Dulcibus linguis per aures poſterorum ſpargerent.

Confer Arnobium, qui ſimilia perſequitur in *extremo quarto libro Adverſus Gentes*. Atque eſt illud etiam veriſimile, cum in Perſecutione Dioclet. codices ſacri quærerentur, & comburerentur, inventa ſimul Acta Martyrum multorum, unaque combuſta ſint. Id vero ne Dodwellus quidem negat, *ibid.* §. 151. De Sacris Codicibus diligenter tunc ab Ethnicis conquiſitis legendi Valeſ. *Differt. de Schiſm. Donatiſt.* Monachi Bened. *Congr. S. Mauri Præfat. ad T.* IX. *opp. S. Auguſtini* Natalis Alex. *H. E. ec.* III. *P.* 1. *c.* 2. *& P.* 2. *ſec.* 17. *art.* 2. *& ſeq.*

quibus ne in cavernis (1) quidem satis tuto latere se posse existimabant? Quodsi illustriorum non ob dignitatem solum, sed etiam ob rem fortiter gestam, martyrum annua commemoratio fieri solebat, omnium quidem certe non solebat. Marcellæ enim, Ruffini &c. ubinam Romæ usquam celebrata annua commemoratio est? At hi sine dubio Martyres Romani erant. Illud quoque accedit, quod cum in minoribus persecutionibus rariores martyres essent, horum facilius colligi acta possent, obque lectionem eorumdem actorum excitari Christiani ad eos colendos solerent. Sed cum in magnis, cum tantopere sævirent Ethnici, qui paterentur quotidie, ac propter multitudinem, quæ nomina omnium essent, ignoraretur, factum inde est, ut plurimorum memoria intercideri t.

Etsi autem commercia Ecclesiarum fuisse olim insignia non nego, tamen intermissa tempore maximarum persecutionum plerumque fuisse, postque si renovata sunt, nonnisi de aliquibus tantum factas fuisse alias Ecclesias certiores, non de omnibus, quod permulti essent, plane constat. Quare quam e commerciis Dodwellus repetit, tota quanta est nutat, & claudicat ratio.

Quodsi data est interdum a majoribus nostris opera, ut laicorum, catechumenorumque Martyrum res gestæ in tabulas Ecclesiarum referrentur; nihilo secius qui plebejos interdum non prætermittebant, iidem sæpe nuncios, Duces &c., silentio prætermitti patiebantur.

Neque ullius ponderis est, quod de vetustioribus Kalendariis, quibus longe minor martyrum numerus, quam novis contineretur, Dodwellus scribit. Non enim omnium Martyrum memoriam celebrari oportere Romani E. G. tempore Liberii censebant, quos Romæ passos fuisse constaret. Principio enim ubinam Marcellæ, ubi Gaudentii, ubi Ruffini, Primitii, Gordiani, ubi tot martyrum, quos (2) Prudentius auctor Liberii æqualis memorat, memoria celebrata

(1) Vide *inscript. Alexandri pag.* 433. *n.* 4.

(2) *Hymno* XI. περὶ στεφάνων.

„ Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
„ Vidimus o Christo Valeriane sacer
„ Incisos tumulis titulos. Tu singula quæris
„ Nomina? Difficile est, ut replicare queam.
„ Tantos Justorum populos furor impius hausit,
„ Cum coleret patrios Troja Romana Deos.
„ Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
„ Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
„ Sunt & multa tamen tacitas claudentia tumbas
„ Marmora, quæ solum significant numerum. &c.

lebrata in Urbe (1) fuit? Rurſum ſi conventus natalitiis diebus SS. quorumque Martyrum agi oportere veteres exiſtimaſſent, nulla dies fuiſſet, qua non eſſe conveniendum in Eccleſias arbitrarentur. Mirabile denique non eſt, ſi in novis martyrologiis multo plures, quam in antiquis Kalendariis, martyres numerentur. Etenim recentiores martyrologiorum collectores, cum in acta pleraque incidiſſent, quæ in bibliothecis latebant, eorum martyrum etiam ſuis collectionibus nomina inſeruerunt, quos in iis commemorari videbant, quoſque ne prolixiores catalogi eſſent, aut aliis de cauſſis, quæ nobis ignotæ ſint, veteres eſſe prætermittendos exiſtimarunt. Quamquam ne illud quidem verum eſt, martyrologia recentiora tam eſſe accurata, ut omnium martyrum nomina complectantur.

Sed inſtat, urgetque Dodwellus. Quod *paucorum martyrum* (2), inquit, *memoriam habemus in primævis indubiæ fidei monumentis,* indicio eſt, ne multos quidem fuiſſe, qui primis *perſecutionibus* coronati ſint. Tantum enim abeſt, ut in noſtram ætatem multorum memoria manarit, ut qui in conquirendis monumentis antiquis, quo tempore licebat, plurimum diligentiæ conſumſerunt, perpaucos repererint, quos nominarent. Euſebius collectiones perfecit duas, alteram antiquiorum, alteram eorum, qui ſuo tempore in Palæſtina certarunt, Martyrum. Poſtrema integra extat. Prior quidem periit, ſed ex iis, quæ in Hiſtoria dicit, copioſam non fuiſſe, facile ſane perſpicitur. Singulis enim perſecutionibus, *quæ ſuo tempore extabant monumenta, in hiſtoria monet, omnia, ut opinor, illa, vel maximam certe eorum partem, quæ συναγογῇ ſuæ inſeruerat, quæ tamen pauca admodum erant, nec recentiorum magnificæ jactationi reſpondentia.* Atqui non unius Provinciæ, ſed omnium totius orbis Martyrum acta priore collectione complexus eſt. Repetit deinde Dodwellus quæ de Kalendariis paullo ante dixerat, adjungitque perpaucos etiam martyres in libris περὶ ϛεφάνων numeratos eſſe a Prudentio, poſtremoque adducit Origenis locum, qui *paucos ſecundum tempora, & facile numerabiles mortuos cauſſa Chriſtianæ religionis* teſtatur. Quamobrem vitio Pſeudo-Hieronymo, ſic enim appellat, dat, quod millenos *aliquot* in ſingulos anni dies in martyrologio martyras confinxerit.

Verum

(1) Horum in Bucheriano Kalendario, & in aliis, quæ poſt edita ſunt, ne veſtigium quidem extat.
(2) Dodwellus *ibid.* §. v i. *& ſeq.*

Verum quo ore ausus est tam falsa de Eusebio scribere? Annon ille multos (1) Nerone, multos Domitiano, complurimos Trajano, M. Antonino, Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Diocletiano, & Maximianis Imperatoribus extitisse martyres scribit? Qui igitur vetera monumenta pervolverant, ii quidem certe cognorant, tantam fuisse vim copiamque Sanctorum Martyrum, ut ne numerari quidem possent. Igitur ille ipse Eusebius, prætermissos ab se innumerabiles fuisse, fatetur (2), quod eorum vel nomina complecti neque opus esset, neque fieri posse censeret. Quodsi ita se, cum de suorum temporum martyribus ageret, gessit, quidni perinde in colligendis omnium totius Orbis Martyrum actis, quorum incredibilem fuisse multitudinem scribit, gessisset? Neque vero si voluisset omnium nomina litteris commendare, potuisset; cum multorum neque relata in tabulas Ecclesiæ, neque memorata a quoquam fuissent. Quod de Kalendariis addit, cum solutum paullo ante fuerit, censeo

(1) Consule Euseb. *lib.* II. *cap.* XXV. *pag.* 83. & quæ ex eo supra attuli *pag.* 421. *n.* 2. *&* 5. *p.* 426. *n.* 7. 435. *n.* 5. Vide Eusebium ipsum *lib.* V. *in Proœm. pag.* 197. ubi „ Quo tempore, inquit (nempe „ Antonini) innumerabiles prope Martyres per universum orbem enituisse, ex iis, quæ in una Pro„ vincia contigerunt, conjicere licet „. Adi quæ *lib.* VI. *cap.* I. *& seqq.* de Sept. Severi, & *lib.* VI. *c.* XXVIII. *pag.* 293. de Maximini, & *cap.* XXXIX. *pag.* 301. *& seqq.* de Decii, & *l.* VII. *c.* X. *pag.* 331. *& seqq.* de Valeriani, & *lib.* VIII. *cap.* I. *& seqq.* de Diocletiani, *aliorumque Tyrannorum persequutionibus* scripsit.

(2) Vide Eusebium *l.* VIII. *c.* XII. quo loco plurimos Ecclesiarum rectores, quin eos nominaret, quod brevitati studeret, Martyrii gloriam consequutos scribit; *cap.* IV. ubi *quamplurimos* referre se posse dicit, qui non solum quo tempore commota in nostros tempestas est, sed etiam ante, coronati sunt, quorum tamen nomina prætermittit; *cap.* V. ne ejus quidem viri, quem seculari tamen honorum prærogativa insignem vocat, qui edictum laceravit Nicomediæ, ditaque supplicia pertulit, nomen commemorat; *cap.* VI. *pag.* 382. ubi postquam narravit, quæ duobus cubiculariis contigere, tum „ Reliquorum Martyria, inquit, nihilo inferiora, tamen brevitatis studio hic omittemus. Mox „ Tunc, inquit, Anthimus Ecclesiæ Nicomediensis Episcopus ob Confessionem Christi in eadem urbe ca„ pite truncatus est. HUIC ADJUNCTA EST INGENS MARTYRUM MULTITUDO ... IMPERIALI JUSSU „ QUOTQUOT ILLIC (NICOMEDIÆ) ERANT DEI CULTORES, ACERVATIM CUM SUIS FAMILIIS ALII „ GLADIO, FLAMMIS ALII CONSUMPTI PEREUNT „. Deinde, ubi carceres ubique, ob edictum, plenos dixit fuisse Episcoporum, Diaconorum, Lectorum, tum „ Vix jam iniri, inquit, numeros potest „ omnium, qui deinceps in singulis provinciis passi sunt, Martyrum, ac præsertim eorum, qui per „ Africam, & Mauritaniam, per Thebaidem, & Ægyptum sunt interfecti; *cap.* VIII. ubi de Martyribus in Ægypto; *cap.* IX. ubi de Mart. in Thebaide, ubi: *nunc deni*, inquit, *nunc viceni, & amplius, nonnunquam ad triginta usque, & sexaginta, quandoque & centeni viri simul, ac mulieres cum parvulis suis interficerentur* .... *Quamplurimos*, deinde adjungit, catervatim una fuisse interfectos, eamque lanienam non die uno, sed prolixo aliquot annorum curriculo perdurasse; & *cap.* X. ubi „ Quid opus est, inquit, prolixa oratione uti, & divinorum, qui per universum Orbem passi sunt, „ Martyrum nova semper novis succedentia certamina exponere, cum præsertim illi non vulgari mo„ do, sed quasi jure belli oppugnati essent; *cap.* XI. „ Certe urbem quamdam Christianorum in „ Phrygia milites armati obsidione cinxerunt, injectoque igne totam una cum viris, ac mulieribus, „ ac parvulis, Christum omnium Deum invocantibus concremarunt „. Similia deinceps *cap.* XII. XIII. persequitur. At quis tam est absurdo ingenio, ut cum paucos martyres commemorare dicat, qui innumerabiles fuisse diserte testetur? Rursum quomodo tot Eusebium Martyrum nomina recensuisset, quos numerari non potuisse affirmat? Scilicet veritati tenebras obducere, non veritatem investigare Dodwellus statuerat.

censeo, non esse iterum resutandum. Nam Homilias Patrum, quæ Martyrum laudes paucorum contineant, quod scribit (1), concedi quidem potest. Sed quod concludit, non est consequens. Illi enim de iis tantum orationes scripserunt, quorum memoria in urbibus, in quibus degerent, celebrari quotannis soleret. Ad Prudentium (2) quod attinet, fateor copiose ab eo nonnisi paucorum fuisse martyria descripta. Verumtamen paucis verbis ille demonstravit, quam essent in sola Urbe multi caussa religionis interfecti. Hæc vero cur Dodwellus dissimulaverit, nescio. Illud suspicor, fecisse illum dolo, ac fraude, quo incautos in errorem induceret. Origenis (3) locus non efficit, exiguo numero homines pro Christo sanguinem fudisse. Sic ille statuit: paucos secundum tempora fuisse martyres, si cum iis, qui superstites manebant, Christianis conferrentur. Ceterum ubi *comparate*, ut ajunt, **non loquitur**, maximam fuisse multitudinem eorum, qui propter religionem interierint, demonstrat.

Atenim pauci (4), inquit, fuerunt Imperatores, qui in Christianos sævierint. Etenim Lucius Cæcilius, qui bellum Ecclesiæ indixerint Imperatores, Neronem, Domitianum, Decium, Valerianum, & Aurelianum ante Diocletiani tempora solum numerat. Atque dictum idem ipsum de suo tempore a Tertulliano fuit. Nam quæ Severi edicta memorantur, ea omnia esse a Monachis otiosis conficta Dodwellus censet. Quodsi qui sub aliis Imperatoribus perierunt, hi aut Præsidum edictis, aut plebis tumultu, non lege generali, quam Princeps tulisset, perierunt. Quid? Quod rescripta pro Christianis lata vim legis in universo Imperio obtinerent, impedirentque, quo minus in Christianos quisquam animadverteret? Erant præterea nonnulli Imperatores amici Christianorum, qui sane non tulissent, ut Ethnici in eos sævire auderent. Talis a nonnullis creditur Hadrianus, tales Caracalla, Elagabalus, Alexander Severus, tales Philippi, tales initio Valerianus, & Aurelianus,

(1) Vide Ruinartium *Præfat. ad Act. SS. MM.* §. II. *n.* 20.

(2) Vide quæ mox Prudentii verba retuli.

(3) Orig. *lib.* III. *Contra Celsum n.* 8. „ Ubi enim alii, inquit, in memoriam revocarent, & videndis paucis pro pietate certantibus firmiores fierent, mortemque spernerent, pauci per intervalla temporum, & facile numerabiles pro Christiana religione mortem obierunt; sed eorum gentem prorsus extingui numquam permisit Deus: immo consistere voluit, & universam terram salutari illa, & piissima doctrina repleri &c. *Lib.* autem secundo *pag.* 434. *T.* II. *opp. edit. an.* 1604. „ Quin & nostro tempore, inquit, multi scientes moriendum sibi esse, si confiteantur Christianismum, „ abnegato vero illo absolvendos, recepturosque etiam bona quæ amiserant, contempserunt vitam, „ & ultro mortem ob pietatem elegerunt „. Vide cetera, quæ affert Ruinart. *Præfat.* §. II. *n.* 22.

(4) Dodvvell. *ibid.* §. VIII. *& seqq.*

relianus, tales Gallienus, atque Conſtantius. Mites erant alii Imperatores, ut Titus, Nerva, Trajanus, Antonini, Pertinax. Hi ergo capitali ſententia in noſtros aut numquam, aut perraro animadvertiſſent.

Ego vero ridiculum eſſe ajo, quod de Cæcilio concludit. Nam ille eorum tantum perſequutorum mentionem (1) facere inſtituerat, quorum infelicem fuiſſe exitum cognorat. Itaque non Trajanum modo, quem Tertullianus reprehendit (2), ſed etiam Severum, atque Maximinum prætermiſit, quem edicta in Chriſtianos (3) vulgaſſe, plane liquet. Neque Tertulliani ratio diſcrepat. Is enim eos in Apologetico recenſet, qui leges de delendis ubique terrarum Chriſtianis ſcripſerant. Hadrianus autem, & Antonini nullas dederant (4), quæ ſic haberent. Anno vero 198., quo ſcriptum Apologeticon (5) eſt, Severus nondum concitarat in Eccleſiam tempeſtatem. At vero an. 202. etſi Dodwello non placeat, tamen edicta plena crudelitatis publicavit. Sub Trajano, Hadriano, & Antoninis pleroſque religionis cauſſa Chriſtianos martyras extitiſſe demonſtratum alio loco eſt, ſive autem edictis Imperatorum, ſive Præſidum ſcelere, tumultuque plebis id contigerit, parvi refert. Reſcripta pro Chriſtianis aliquibus in locis, & aliquo tempore valuiſſe non nego: Ubique & ſemper, id vero eſt, quod eſſe negandum defendo. Nemo enim neſcit, Marco Aurelio, & Commodo Imperatoribus permultos noſtrum fuiſſe extremo ſupplicio affectos, tametſi ſtatutum contra ab Hadriano, & Antonino Pio fuiſſet. Nam Præſides Provinciarum, populique cum eſſent Chriſtianis irati, contineri non poterant, quin ſæpe in eos impetum facerent. Quamobrem idem ille Melito (6) Sardianus, cujus teſtimonio Dodwellus abutitur, quo loco edicta Antonini Pii pro noſtris recenſet, eodem ab Ethnicis interimi ſub Marco Chriſtianos in Aſia ſuo tempore conſueſſe ſcribit. De Imperatoribus, qui propenſiores in Chriſtianos fuerint, agam in ſecunda hujuſce libri parte diligenter. Interea Hadriano Imperatore, quem noſtrorum amicum fuiſſe ajunt, plures fuiſſe martyrii gloriam conſequutos, certum eſt. De Trajano,

(1) Vide Ipſum Cæcilium *cap.* 11. *& ſeqq.*
(2) Vide quæ ſupra dixi *de Trajano Perſecut. & pag.* 438. *not.* 2. *& ſeqq.*
(3) Vide ſupra *pag.* 441. *& ſeq. n.* 4.
(4) Vide quæ dixi *de Perſec. ſub Hadriano, & Antonino Pio*, & quæ diſputavi de Martyribus ſub M. Antonino, & Commodo. (5) Vide ſupra *pag.* 443. *& ſeq.*
(6) Vide locum Melitonis ſupra *pag.* 435. *n.* 5.

Trajano, & Antoninis quod ſcribit, verum eſt. Sed quemadmodum illi mites erga ceteros erant, ita in eos ſæviendum putabant eſſe, a quibus numina Ethnicorum contemni perſpicerent.

Extremum eſt, ut cujuſmodi illud ſit, quod Dodwellus (1) de cauſſis martyrii dictitat, videamus. Ait enim plures fuiſſe non propterea damnatos, quod aut incenſæ Urbis, aut infanticidii, aut aliorum criminum rei agerentur.

Accuſatos equidem horum criminum fuiſſe Chriſtianos, negari nullo modo (2) poteſt. Nam plena ſunt vetera monumenta hujuſmodi calumniarum. Sed eas ob cauſſas fuiſſe interfectos, tam eſt falſum, ut ne ad veri quidem ſimilitudinem poſſit accedere. Principio ſatis conſtat, pleroſque fuiſſe capitis condemnatos, quod Chriſtianam religionem colerent (3). Deinde eſt illud perſpicuum raptos ad ſupplicium permultos fuiſſe, propterea quod ſacrificia ſua præſentia impedire ſolerent (4). Tertio: ſi cauſſa earum accuſationum condemnati fuiſſent, cur in eorum vitam inquirere Imperares, præſideſque negligebant? Cur ſi negaſſent, eos dimitti oportere exiſtimabant? Nam homicidæ, aut inceſtuoſo, aut furi neganti ſe occidiſſe quemquam, aut inceſtum admiſiſſe, aut furatum ſe aliquid fuiſſe, nullus uſquam Judex exiſtimavit liberam abeundi facultatem eſſe concedendam. Si ergo dimittebantur Chriſtiani, magno argumento eſt, non cauſſa criminum, quæ illis objicerentur, ſed unius religionis quæſitos ad necem, interfectoſque (5) fuiſſe.

 Atque

(1) Id ſemel atque iterum Dodwellus *in Diſſ.* xi. jactitat.

(2) Vide quæ nos conceſſimus *lib.* I. *cap.* III. *per tot.*

(3) Vide Acta SS. MM. Lugdunenſium *n.* III. *&* xI. *pag.* 53. *& n.* xI. *pag.* 57. *Act. Sinc. SS. MM. apud Ruinartium*. Atque ut cetera omittam, quæ paſſim apud Tertullianum, Juſtinum, Athenagoram, Clementem, Lactantium, Arnobium &c. reperiuntur, Illuſtre eſt, quod narrat Euſebius *l.* VIII. *c.* XI. de iis, qui combuſti in Phrygia ſunt. „ Hanc ob cauſſam, inquit, quod univerſi ejus urbis incolæ, & „ curator ipſe, ac Magiſtratus cum honoratis omnibus, ac plebejis, Chriſtianos ſe eſſe profeſſi, ſacrificare jubentibus nullo modo obtemperabant „. Quare incenſi ſunt, exuſtique flammis.

(4) Vide Acta S. Saturnini *Epiſc. Toloſ. apud Ruinart. n.* 2. *& ſeq. pag.* 109. *& ſeqq. edit. Veron.* & Lucium Cæcilium §. x. *lib. de Mort. Perſecut. pag.* 196. *Tom.* II. *opp.* Lact. *edit. Pariſ. an.* 1648. Lactant. *lib.* IV. *Divinar. Inſtitut. cap.* XXVII „ cum diis ſuis immolant, inquit, ſi adſiſtat aliquis „ ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant, nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates. Et „ hæc fane cauſſa præcipua juſtitiam perſequendi malis regibus fuit &c.

(5) Hoc Juſtinus Martyr, hoc Athenagoras, hoc Tertullianus in ſuis libris Apologeticis objecerunt. Atque in poſtremus *cap.* II. „ Si certum eſt, inquit, nos nocentiſſimos eſſe, cur a vobis ipſis aliter tra„ ctamur, quam pares noſtri, id eſt ceteri nocentes, cum ejuſdem noxietatis eadem tractatio deberet „ intervenire? ... Chriſtianis ſolis nihil permittitur loqui, quod cauſſam purget .... ſed illud expe„ ctatur, confeſſio *nominis*, non examinatio criminis &c. „ Et paullo poſt „ Itaque nec ex illo ex forma malorum judicandorum agitis erga nos, quod ceteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, ſolis Chriſtianis ad negandum. Cum ſi malum eſſet, nos quidem negaremus, vos vero „ confiteri tormentis compelleretis „. Vide cetera, quæ ibidem habet Tertullianus, ſunt enim incredibili vi orationis expreſſa.

Atque ita quidem semper, cum nostri vexarentur, evenisse constat. Quamobrem Dodwellus, qui cum hæc plane cognosceret, tamen involvere, implicareque conatus est, non amore veritatis ductus, sed aut malevolentia incitatus, aut ingenii ostentatione permotus, de martyrum paucitate scripserit, necesse est (1).

§. IV.

De aucto persequutionum caussa numero Christianorum.

QUod autem animadversum a Tertulliano est, *sanguinem martyrum semen* (2) *Christianorum esse*, id quidem semper contigisse, tam est testatum, atque perspicuum, ut qui dubitet, næ is luceat

(1) Johannes Laurentius Moshemius *Hist. Eccl. sec.* I. *Instit. Maj. cap.* v. §. xv. falli eos, scribit, qui sibi persuadent in omnes omnino Christianos *promiscue* fuisse sævitum. Ego vero falli ipsum puto, qui plerumque in *omnes promiscue* fuisse sævitum neget. Namque ut mittam, quæ Eusebius narrat *lib.* VIII. *Hist. cap.* XI. de Christianis omnibus *in urbe quadam Phrygia* religionis caussa exustis, non arbitror eos, quos Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *l.* VI. *c.* XLI. recenset, ullius dignitatis homines fuisse, cum eos sic memoret, quasi sibi essent solo nomine noti. Atque ancillas etiam, plebejosque fuisse cruciatos, atque interfectos ex Actis SS. MM. Lugduonensium, Sanctarumque Perpetuæ, & Felicitatis & Sociorum plane constat. Pontius Diaconus *in Actis S. Cypriani num.* I. apud Ruinartium *pag.* 179. *edit. Veron.* „ Durum erat, inquit, ut cum Majores nostri plebejis, & Catechumenis Martyrium consecutis tantum honorem pro Martyrii ipsius veneratione dederint, ut de passionibus eorum multa, aut prope dixerim prope cuncta descripserint ... Cypriani ... passio prætiretur „. Quod addit Moshemius quæsitos præcipue ad necem Episcopos, Presbyteros, ditesque homines fuisse, verum est, colligiturque ex Eusebio *l.* VIII. *c.* XIII. *pag.* 393. *edit. Cantabrig.* Ex iis autem, quæ hactenus diximus, sequitur, non semper tuto potuisse plebejos martyriis interesse, quamvis aliquando interetant non ipsi solum, sed etiam Presbyteri, Diaconi, & alii etiam, qui opibus præstarent. De numero persecutionum, quas Imperatores concitarint, variæ sunt, discrepantesque virorum doctorum sententiæ. Alii decem, alii plures, alii pauciores numerant. Hadriani Persequutionem alii quartam, alii tertiæ veluti appendicem esse statunt Consule Ruinartium *Præfat. ad Acta MM. Sincera* §. 11I. *n.* 32. Eusebius quartam Marco Antonino tribuit *in Chronico*. Assentiuntur Hieronymus *lib. de Script. Eccl. cap.* XVII. *pag.* 108. *T.* IV. *opp. edit.* Martianæi, & Augustinus *lib.* XVIII. *de Civit. Dei cap.* LII. *pag.* 534. *edit. Paris. Mon. S. Mauri T.* VII. *opp.* & Orosius *lib.* VII. *Hist. c.* V. In vetere Codice Boldejano persecutio Deciana vocatur *quarta*, ut est ab Johanne Fello in *not. ad Cyprian.* animadversum. Cum igitur tanta varietas in eo numero sit, illum ego sequutus sum, qui magis ad meum institutum conducere videretur. Nam sive decem numerandæ, sive XI. sint, modo plures Martyres fuisse constet, parvi interest. De suppliciis Martyrum agam in tertio hujus operis libro: de eorum autem fastis disseram, ubi erit de Martyrologiis, & Dyptichis instituenda oratio. Nunc recensendi sunt, qui de Persequutionibus Commentarios ediderunt. Igitur hoc imprimis exsequuti e nostris sunt Baronias, Pagios, Tillemontius, Ruinartius, locis indicatis, & ii, qui in H. E. Eusebii, & in Lucii Cæcilii librum *de Mortibus Persecutorum Commentarios ediderunt.* E Protestantibus quoque versati in re ea sunt, ut Christianus Kortholtus. *De Persecut. Eccl. Primæv. sub Imperat. Ethnicis.* Johannes Meisneras *Dissert. de Persecutionibus, & Martyriis Christianorum veterum*, Johannes Andreas Quenstadius *Diss. de Persec. Veterum Eccl.* Abrahamus Andreas in διωγμογραφία sacra. Ex Ethnicis (ut est auctor Lactantius *lib.* V. *cap.* XI. *Divin. Instit.*) Domitius (Ulpianus) de Officio Proconsulis *l.* VII. „ Rescripta principum nefaria collegerat, inquit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores Dei profiterentur.

(2) Tertull. *Apolog. cap.* L. *pag.* 436. *edit. Haverc.* „ Nec quidquam tamen proficit exquisitior „ quæque crudelitas vestra: illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est Sanguis Christianorum.

ceat ne sol, an non luceat in meridie dubitare possit. Utque jam prætermittam, quæ de amplificata post persequutiones Neronianam, (1) Domitianeam, atque Trajanam Ecclesia veteres tradiderunt; Justinus Martyr (2), qui Antoninorum temporibus florebat, cum ad Diognetum scriberet, *non vides*, inquit, *quo plures, qui suppliciis afficiuntur, sunt, tanto majorem aliorum esse numerum?* Et paullo ante: *Dum Christiani suppliciis afficiuntur, quotidie numerus eorum crescit*. Similia habet in Dialogo cum Tryphone „ Dum gladio percuti-
„ mur, inquit, dum crucifigimur, dum feris tradimur, & vincu-
„ lis, & igni, & aliis tormentis addicimur, a confessione, ut ma-
„ nifestum est, non discedimus, sed quanto magis magisque talia
„ nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Jesu fideles, & pii
„ fiunt. Eodem etiam spectant, quæ in IV. contra hæreses libro disputat Irenæus (3) Martyr Episcopus Lugdunensium, qui ad Septimii Severi tertium fere annum vitam produxit. Est vero illud singulare, quod sæpe in Actis Sanctorum Martyrum legimus, eos, qui præsto aderant, Ethnicos permotos nostrorum constantia, superstitionem idolorum deseruisse, nostrisque fuisse mysteriis (4) initiatos. Atque ea sane ratione factum est, ut post Decium magna, post Aurelianum vero tanta vis Christianorum, ac multitudo fuerit, ut omnia jam loca occupasse videretur (5). Postremo sublatis Tyrannis ita auctæ res Christianorum fuerunt, ut Idolorum superstitio repressa, paulloque post funditus pene deleta fuerit, ut Parte secunda

(1) Vide quæ dixi supra *pag.* 341. *& seq.* & locum Eusebii supra *pag.* 421. *not.* 5. *& pag.* 409. *& seq. not.* 3.

(2) Justinus Martyr *Epist. ad Diognetum pag.* 498. *edit. an.* 1615. „ Dum Christiani suppliciis afficiuntur, quotidie numerus eorum crescit „. Similia habet in Dialogo cum Tryphone.

(3) *Lib.* IV. *c.* XXXIII. *al.* LXIV. *contra Heres. pag.* 272. *edit. Paris. Monach. S. Mauri* „ Ecclesia,
„ inquit, omni in loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem MULTITUDINEM MARTYRUM in
„ omni tempore præmittit ad Patrem: reliquis autem omnibus non tantum non habentibus... Propter
„ eam, quæ erga Deum est dilectionem, & confessionem Filii ejus, sola Ecclesia quare sustinet, sæpe
„ debilitata, & statim augens membra, & integra fiens. Vide Origenem loco supra indicato. Hinc Prudentius: περὶ στεφάνων v. 85. *Hymn.* IV.

„ Nec furor quisquam sine laude nostrum
„ Cessit, aut clari vacuus cruoris,
„ Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.

Theodoretus *serm.* IX. *qui est de legibus pag.* 127. „ Ac veluti quondam rubus ille, inquit, quem vidit
„ Moses, ardore ignis non est absumtus; Ita nec Christianos impiorum bellis petitos tela hostilia
„ consumserunt: quin potius. Sicut lignatoribus silvam cædentibus multo plures pullulant propagines
„ ab radicibus, quam sint rami, qui inciduntur, ita tunc quoque pliis compluribus interfectis, multo
„ plures quotidie ad doctrinam Evangelicam accedebant &c.

(4) Vide supra *pag.* 410. *n.* 5. *Hist. Palladii Lausiacam cap.* 111. Et Ruinartii Acta Martyrum Sincera &c.

(5) Vide Eusebium *lib.* VII. *Hist. Eccl. cap.* XXVIII. *& seq. & lib.* VIII. *c.* 1. *& seqq.*

da hujusce libri demonstrabitur plane ad veritatem. Neque vero primis Ecclesiæ seculis modo, sed hac etiam ætate hujusmodi exempla cernere interdum licet. Nam ab hinc triennium, cum Petrus Martyr Sansius Ord.Præd.Episcopus Mauricastrensis,qui in Fokiensi Imperii Sinensis Provincia permultos ad Christiana sacra traduxerat, Præsidis sententia gladio percuti deberet, Christiani, qui instituti ab eo fuerant, Ethnicum quemdam etiam, atque etiam obsecrarunt, ut Martyris Sanguinem colligeret, & ad se deferret. Id si fecisset, tantum ei pecuniæ se daturos, quantum ipse petierat, promiserunt. Igitur Petro martyrio functo, ubi ille Ethnicus inde populum secessisse vidit, ad supplicii locum accessit, sanguinemque, ut potuit, collegit, atque ad eos, quibuscum de pretio convenerat, detulit. Post oblitis sanguine manibus domum rediit, ac repente immutatus sanguinem illum viri innocentis, piique esse clamare cœpit. Itaque lambere sanguinem primum, tum suo, inde uxoris, filiorumque capitibus manus imponere, non cessavit, quoad eam, quam Martyr docuisset religionem, amplecti se velle affirmaret, atque in eamdem sententiam uxorem, filiosque induceret. Ex postremis litteris, quæ e Sinis ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide scriptæ sunt, intellexi, eum, ejusque familiam universam esse in ordine Catechumenorum. Consequuti deinde quatuor Martyres ex eodem Ordine sunt, qui tanta constantia tormenta pertulerunt,ut veteribus Christianæ religionis athletis æquari merito possint. Atque hæc de propagata sanguine Martyrum Christiana religione dicta sunto. Quæ sane religionis victoria tanta fuit, ut nostrum quidam hæc verba olim annularibus lapidibus insculpi curarent: *Religio vicisti* (1).

INDEX

(1) Vide ejus lapidis annularis, quem Nicolaus Recchius Episcopus Ripanus vir doctissimus Francisco Equiti Victorio dono dedit, ectypon litteræ initiali *Præfationis nostræ expressum*.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX RERUM.

ABGARUS litteras ad Christum miserit nec ne, Christusque ad Abgarum, res impedita, & omnino dubia. *pag.* 300. *not.* 4.

Acrostichis carmen Sibyllinum magni fieri solebat a Patribus. 55. *not.* 5. Complectebatur voces: *Jesus Christus Dei Filius Salvator*. *Ibid.*

Academici Philosophi. 225.

Aetiani. 106.

Ægyptiorum Sacerdotum instituta quæ fuerint. 46. Ægyptiorum Religio. 226. & *seq.* Sacra partim *propria*, partim *communia* habebant. *Ibid.*

Agabi oracula de fame futura. 8. De Paulo Apostolo ab Judæis capiendo tradendoque Ethnicis 333.

Allegorianum studio Therapeutæ delectabantur. 14. Item Judæi omnes. 49. & Essæi. 203.

Angeli per aera visi tempore, quo Christus natus est. 233.

Angelorum multi initio lapsi peccato fuerunt, alii magno numero fidem erga Deum, pietatemque servarunt. 291.

Annularis lapis duos pisces, & vocem ΙΧΘΥΣ repræsentans. 56.

Annularis onyches naviculam in medio mari fluctibus agitatam, Christum aquis inambulantem, Petrumque ne mergatur, sustinentem, nautasque laborantes exhibens. 261. *not.* 1.

Anthropophagia Christianis objecta. 157.

Antistites quasi in diis ponerent, Christiani accusati. 123.

Antistitum, & Sacerdotum quasi Christiani genitalia colerent, reprehensi. Hujus accusationis caussæ, ac ratio ejusdem repellendæ a Patribus adhibita. 130. & *seq.*

Antoninus Pius Christianos incognita caussa condemnavit. 432.

S. Antonius Cœnobiticæ vitæ Institutor in superiore Ægypto. 42.

Antipæ Galilæa, & Peræa tributa est. 196.

Apollinaris Martyr sub Vespasiano passus fuisse fertur. 414. *not.* 3.

Apollinaris Hierapolitanus M. Aurelii ætate vixit. 371.

Apostoli vocati agni, agnorumque figura expressi. 66. Item Columbæ figura. *Ibid.* & 67.

Apostoli quasi Christo non crediderint, ab eoque defecerint a Celso accusati. 148.

Apostolos solos, quasi essent impurissimis moribus, Christianæ religioni adhæsisse, Celsus mentiebatur. 149.

Apostolorum electio. 240. Eorum nomina. 242. Apostoli in publicum prodeunt prædicatum. 243. In vincula conjecti, atque ab Angelo liberati 302. Gaudent summopere, quod verberibus cæsi fue-

fuerint. 303. Spiritus sancti beneficio linguæ græcæ cognitionem consequuti sunt. 293. *not.* 4. De tempore, quo Apostoli Hierosolymis discesserunt, ut Christianam religionem in Provinciis Ethnicorum propagarent, variæ, interque se diffidentes sunt scriptorum sententiæ. 310. & *seqq.* Vide *not.* 2. 313. Symbolum Apostolicum, antequam separati fuerint, composuerunt. 314. Itinera. Provinciæ, quas lustraverunt. 315. & *seq.*

Aquam calefactam solis radiis sabbato bibebant Judæi. 52.

Archelaus Ethnarca Judææ, Idumææ, & Samariæ. Ethnarchia privatus 10. principatus anno, in exilium in Gallias missus est. 196.

Arduenna Gallorum Dea. 221.

Aretas III. Damasci, & Arabiæ rex. 322. *n.* 4.

Aris quod carerent Christiani accusati. 142.

Arnobius baptismate initiatus postquam libros contra Ethnicos scripsit. 411.

Arrius Antoninus Christianos in Bythinia vexavit, morteque affecit. 427.

Asina populum Hebræum, pullus asinæ Gentes significat. 120. *not.* 5.

Asinini capitis adoratio Christianis objecta. Hujus calumniæ caussæ, ac rationes, quibus eam Patres repulerunt. 119. *seqq.*

Asini simile monstrum inscriptione: Deus Christianorum: ONOKOΙΤΗΣ. *Ibid.* Asinini capitis cultus Judæis etiam objectus. 120. Asini figuram in sarcophagis Christianorum insculpta. *Ibid.*

Assemanus Joseph Simonius laudatus. 300. *n.* 4. 417. *n.* 1.

Atheniensium Ara *Ignoto Deo* dicata fuit, non vero *Ignotis Diis*. Talem Deum rerum omnium conditorem esse Athenienses existimabant. 329. *in not.*

Atheismus Christianis exprobratus. 110. *seq.*

Athei Christiani ab Ethnicis dicti, quod illorum Deos non colerent. 112. Hæc calumnia ubique per Romanum imperium diffusa. 113. summo tamen studio a Christianis propulsata. 114. A Christianis Ethnici Athei appellati. 113. *n.* 1.

Aurelianus Christianorum persecutor. 449.

Aurelius Marcus Christianos vexari, morteque affici permisit. 434. *seq.*

B

Ballarinii fratres laudati. 392. *n.* 1. & 3.

Barchochebas Judæus Christianos gravissime excruciavit. 308. *n.* 1. *in fin.*

Barnabas Apostolus Gentium dictus. Ejus itinera una cum Paulo Apostolo. 305. *seq.* & 323. *seq.* Jupiter dictus a Lystrensibus, quod miraculum patrasset, ut putat Boernerus. 325. *n.* 1.

Bella religionis caussa inter Ægyptios oriebantur. 227.

Benedictus XIV. P. M. laudatur. 290. *in not.*

Bottarius Johannes laudatur 55. *n.* 2. Item 66. *not.* 4. & *not.* 6. & 67. *not.* 1.

n. 1. *in fine*. Item 233. *in not.* 235. *n.* 2. 236. *n.* 1. 239. *n.* 2. 241. *n.* 7. 243. *n.* 2. 254. *in not.* 272. *in not.*

C

CÆci nati, cui Christus videndi facultatem fecit, prodigium in monumentis a veteribus Christianis expressum. 266. *n.* 2. Vide alterum sarcophagum. 282.

Calumniæ adversus Christianos. 110. *usq. ad* 183.

De Cane luminis eversore calumnia. 157. *in not.*

Castitatem qui colerent plerique erant apud Essæos. 51.

Celsus magnus calumniator Christianorum. 116. & alibi sæpe.

Celsi ineptiæ adversum Christianos, 136. *seqq.*

Census indictus ab Augusto. 213.

Ceremoniæ occultæ apud Ethnicos mysteria dicebantur. 223.

Chalcidius Ethnicus fuisse videtur. 234. *n.* 3.

Chiliastæ. 104.

Chresti plerique Ethnici vocari consuescebant. 71.

Christi ortus 231. *seqq.* Illius, ac Josephi nomina in tabulas relata, cum a Cyrino censa Judæorum capita fuerunt. 234. Christi vita 237. & *seqq.* toto §. II. & IV. Baptisma, jejunium 40. dierum, prodigium in Cana Galilææ, aliudque ad Genesarethanum stagnum. 239. *seq.* Hoc prodigium in vetere eburnea tabella a Christianis expressum. 240. *n.* 1. Illius baptisma in nummo æreo, & gemma expressum. 238. *in notis*. Christus Apostolos deligit. 240. Leprosum prodigio curat 241. Servum Centurionis sanat, aliaque prodigia patrat. *Ibid.* Apostolis rationem quemadmodum sese gerere debeant ostendit, futuraque prædicit. 243. Septuaginta duos discipulos designat. Viduæ filium a mortuis excitat. 244. Joh. Baptistam laudat. 245. Cum Pharisæo discumbit, ac mulierem peccatricem a peccatis absolvit. 246. *seq.* Mercatores e templo expellit, & Nicodemo explicat, quid cuique opus ad salutem consequendam sit. 248. Pharisæos increpat. 249. Rationem orandi, & formam precum proponit: *Pater noster*, &c. & Samaritidem mulierem alloquitur. 250. *seq.* *Reguli* filium, aliosque variis morbis vexatos sanat. 252. Pharisæos redarguit. 253. Mare conscendit, Populum propositis parabolis docet. Isaiæ locum de Spiritu ungente Messiam in se completum esse demonstrat. Occultat miraculo se, ne a Nazarenis e jugo montis dejiciatur 256. Paralyticum apud probaticam piscinam sanat. 257. Quinque panibus, duobusque piscibus quinque millia hominum alit. 260. Petrum, quod dubitavit, redarguit. Quocunque morbo laborantes verbo, tactuve vestium suarum sanat. 261. aliis sanitatem reddit. 263. panibus septem, & paucis pisciculis quatuor millia virorum pascit. Ad Scenopegiæ festos dies celebrandos Hierosolyma ascendit. 264. In templo, dum de rebus divinis graviter differit, ut eum capiant, Judæi conantur. 265. Mulierem, quæ adulterii a Scribis, & Pharisæis accusatur, commonefacit, atque efficit, ne lapidetur. Cæcum natum prodigio sanat 266. Petro ligandi, solvendique potesta-

tem dat. 267. Transfiguratur. 268. Dæmoniacum liberum dimittit. Cruciatus, qui sibi imminent, prædicit. 269. Decem leprosos mundat miraculo. Matrimonium non esse solvendum, eique virginitatem præferri oportere affirmat. 270. Quid esset passurus disertis verbis significat. Ib. Tribus cæcis videndi facultatem facit. Ib. seq. Lazarum e mortuis excitat. 271. Hierosolymorum desolationem prædicit. 274. Pascha cum suis discipulis celebrat. 277. In hortum Gethsemani venit. Ib. A militibus comprehenditur. Ad Annam, & Caipham, & Pilatum ducitur. 278. & seq. Flagris cæditur, indignisque modis tractatur 282. seq. In crucem agitur. 283. Patri spiritum alta voce commendat, & reddit. 285. Ejus corpus in novo sepulcro conditur. 286. Tertio die a mortuis Christus resurgit; ac quadragesimo a sua restitutione in cælum ascendit. 287. seq.

Christus flagris non fuit cæsus eo consilio, ut indicaretur, eum cruci affigi oportere. 282. n. 3. Item a pluribus lictoribus fuit cæsus. Ibid. Multis item vapulavit, contra ac Serrius defendit. Ibid.

Christi pullo asinæ insidentis Hierosolymam ingressus in sarcophagis sæpe exhibitus 274. n. 1. Vide 282. ubi in sarcophago res eadem exhibetur.

Christus medius inter Petrum, & Paulum monticulo insistens, e quo flumina quatuor paradisi egrediuntur in eodem sarcophago cernitur. Item inter lictores. Ibid.

Christus *piscis* symbolo denotatur. 55. seq. Item agni figura exprimitur. 66. n. 1.

Christus vocatus Deus *carnigerus* 63. n. 4. Dictus ab Ethnicis Chrestus. 70. & not. 2. ib. & 95. Item sophista. 82.

De Christo homine, & Deo, atque æquali Patri primorum Christianorum doctrina. 125. Christus partu illegitimo natus non est. 145. n. 4.

Christiani duobus nominum generibus appellari olim solebant. Unum genus est eorum, quibus sese honoris caussa appellabant, ab aliisque secernebant. Alterum est plenum probri, & contumeliæ, quo vel Ethnici, vel Hæretici abutebantur, ut Orthodoxorum invidiam inflammarent. 1. Ex utriusque generis nominum explicatione non minimæ utilitates existunt. 2. Christiani honoris caussa appellabantur discipuli, fideles vel credentes, fideles ex fidelibus. 2. & 3. Item electi, sancti, sanctificati, fratres, conservi. 4. 5. & seqq. Pisciculi, & Piscis filii. 54. 56. Gnostici. 57. Deiferi, Christiferi, Spiritiferi, Sanctiferi, Templiferi. 60. seqq. Adolescentuli, Agnelli, Agni, Oves. 65. & in not. 3. & 5. Vituli, lactentes; Columbæ e Columba, pulli Columbarum, & Gallinarum; Infantes; Filii Dei, Filii Christi, & Filii Altissimi; veri Israelitæ; novus, & nascens Populus. 66. & seqq. Item pueri 68. n. 6. Lac comedentes. 69. n. 3. Item Christi, Chrestiani, Catholici, Ecclesiastici, Dogmatici, Orthodoxi. 70. usq. ad 74.

Christiani a Luca vocati Hellenistæ qui fuerint. 76. seqq.

Chri-

Christiani ob contumeliam vocati Athei, 79. Magi, Malefici. 80. Præstigiatores *Ibid.* Græci, & Impostores 81. Sophistæ 82. Seductores. *ibid.* Item homines superstitionis novæ, pravæ, immodicæ, maleficæ, & exitiabilis. 83. Barbari, Mali Dæmones. 84. Desperati, Parabolarii, Parabolani, Sarmentitii, & Semaxii. 85. *seqq.* Biathanati, & Biæothanati. 87. Hebetes, stolidi, obtusi, rudes, idiotæ, indocti, impoliti, inepti, agrestes, miseri, fatui, obstinati, & deploratæ, perditæ, atque inlicitæ factionis. 88. Plebei, seminudi, illiterati, vani, pauperes, de ultima fæce collecti. *Ibid in notis.* Lucifuga natio, ac latebrosa; & muta in publico, in angulis garrula. Plautina Prosapia, & Pistores. Cerdones. Asinarii, & Asinicolæ 89. *seqq.* Extranei, factiosi, impii, sacrilegi, profani, rei læsæ religionis, vani, hostes generis humani, Principum, Publici, Rei Majestatis, homicidæ, incestuosi, pessimi, sceleratissimi, & rei omnium scelerum. Infructuosi in negotiis, Christempori, Sibyllistæ. 91. *seqq.* Judæi 94. *seqq.* Galilæi 97. *seq.* Nazaræi. 100. *seq.*

Christiani appellati ab Hæreticis Psychici, Mundani, Carnales, Seculares, Allegoristæ, Simplices, Corneliani, Apostatæ, Synedriani, Capitolini, Eustathiani, Pauliniani, Homousiani, Athanasiani, Chronitæ, Anthropolatræ, Philosarchæ, Pelosiotæ, Lutei, Carnei, Animales, Jumenta, Cyrilliani, Nestoriani. 102. *seqq.*

Christiani numquam nominati *Jessæi* fuerunt. 11. *seq.* Apud eos in usu erat, ut qui magno natu essent, hi *minores*, *filios*, qui minores, hi *senes*, *patres*; qui pares ætate essent, hi æquales suos *fratres* appellarent. 6. Horum qui in Ægypto erant, & Judæi Hellenistæ non hebraica in divinis Officiis Sacrorum Bibliorum editione, sed versione LXX. Interpretum utebantur. 20. Iisdem vetitum ne carmina Sibyllina, Histaspis, & Prophetarum libros legerent. 94. *n.* 4.

Christiani a Claudio Roma pulsi. 95. Alebant pauperes etiam Ethnicos. 99. *n.* 1. Nomina sectaria, & humanas appellationes aversabantur. 109.

Christianorum appellatio primum Antiochiæ usurpari cœpit. 7. *seq.* Sic omnes appellati ad vitandas dissensiones, quæ ex nominum diversitate oriri poterant. 9. Dicti a Christo. *Ibid.* Eorum nomen a chrismate deducendum. *Ibid.* & 10. Eodem nomine ii soli digni censentur, qui Orthodoxam colunt religionem. 10. Eorum plurimi a Neronis ad Trajani ætatem floruerunt. 341. & *seqq* Ethnicorum testimonia id suadent. 342. *seq.* Item Christianorum veterum scriptorum auctoritas. 343. & *seq.* Argumenta, quæ Vitringa ut suam de paucitate ejus temporis Christianorum opinionem probet, solvuntur. 345. & *seqq.*

Christiani plurimi M. Aurelii ætate fuerunt. 369. Eorum maximus ubique gentium numerus. 164. Omnia deserere, quam sacrificiis, aliisque superstitionibus se inquinare, consuescebant. 174. *seq.* Rem divi-

divinam facturi noctu conveniebant. 175. Etsi non voce, re tamen Christiani fuerunt, qui ab initio mundi pie, sancteque vixerunt. 230.

Christiani a Judæis vexati Hierosolymis abscedunt. 295. Eos pleraque falsa de Christo scripsisse, Celsus calumniabatur. 146. Item adhæsisse eos Christo, antequam de illius doctrina cognossent. 147. Accusati quod occultarent id quod adorarent. 132. Eorum societas vocata fraternitas. 5. Religio vocata *Dogma*. 73. & 74. *n*. 1. Ab Judæis, & Ethnicis secta *Athea*, & *Exlex*: 81. *n*. 4. Item Superstitio nova, prava, immodica, exitiabilis, malefica; barbara audacia, peregrina religio. 83. *& seq.* *& in notis*.

Christianæ religioni ne omnes nomen darent, Christianos curasse Celsus mentiebatur. 146. Eadem religio ne factio quidem licita dici poterat. 162. Ejus veritas contumeliosis nominibus, & calumniis Ethnicorum confirmata est. 184. Item argumento e resurrectione Christi deducto. 287. *not*. 2. Illius propagationi contulit pax orbis Romani, viarumque publicarum promotio. 214. *seq.* Illius origo, & propagatio in Palæstina cum Christus inter homines ageret. 230. *seqq.* Illius propagatio in Palæstina post ascensum Christi in cælum. 293. *& seqq.* Ejusdem propagatio mortuis Apostolis. 338. *& seqq* Hujus propagatio ex miraculis, rerumque futurarum præsensione, atque visis. 409.

Christianismi primitiæ pastores Bethleemitæ fuerunt. 233.

Ciampinus laudatur. 66. *not*. 6. in fine.

De Circulis inclusis circulis calumnia adversus Christianos. 136.

Claudus a Petro Christi virtute sanatus. 295.

Clementis Rom. Pontificis epistola ad Corinthios non ante martyrium SS. Apost. Petri, & Pauli, neque post Domitiani interitum perscripta est. 343. *n*. 3. In ea magnæ multitudinis Christianorum mentio fit. *Ibid.*

Cœlibatus apud Christianos. 158. *not*. 6.

Columbæ etymon. 66.

Columbæ figura in sepulcris, in sacellis, in annulis, in lucernis plerumque expressa. *Ibid. in notis*.

Columbæ duodecim in cruce musivo opere elaborata, quæ Apostolos denotant. 67.

Columba e rogo Polycarpi Ep. & Mart. aromaticum odorem exhalans, evolavit. 364.

Conjurationis suspecti Christiani habiti, quod ante lucem convenirent. 175.

Constantinus Magnus crucem in aere vidit, litterasque, quæ indicarent, esse illi ejusmodi signo vincendum. 390. Eam in Galliis vidit. 391. *not*. 1. & 392. *n*. 1. Illius imperii tempore ubique propagata Christiana religio. 456.

Conventus noctu agere lege Romanorum vetitum erat. 176.

Conviviis quod non adessent Christiani accusati. 181.

Convivia sobria, & pudica Christianis erant. *Ibid.* Ethnicorum plena luxus,

luxus, superstitionis, & obscœnitatum. *Ibid.*
Corazin, seu Corozaim vox non est dividenda in .ὡρα ζιν. 245. *n.* 1.
Cornelius Centurio erat Proselytus portæ. 299. *n.* 2. Italicæ cohortis Centurio erat, quemadmodum Baronius explicat. *Ibib. not.* 3.
Corpora mortuorum quod non cremarent Christiani accusati. 182.
Cruces Christiani colebant ab initio fere Ecclesiæ. 129.
Crucibus cultum, qui non in lignum desineret, sed in Christum referretur, Christiani adhibebant. 127. *in notis*. Crucibus divinum cultum adhiberi a Christianis Ethnici pugnabant. *Ibid.* Caussæ hujus accusationis. *Ibid. seq.*
Crucifixos omnes a Christianis coli nonnulli pagani putabant, 126.
Crucis supplicio plectendi flagris cædi primum consuerant. 282.
Crucis signum a Constantino M. in aere visum. 390. Hoc signo victoriam contra Maxentium ille Imperator reportavit. 391. Prodigio, non vi naturæ in aere apparuit. 393.

D

DÆmonum præstigias præsentia, aspectuque suo Christiani disturbabant. 389.
Decius Christianorum crudelis persecutor. 444. *seq.*
Dei loco haberi non posse, qui rebus omnibus non prospiceret, Philosophi magni nominis dicebant. 129.
Deorum colendorum apud Ethnicos discrepans, ridicula, obscœna &c. ratio. 222.
Deum Christianorum inquietum, molestum, & impudenter curiosum Ethnici nonnulli censebant. 129.
Deum modo eumdem cum Judæis, modo alium, quasi venerarentur, Christiani accusati. 117.
Deum mundi conditorem quasi malum esse existimarent Christiani accusati. 116.
Διακονούμενοι *diaconi* generatim dicebantur, qui mensis ministrabant. 51.
Diaconorum septem electio. 296.
Diagrammate superstitioso Christianos usos fuisse Celsus mentiebatur. 134. *seq.* Illius descriptio. 135. *& seq.*
Dii nationum variorum erant generum, 221. Dii peregrini Romanis nominibus a Romanis appellabantur. 220.
Diocletianus initio imperii nihil adversus Christianos egit. Postea acerbissime, longoque temporis spatio in eos sæviit. 450. Caussæ cur furere in nostros cœpit. *Ib. & seqq.*
Dissensionum quasi essent auctores Christiani accusati. 161.
Divinis de rebus indigni, qui disputarent Christiani judicati. 175.
Divinitatis, ac propheticæ virtutis Christi; insigne testimonium. 274. *not.* 3.
Divitiæ contemptæ ab Ægyptiorum Sacerdotibus, & Samanæis Indorum. 45.
Divitum de salute quod male senserint Christiani accusati. 153.
Doctrina Christianorum non contraria administrandæ Reipub. rationi. 168. *& seqq.*
Doctrina religionis, ac morum, quam Christus Apostolos instituit, quamque

que ut ubique gentium prædicarent, jussit. 290. *seqq.*
Dodwelli sententia de paucitate martyrum refellitur, §. 11. de persequutionibus sub Imperatoribus. 417. & *seqq.* & §. III. 459. & *seq.*
Dominicum diem nunquam septimum Christiani dicebant. 43.
Domitianus *Nero* dictus, *portio Neronis, non minor Tyrannus*, & *successor Neronianæ* impietatis. Christianos acerbissime vexavit. 420. & *seq.*
Dositheus qua ætate vixerit, incertum est. 9. *n.* 1.

E

Ecclesia *Catbolica* dicta est, quod sit rationalis, & ubique diffusa. 73. *not.* 2. Catholica vocata a Luciferianis lupanar, & synagoga Antichristi, & Satanæ. 108.
Episcopi Orthodoxi vocati a Manicheis *Magistri simplicium*. 104.
Episcopos primum capere, eosque cogere, ut sacrificarent, Ethnici solebant. 141. *n.* 1.
Episcopus nullus Alexandrinorum ante Hadrianum, temporeque Hadriani Serapidi sacrificavit. *Ib.*
Ephemerevtæ apud Therapevtas. 14.
Essæorum dogmata, & mores. 202. & *seq.*
Ethnicorum universæ religioni nullum inerat ad virtutem incitamentum. 223.
Ethnicorum primi, qui Christianæ religioni nomen darent. 299.
Evangelium nemo Ægytiis prædicavit ante Marci Evangelistæ in Ægyptum adventum. 19.
Eunuchi prædicatio in Æthiopia incerta omnino est. 30.
Eunuchus Candacis Reginæ a Philippo diacono baptismo initiatur. 298. Is antea Ethnicus non erat. *Ibid. not.* 1.
Exhomologesin prioribus sæculis Christiani pœnitentes facientes, se coram Antistite, aut sacerdote prosternebant. 131.

F

Factionum illicitarum auctores Christiani existimati. 162.
Fames prædicta ab Agabo Propheta. 8.
Festis publicis quod non interessent Christiani accusati. 142. His Christiani non intererant, quod pleraque contraria religioni continerent. *Ibid.*
Filium antelatum a Christianis fuisse Patri Celsus mentiebatur. 138.
Filium, idem dicebat, a Satana fuisse superatum, molestiaque affectum Christianorum sententia. *Ibid.*
Filium, Hæretici, quidam Patri anteferebant. 138.
Flavius Clemens, cum consul fuisset, a Domitiano, religionis caussa, fuit capitis condemnatus. 354. *n.* 1. Capsulæ, in qua ejus ossa continebantur, inscriptio. Hujus explicatio traditur ab Josepho Augustino Orsio Ord. Præd. S. P. A. M. *Ibid.* & *seq.*
Fogginius Petrus Franciscus laudatur. 35. *not.* 2. 54. *not.* 3. 95. *n.* 6. 240. *not.* 1. 311. *not.* 4. 316. *not.* 11. 319. *not.* 1. & *n.* 5. in fine 321. *not.* 4.
Fratres a Christianis appellabantur etiam Ethnici, & qui a nostris sacris erant alieni. 6.

Ga-

G

Galerius Maximianus dolis Diocletianum induxit, ut in Christianos animadverteret. 451. *seq.* Illos acerbe vexavit. 453.
E Galilæa etiam prodibant Prophetæ. 110. *n.* 4. in fine
Galilæi quidam inter Hæreticos Judæorum numerati 100. *n.* 2.
Galilæorum secta. 203.
Galilæus demens: proverbium Judæorum. 110. *n.* 4.
Gallus rostri loco virilia gerens. 130.
Galli, & Petri figura in sacrophagis expressa. 278. *n.* 2.
Gallorum, & Germanorum, reliquorumque Septentrionalium populorum superstitio, & mores. 228.
Gallus Cæsar in Clerum Romanum, & alias Ecclesias sæviit. 447.
Gnostici Hæretici quidam fuerunt. 58. & 59. & *Ib. n.* 3. Gnosticorum hæreticorum alii dicebant, Sabaothum asini formam habere, alii suis. Monstra quædam etiam in amuletis exprimebant. 121. & *Ib. n.* 2.
Gnostici solum Ascetæ aliquando dicti. 58. Gnostici quare appellati Christiani. 57. *& seq.* Hujus vocis origo. 58. *& seq.*
Gnosticon liber. *Ib.*
Γνώσεως *cognitionis* explicationes. 57. *n.* 2. & *seqq.*
Gnosticus est Deifer. 62. & *n.* 3.
Gorius Anton. Franc. laudatus. 210. *in not.*
Græci *palliati* dicti sunt. 81.

H

Hadrianus in Christianos sæviit 429. *seq.* Edicta nulla adversus eos promulgavit. *Ibid.* Judæos, qui urbem Hierosolymam, templumque restituere volebant, repressit. 309. *not.* 1.
Hæretici hujus ætatis imitatores Ethnicorum, quod Apostolos pleraque a Platone accepisse defendant. 153.
Havercampius refellitur. 127. *not.* 4. in fine.
Hellenistæ a Luca Act. c. XI. memorati fuerunt Christiani, qui antequam nostris sacris essent initiati, vel Proselyti justitiæ ex Græcis, vel Proselyti Portæ, vel Ethnici Græci fuerunt. Cap. autem VI. memorati, *fuerunt* Proselyti justitiæ ex Græcis. 76. *& seqq.*
Hellenistarum adversus Judæos conquestiones, quod hi nullam in distribuendis rebus, quæ ad victum, vestitumque pertinent, viduarum Hellenistarum haberent rationem. 295.
Hemerobaptistarum secta. 203.
Hermæ *Pastor* ante commotam in Christianos a Domitiano tempestatem, vivoque Clemente Romano Pontifice perscriptus est. 344.
Herodes Idumæus ethnicis moribus vivebat. 194. *seq.* Regnum Judaicum auxiliis Romanorum occupavit 192. Amphitheatrum extruxit, ludosque instituit. Theatrum Cæsaris trophæis ornavit. Cæsari templa fecit, & statuas dicavit. 195. Synedrium pene abstulit. In Pontifices maximos sæviit &c. Magnus appellatus est. *Ibid.* Biennio post quam Christus est natus, obiit. *Ibid.* Alienigena erat. 194. *n.* 2.
Herodes biennio fere post, quam stella Magis apparuerat in infantes Bethleemitas animadvertit. 236.
Herodes Tetrarcha num Johannes Baptista

Baptista a mortuis excitatus sit, dubitat. 259.
Herodes Agrippa Jacobum fratrem Joh. Evang. capitis condemnat. 305.
Herodianorum secta. 203. & *Ibid. not.* 4.
Hominem cruci affixum quia adorarent Christiani accusati. 123. *seq.*
Hora, qua Christus cruci fuit affixus. De ea variae virorum eruditorum sententiae, ut Marcum cum Johanne componant. 284. *in not.*
Hostes generis humani Christiani habiti. 164.
Hydriae sex in lapidibus, picturisque a veteribus Christianis expressae. 239. *not.* 2.
Hymenaei, & Phileti haeresis vivo Apostolo Paulo nata est. 358.
Hymnorum cantus apud Therapeutas, Brachmanas, aliosque. 49.

I

JAcobus Minor Apostolus Hierosolymitanae Ecclesiae ab Apostolis praefectus, 296.
Jacobus Joh. Evangelistae frater ab Herode Agrippa capitis condemnatus. 305.
Jani Quirini templum ter Oct. Augustus clausit. 209.
Jechonias non sine liberis decessit. 191. *n.* 3.
Jesus non idem sonat ac *medicus*. 12. Ea vox significat *Salvatorem*. *Ibid.*
S. Ignatius Martyr Christum non vidit. Cur vocatus Theophorus. 61. *& seq.*
Incestuosi concubitus Christianis objecti. 157.
Infanticidium Christianis objectum. *Ibid.*
Innocentia, ac modestia notae Christianorum. 179.
Inscriptio vetus graece conscripta, in qua quidam Zosimus *Fidelis ex Fidelibus* appellatur. 3.
De Interfectis multis ut vivant calumnia in Christianos. 137.
Inutilitas Christianis objecta. 166.
Johannes Bapt. duos ad Christum discipulos quaesitum, is ne esset Messias, mittit. 245. Postquam testificatus est, Christum esse Messiam, non haesitavit. 244. *not.* 6. Illius mentionem fecit Josephus. 259. *not.* 2.
Jonas Galilaeus erat. 100. *n.* 4. in fine.
Jonas Christi figura. 254. *in not.*
Jonas in pictis tabulis, in sculptis sarcophagis, in lucernis, vitrisque expressus. 253. *seq. in notis.*
Josephus Hebraeus Archaeologiam scripsit, cum Romae ageret. Erat Historicus adulator. Oracula Prophetarum in Vespasiano exitum habuisse mentitus est. 28. Illius de Christo testimonium genuinum est. 289. *seq. in not.*
Judas Iscariotes cum Principibus Sacerdotum pactum init, Christum in eorum manus tradendi. 276. Suum collum laqueo suspendit, 280.
Judaeorum primis Ecclesiae seculis in Christianos saevitia. 302. *& seqq.* Qui Suetonio, Rutilio, & Arriano memorati non alii erant, quam Christiani. 95. *seqq.* Judaei Perverse de Galilaeis sentiebant, atque ob eam caussam Christianos *Galilaeos* appellabant. 97. Legatos ad omnes gentes, quas poterant miserunt, qui nostram religionem atheismi accusarent. 110. Eorum Respublica cujusmodi esse debuerit quo tempore Christus inter homines versabatur. 189. *seqq.* Transvectiones

Babylona sex circiter fuerunt. 190. *n.* 1. Reipublicæ status civilis quo tempore Christus mortalem hanc vitam agebat. 194. *seqq. toto* §. II. Religionis status, quo tempore inter homines Christus vivebat. 199. *seqq. toto* §. 3. Dediti superstitionibus. 199. Eorum genera tria. 200. Minores sectæ. 203. Consilia adversus Christum. 272. *seq.* 275. *seq.*

Julianus Imperator Christianos ludibrio Galilæos appellavit. 99. gravissime in Christianos sæviit. 456. *seq.*

Julius Africanus nullam mentionem facit cognominum, quæ *ab aliquibus scriptoribus* Christo attribuuntur. 145. *n.* 1. in fine.

Juramentum militum per salutem perque majestatem Imperatoris vetitum Christianis non erat. 372. *not.* 4.

ΙΧΘΥΣ vocis symbolica significatio. In sepulcris ea vox insculpta. 55. Item in annulari lapide. 56. & in gemma. 428.

K

Karaitarum secta. 204.

L

Lamius Bernardus laudatus. 195. *n.* 12. 246. *n.* 3. 249. *n.* 1. & 3. 257. *n.* 2.

Langii sententia de Therapeutis refellitur. 53.

Latrones cum Christo crucibus affixi. 284.

Lazarus a Christo ad vitam revocatus in sarcophagis, picturisque veterum Christianorum expressus. 272. *n.* 1. Item in fundis vitreorum vasculorum. 273. *in not.* Vide etiam alterum sacrophagum. 282.

Legem veterem quod negligerent Christiani accusati. 148.

Legionis fulminatricis prodigium. 364. Dissensio novorum Scriptorum de eo miraculo. 365. Illud precibus Christianorum militum tribuendum est. *Ibid. seq.* Eorum, qui contra sentiunt, rationes proponuntur. 367. *seq.* Solvuntur. 368. & *seqq.* Quare ea legio Metilinensis dicta est. 374.

Libertini ex Libertis nati fuisse videntur. 304. *n.* 3.

Libros sacros vitiari a Christianis, Celsi calumnia. 146.

Licinius in omnes Christianos, qui in ejus potestatem venerunt, crudeliter egit. 455.

Ligno vitæ calumnia in Christianos. 137.

Lugdunenses, atque Viennenses Christiani percussi caussa religionis. 436.

M

Magia Christianis objecta. 154. Magorum ex Oriente Hierosolymam Christum adoratum adventus. 234. *seq.*

Magi primi Ethnicorum, qui ad nostra sacra accederent. 236.

Magorum adventus exhibetur in nummo. 211. fig. III. & in sarcophago. 282.

Magi, homines qui præstigiis studerent, in Marci Antonini exercitu nulli fuerunt. 366. *n.* 2.

Magistratu primis temporibus Christiani fungebantur 162. *n.* 2.

Malorum omnium, atque ærumnarum caussæ Christiani habiti. 178. *seq.*

Malum pro malo reddendum non esse etiam

etiam Ethnici Philosophi sentiebant. 168.
Manichæi. 104.
Marcus Evangelista primus omnium in Ægypto Evangelium promulgavit. 19. & 29.
Maria Christum in præsepi parit. 232. Christi mortem multis lacrimis lamentatur. 284. Adulteram eam fuisse Celsus affirmabat. 144.
Mariam Magdalenam eamdem fuisse ac peccatricem Bernardus Lamius defendit, alii contra sentiunt. 246. n. 3.
Martham juxta Lazari sepulcrum lugentem in marmoribus, picturisque Christiani veteres repræsentarunt. 271. n. 3. Eadem flens coram Christo, hujusque manum exosculans cernitur in altero sarcophago exhibito. 282.
Martyrum maxima multitudo quatuor primis Ecclesiæ seculis 414. & seqq. & 459. & seqq.
Martyres non nisi post gravissimos cruciatus cædi consuescebant, eorumque vulnera curabantur, ut facilius ferre nova tormenta possent. 446.
Martyrum tantum sanguis in vitreis vasculis ponebatur. 462. seq. & ib. in not. Verum fuisse sanguinem in his vasculis ipse Leibnitius post experimentum confessus est. 465.
Martyrum corpora unguentis cum aromatibus Christiani oblinebant. 178.
Martyres mori velle Ethnici putabant, ut eorum cadavera unguentis oblita sepelirentur. Ib.
Martyrum primitiæ fuerunt infantes Bethleemitæ Herodis jussu interempti. 236. Martyrum pene innumerabilis multitudo in Perside sub Sapore rege. 417.
Martyrum nomina non semper scribebantur. 468. Eorum acta permulta perierunt. 469.
Maximinus Christianorum persequutor. 453. Maximinus primo in Episcopos, postea in alios Christianos animadvertit. 443.
Melita Insula, per quam Paulus Apost. transiit, Africana est, non Illiricana. 336. n. 4.
Messiæ præstolatio ex iis, quæ contigerunt paullo ante, quam Christus nasceretur. 193.
Messiam qualem Judæi expectarent. 200.
Militiam Patres non reprobarunt, eique Christiani priorum seculorum studebant. 370. seq. Milites Christiani nihil in Christum injuriose egerunt, cum militiæ nomen in Romano exercitu, Diocletiano Imp., darent. 372. n. 2.
Miraculorum donum semper vigebit in Ecclesia 393. Vide n. 2. Ib.
Miracula a Christianis patrata non incantatione, sed invocato Jesu nomine, recitatisque Evangeliis. 155.
Miracula a Deo per Apostolos patrata. 295. Vide vocem. *Prodigia*.
Monachi primo, alteroque Ecclesiæ seculo nulli fuerunt. 39. & 42.
Monachi Nitrienses longe aberant a Therapevtarum superstitione. Illorum Institutor Amon. 48.
Monelia Thomas Ord. Præd. laudatus. 195. n. 12. 234. n. 3. 237. n. 3. 248. n. 3. 276. n. 3. 376. n. 3.
Monophysitæ. 108.
Monstra plurima Ethnici dedicabant. 122.

Mon-

Montanistæ. 102.
Montfauconi de Therapeutis opinio refellitur. 20. & *seqq.*
Mortis Christi tempore multa prodigia contigerunt. 285. Tenebræ non uni Judææ Provinciæ, ut aliqui putant, sed universo terrarum orbi fuerunt obductæ. *Ib. n.* 2. Has tenebras ab Eclipsi, quæ sub Tiberio contigit, minime differre plerique censent. *Ibid.*
Mortuos quod non coronarent Christiani accusati. 182.
Moses e rupe aquam prodigio educens, legisque volumina exhibens cernitur in altero sarcophago. 282.
Mulieres Christum sequebantur, eique ad victum necessaria suppeditabant. 249. Vide *ib. n.* 3.
Multiplicationis quinque panum, & duorum piscium prodigium Christiani in lapidibus, & picturis expresserunt. 260. *n.* 2. Item multiplicationem panum septem, & paucorum pisciculorum. 264. *n.* 2.
Mundum a Deo manibus fuisse conditum, Christianorum sententia, ut Celsus dictitabat. 139.
Mundus una omnium Respub. Christianis erat 162.
Mysteria secretiora nostræ religionis Ethnicis occultata. 132.

N

NArcissus dono miraculorum illustris aquam in oleum convertit. 388.
Naturam divinam unam inesse personis tribus, Christumque verum Deum esse, æqualemque Patri primi etiam Christiani agnoverunt. 125.
Nazaræorum nomen non æquo animo Christiani ferebant. 101.
Nazaræi etiam vocati sunt, qui Mosaicæ legis cultores erant. 102.
Nazaræi hæretici. *Ibid.*
Nero Imp. Urbem incendit. Suppliciis exquisitissimis Christianos cruciari jussit. Ei spectaculo suos hortos obtulit. 417. *seqq.*
Nestoriani. 107.
Nicodemus turbæ, Christique defensionem suscipit. 265.
Nomen Christianum in caussa erat, cur Ethnici in nos sævirent. 172.
Notis occultis, quibus sese Christiani cognoscerent, usos illos fuisse Ethnici calumniabantur 178.
Novatiani 105.

O

OBstinatio Christianis objecta. 173.
Octaviani Cæsaris Augusti studium, ut imperio libere potiretur. 207.
Odium in Imperatores Christianis objectum. 165.
Ophiani, quorum Irenæus meminit diversi ab Ophianis, de quibus loquitur Origenes. 134. *n.* 6. Ophiani quid de Christo sentirent. *Ibid.*
Ophitæ malum esse mundi conditorem Deum censebant. 116.
Ophitæ seu Ophiani quorumdam superstitiosorum signorum genere delectabantur 134.
Orabant Christiani pro Imperatoribus, pro ministris, pro omnibus. 163. & 165.
Oracula, & ostenta, quæ in aris, templisque Ethnicorum patrabanttur, partim dolis, artibusque Sacerdotum, partim malorum dæmonum præstigiis perficiebantur. 411. *seq.* & in notis.
Origenistæ. 106.
Orsius Joseph Augustinus Ord. Præ-

dic. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter laudatur. 17. 301. n. 1. 320. n. 5. 330. n. 2. 335. in notis. 381. n. 3. 397. 407. n. 2. 439. n. 6.

Oſculabantur ſe mutuo Chriſtiani in Synaxi. 157.

Oſculum etiam cogitatione paullulum inquinatum privat æterna vita. 159.

P.

PAlæſtinæ regnum diviſum in partes tres, tribuſque Herodis filiis diſtributum. 196.

Paralyticus grabatum bajulans in perpluribus monumentis cœmeterialibus exhibetur. 258. n. 1.

Paralyticus a Petro ſanatus. 298.

Paſcha primum, poſtquam baptizatus eſt, a Chriſto celebratum an. 28. æræ vulg. 247. n. 1.

Paſchata quatuor, poſtquam Evangelium prædicare cœpit, Chriſtus non celebravit. 257. n. 2.

Patuzzius Joh. Franciſcus Ord. Prædicat. laudatus. 291. n. 5.

Paulus Apoſtolus Gentium dictus, quemadmodum & Barnabas. 305. Horum itinera. Ib. ſeq. & 323. Civis Romanus fuit quod ejus majores a Romanis ob rem aliquando pro Rep. bene geſtam dicti cives fuerint 304. n. 7. Pauli itinera 316. & ſeqq. in Arabiam fugit, ibique fere triennium ſe continet; poſteaque Hieroſoylmam, deinde Cæſaream, Tharſum, & Antiochiam, aliaſque urbes peragrat, plurimoſque baptiſmate initiat. 322. & ſeqq. Lyſtræ claudum ſanat, atque ob eam cauſſam Sacerdos Jovis Paulo, ac Barnabæ rem divinam facere conatur. Ibid. Præsbyteros, qui Eccleſias adminiſtrarent, conſtituit. 325. Hebræorum contentionem de ceremoniis legis obſervandis, litteris acceptis ab Apoſtolis, dirimit. Lucam Evangeliſtam ſocium ſibi adlegit, 326. Paulus Apoſt. in Arabia dedit diligentem operam ut multos ad Chriſti fidem perduceret. 322. n. 6. Paulus Mercurius dictus a Lyſtrenſibus, quod ceu interpres Barnabæ habitus fuerit. Ita Boernerus cenſet. 325. n. 1. Pauli Epiſtola Coloſſenſibus, qui ad Lycum amnem degebant, non Rhodiis inſcripta. 326. n. 4. Lydiam purpurariam ad Chriſtiana ſacra perducit. Puellam quæ a dæmone vexata divinabat, ſanat. Ianitorem carceris una cum ſua familia baptizat. 327. Athenas venit, ſermonemque cum illius civitatis incolis de Deo uno, de Chriſto &c. habet, argumento ab inſcriptione, quam ibi repererat, Ignoto Deo, deducto. 328. ſeq. Corinthum, Epheſum aliaſque urbes petit. Epheſi diſcipulos, qui ſpiritum ſanctum ignorabant, docet; in ſynagogam ſtatis diebus ſe confert, multiſque, ut ad Chriſtianam religionem accedant, auctor eſt. In domo Tyranni cujuſdam biennium in enuncianda Chriſtiana religione conſumit, pluraque prodigia patrat. Demetrii cujuſdam argentarii ſcelere in Paulum, & in Eccleſiam magna tempeſtas commovetur. 330. ſeq. Quamplurimis urbibus peragratis, Hieroſolymam pervenit. 332. ſeq. Iudæorum invidia rurſum flagris cædendus traditur; quod civis Romanus eſſet. Os illi percutitur. A militibus noctu Cæſaream ducitur. Accuſatus ſuam per

per se caussam defendit. Cæsarem appellat. 334. seq. A festo Romam ad Cæsarem mittitur. Ad Melitam insulam naufragium facit, atque a Publio hospitio receptus, ejus patrem prodigio sanat. Romam pervenit, ibique plures ad Christiana sacra perducit; ac tandem a Nerone capitis condemnatur. 336. & seq Paulus ereptus ex ore leonis, qui neque Nero esset, neque Cæsareanus, sed leo bellua. 338. n. 3. Paulus duobus annis Romæ degit, Christianamque disciplinam tunc temporis docuit. 346.

Pax toto orbe Romano obtinuit, cum natus est Christus. 200. seqq.

Pax Ecclesiæ a Gallieno restituta. 448.

Peripateticorum decreta 225.

SS. Perpetua, & Felicitas Montanismo non studuerunt. 398.

Persarum religio 227. Eorum dii Mithra, Oromasdes, & Arimanius. Hic boni, ille mali origo. Ib.

Persequutio Iudæorum in Christianos primis Ecclesiæ seculis 302. & seqq.

Persequutiones, quibus Ecclesia quatuor primis seculis vexata ab Ethnicis est. 414. & seqq. Persequutiones excitatæ plebis tumultu, Vespasiano Imperatore. Item in Galliis, in Asia sub Commodo Imperante. In Perside. 414. seqq. Persequutiones edictis Imperatorum adversus Christianos concitatæ. 417. seq. Neroniana, quæ etiam in Provinciis sæviit. Ib. seqq. Domitianea universalis fuit, ac diuturnior, quam Dodwellus censet. 420. seq. Trajana universalis. 426. seq. Hadriana gravissima, in provinciis etiam sæviit. 429. seq. Antoniniana diuturna; neque Urbe tantum contenta. 431. seq. Aureliana 434. seq. Severiana in omnes Ecclesias. 438. seq. Maximiniana præcipue adversus Episcopos 443. seq. Deciana universalis. 444. seq. Galli persequutio etsi non diuturna, tamen gravis. 447. Valeriani sævitia in Christianos; item Aureliani. 448. seq. Diocletianea diuturna, atque acerbissima 450. seq Galerii item, & Maximiani sævitia in Christianos. 451. seq. Item Licinii 455. seq. Iuliani persequutio gravissima. 456. seqq.

Petrus Apostolus Christum ter negat, moxque facinus detestatur. 278. Idem a Christo reprehensus, expressusque cernitur in altero sarcophago. 282. Claudum sanat. 295. Umbræ illius ægroti expositi, ut convalescant. 295. Samariam cum Iohanne proficiscitur, ut baptizatos confirmet, & Spiritum S conferat. 297. Thabitam e mortuis evocat. 299. ab Herode Agrippa in catenas conjectus ab Angelo solvitur. 305. 310. Longam in Iudæis convertendis posuit operam. Apostolatus circumcisionis ei datur; item Gentium 310. n. 1. Petri itinera. 316. & seqq. Antiochiam venit, eamque Ecclesiam aliquamdiu administravit. Ib. Hierosolymam revertit 317. Pontum, Galatiam, Bithyniam, & Cappadociam peragravit, antequam Romam navigaret. Anno Claudi Augusti secundo, æræ vulg. 42. Romam pervenit. 317. Primus Romæ Evangelium prædicavit. 318. Simonis magi audaciam coercuit. 319. Hierosolymam iterum contendit. Ibi Synodo præest.

Proselyti apud Judæos alii *Justitiæ*, alii *Portæ*. 78.
Provinciarum status sub Romanis. 219.
Prunicus virgo quid. De ea Ethnicorum calumnia in Christianos. 136.
Pyrrhoniani. 225.

Q

QUadragesimæ Dominica prima a Græcis *Panegyris*, & *Solemnitas recte sententiæ appellata*. 74.
Quadratus prophetiæ dono inclaruit. 364.

R

REgno Dei, quasi Christiani dicerent, solos improbos potituros, accusati. 150. *seq.*
Religio Christianorum, Judæorum &c. Vide voces Christiana, Iudaica &c.
Reipublicæ eversores habiti Christiani. 166.
Respublica Romanorum, Judæorum &c. Vide voces: Romanorum, Judæorum &c.
Resurrectione Christi argumento deducto summa vis inest ad veritatem religionis Christianæ demonstrandam, eoque magnopere Apostoli usi sunt. 287. *not.* 2. Hoc mysterium nummo æreo exhibetur. 288. *n.* 1.
Romani *Togati* dicti sunt. 81.
Romæ nemo ante Petrum Apostolum Evangelium prædicavit. 318.
Romanorum Reip. status quo tempore natus est Christus. 205. *seqq.* toto c. 2. Cujusmodi tunc esse debuerit. *Ibid.* §. 1. Status illius civilis cum natus est Christus. 206. & *seqq.* Illius religio cum natus est Christus. 215. *seqq.* Summa Ethnicorum dissensio in describendis, numerandisque diis. *Ibid.* Romanis, & Græcis iidem dii, atque eadem fere sacra erant. 216. Romani religiones peregrinas colebant. *Ibid.* Si quis privatim Deos civitatis rejecisset nullam noxiæ pœnam ferebat. 217. Magna incommoda, & corrupti civitatis mores ex religionum varietate. *Ibid.* & *seq.*
Romani id magnopere enitebantur, ut Provinciarum sibi subjectarum incolæ secum sacrorum similitudine convenirent. 220.
Romanorum corrupti mores ante Evangelii *prædicationem*. 218.
Rubeus Bernardus Ord. Præd. laud. 39. *n.* 1.

S

SAbbatum Deuteroproto n. De eo variæ virorum eruditorum, interque se diffidentes sententiæ. 249. *not.* 1.
Sacerdotum Gentilium ratio deterrendi a sententia eos, qui deorum religionem inanem esse putabant. 223. *seq.*
Sadducæorum dogmata, & mores. 202.
Samanæorum apud Indos quæ fuerint instituta. 46. *seq.*
Samaritana mulier cum Christo colloquitur. 250. *seq.*
Samaritæ quare a Judæis dissentirent. 251.
Samaritidem cum Christo loquentem Christiani veteres in picturis, sculptisque lapidibus expresserunt. *Ib. not.* 1.
Sanguis SS. MM. in vasculis vitreis ponebatur. 462. *seq.*
Sanguis, & aqua miraculo e latere Chri-

Christi mortui manavit. 286. n. 2.

Sapientiam quod stultitiæ nomine appellarint, Christiani accusati. 150.

Saulus Christianos vexat. 298. & 304. seq. Saulus ab Anania baptizatur. 298. In vas electionis Christi conversus. 305. Vide vocem: Paulus.

Scelerum omnium rei Christiani habiti. 171.

Seditionum auctores Christiani existimati. 163.

Sepeliendi ligatis pedibus atque manibus, & facie sudario cooperta consuetudo erat apud Hebræos. 271.

Septimi voce *Sabbatum* non *Dominicum* diem Philo indicavit. 42.

Septimius Severus ubique locorum in Christianos sævit. 438. Ante persecutionem propensior in nostros fuit. *Ibid. n.* 2.

Serapidi cultum a Christianis adhiberi Hadrianus existimabat. 140.

Serapis præcipuum inferioris Ægypti, & Alexandrinorum numen. *Ib.*

Sergius Paulus Proconsul ad Christianam fidem conversus. 360. Consul non fuit. *Ib. n.* 1.

Sepulcra quod non coronarent Christiani accusati. 182.

Simon Magus ab Apostolis reprehenditur, quod pecunia Spiritum sanctum vendi putarent. 297. Petri Apostolis precibus, cum volaret, præceps actus, paullo post interiit. 319. n. 5. Veterum hæreticorum parens. Christo æquari volebat. *Ib. n.* 3.

Statuam illi, ut Deo, Romani posuerunt. *Ib. n.* 4.

Simulacris quod Christiani carerent, accusati. 142.

Socrates *Atheus* judicatus. 113.

Solis adoratio Christianis objecta, quod orantes ad orientem solem se converterent, quodque dies solis sanctus, festusque illis esset. Ea calumnia a Patribus propulsata. 118. *seq.* Sol sublatæ ignorantiæ imago. *Ibid.*

Solemnia Cæsarum. 165.

Solemnibus Cæsarum Christiani non aderant, propterea quod plena essent superstitionum. *Ib.*

Speciosa porta Hierosolymæ ea videtur esse, quæ Corinthia a Josepho vocatur. 295. n. 2.

Spe vana quasi ducerentur Christiani accusati. 152.

Spectaculis Christiani non intererant. 181.

Spiritus vox in sacris litteris adhibita ad significandos singulos Fideles. 64. n. 1.

Statuas horribiles; quibus ludibrio Christianam religionem exponerent, statuarum artifices conflabant. 130.

Stephanus Diaconus a Iudæis lapidibus obrutus. 296. Primus martyrum Christianorum. 304.

Stoicorum Philosophorum decreta. 225. seq.

Studium novarum rerum Christianis objectum. 160.

Symbolum, quod Apostolicum vocatur ab Apostolis fuit compositum. 314. n. 1.

Synagogæ muris divisæ. 51.

Synedrium non ab Assamonæis Regibus institutum videtur. 197. n. 3. Synedrio jus omne vitæ necisque ademtum est, quo tempore Iudæa provincia facta est. 197. n. 3.

Tem-

T

Templis quod Christiani carerent accusati. 142. Carebant Persæ, Galli, Germani, Britanni. 223. not. 1. De templo 46. annis ædificato, Johannis verba explicata. 248. n. 3.

Templum, & urbem Hierosolymorum Iudæi nunquam restituere poterunt. 309.

Tertullianus scripsit librum *de Pallio* ut Romanorum reprimeret audaciam. 81. Ejus Apologeticon quo anno scriptum fuerit. 441. not. 4.

Terriculamenta inania quasi Christiani jactarent accusati. 151.

Testamenti Veteris libri: Sapientia, Ecclesiastes, Proverbia, Cantica, Parabolæ: in græcum sermonem versi nullam metri rationem præseferunt. 31.

Thabita e mortuis a Petro revocatur. 299.

Theatra, ceteraque spectacula vetita Christianis erant. 181. Illa plena erant impudicitiæ, & crudelitatis. *Ibid.* Theatris, ceterisque spectaculis quod non interessent, Christiani accusati. 180.

Theophori, seu Deiferi quare appellati Christiani sint. 63. Sese hoc nomine appellat Ignatius M. initio septemsuarum epistolarum. 60. Appellati Patres, qui Concilio Nicæno interfuerunt. 62. not. 6. *in fin.*

Therapevtarum instituti descriptio ex iis, quæ Philo meminit in libro *de vita contemplativa*. 13. *& seqq.* De illis magna virorum eruditorum dissensio, quorum alii Christianos illos fuisse putant, alii negant. 16. *& seqq.* Therapevtæ non fuerunt Christiani, idque longa oratione probatur. 18. *& seqq.* In Conventibus carmina canebant, quæ neque Psalmi, neque Cantica Sac. Bibliorum erant, sed a veteribus Therapevtis conscripta. 21. Sex diebus hebdomadæ in suis privatis cellis, quin unquam in unum locum convenirent, manebant. Solum Sabbatum sanctissimum, & maxime solemnem esse rebantur. *Ibid. & seqq.* Horum maxima erat superstitio in considerandis numerorum fictis viribus. Quinquagesimum numerum sanctissimum numerorum existimabant. 23. Ne in conventu quidem vino utebantur. 25. Mensam quamdam ob memoriam illius, quæ erat in vestibulo Templi Hierosolymitani, venerabantur. *Ibid.* Eos non fuisse Christianos validissimo argumento demonstratur. 35. 36. & 37. Eusebii, Hieronymi, Epiphanii, Sozomeni, Dionysiastri, Cassiani testimoniis, quæ Therapevtas fuisse Christianos statuunt, respondetur. 38. *& seqq.* Therapevtæ Hebræi erant, forte de secta Pharisæorum. 44. In conventibus Bacchantum more saltabant. 50. Nulla illis erant templa. 51. Quare versi ad Orientem solem oraverint. 52. Non erant Ethnici. 53.

Thyesteæ epulæ Christianis objectæ. 156.

Traditionum quæ sit auctoritas. 33. not. 7.

Trajanus in Christianos, quoad vixit, sæviit. 428.

Transfiguratio Christi contigisse in Tabor monte videtur. 268. n. 3.

Triangulum rectangulum initium generationis rerum, apud Therapevtas. 23.

Valen-

V

VAlentiniani. 103. Valentinianorum erratum. 137. Valentiniani quædam Ophianorum probabant. *Ibid. n.* 2.
Valerianus æquior initio fuit, in Christianos, postea sæviit. 448.
Vasa vitrea &c. sanguinis plena, quæ apponi SS. MM. loculis consueverant. 460.
Vasculum vitreum ab Ethnico nescio quo in memoriam suæ filiæ pictum, repertumque in Cœmet. Urbis. 463. Quid picturæ, quæ in eo cernuntur, significent. 464. *& seq.* Quemadmodum illatum in Cœmeterium fuerit. 465.
Venutus Philippus laudatus. 212. *n.* 1.
Vespasiani nomine Domitianus indicatur. 421. *n.* 6.
Viæ ad extremos usque Imperii Romani fines promotæ ab Augusto. 214.
Victorius Eques Franciscus laudatus. 233. *in not.* 238. *in not.* 245. *in not.* 254. *& seq. in not.* 258. *n.* 1. 261. *n.* 1. 264. *n.* 2. 273. *in not.* 288. *not.* 1.
Vinum pro veneno Therapevtis erat. 15. & 23.
Virgines anus apud Therapevtas. 51.
Virginis partum fictum a Christianis fuisse Celsus dicebat. 144.
Virgines quinque prudentes sculpturis & picturis a veteribus Christianis repræsentatæ. 276. *n.* 1.
Visiones primorum Christianorum post mortem Petri, & Pauli Apostolorum. 395. *seqq.*
Visa pueris etiam offerebantur. 402. Visa primorum seculorum in dubium non sunt revocanda. 405. *seq.* Eisdem Ecclesia opus habuit; neque inutilia illi fuerunt. 407. *seq.*
Vitringæ opinio de paucitate Christianorum a Neronis ad Trajani ætatem refellitur. 341. & *seqq.*
Vocibus barbaris quasi Christiani orantes uterentur accusati. 143.

Z

ZAchæus in sycomoro exhibetur in duobus sarcophagis. 282.

	ERRATA	CORRIGE.
Pag. 3. *l. 8. n.* 3.	quindecim	vigintiquinque
6. *l.* 1. *n.* 5.	paullo	paullo ante
10. *l.* 1. *n.* 3.	Triphone	Tryphone
13. *l.* 19.	hieme	hyeme
23. *l.* 2. *n.* 4.	gratiſſimus	gratiſſimus numerorum
31. *l.* 23.	produceret	producerent
71. *l.* 9.	Chræſtæ	Chreſtæ
72. *l.* 15.	pronunciationem	*dele*
79. *l.* 16.	Athenagorem	Athenagoram
80. *l.* 5. *n.* 1.	§. xviii.	§. xxii.
88. *l.* 10. *n.* 1	imperitionibus	imperitioribus
201. *l.* 15.	Tertulliani	Tertulliani (4)
266. *l.* 18.	everſores Reip.	everſores (6) Reip.
190. *l.* 24.	(4)	*dele*
l. 28.	(5)	*dele*
228. *l.* 8.	ſumma	ſummam
236. *l.* 21.	conjurationi	conjurationis
246. *l.* 5. *n.* 3.	ungueri	unguenti
247. *l.* 3. *n.* 3.	numeror	numero
257. *l.* 1. *n.* 3.	cap. iv.	cap. v.
271. *l.* 2. *n.* 3.	raprahesentarunt	repræſentarunt
332 *l.* 8.	proficiſſet	proficiſcendi
336. *l.* 15.	ventibus	ventis
345. *l.* 2. *n.* 1.	in epiſt. Dionis	in epit. Dionis
368. *l.* 14.	ſudique	ſundique
382. *l.* 16.	illi	illis
393. *l.* 6.	parchellis	parheliis
418. *l. ult.*	frere	furere
456. *l.* 6.	poteſtate	poteſtatem
460. *l.* 6. *n.* 5.	Yſphila	Ytphila
440. *l.* 18.	Chriſtianæ 94.	194
475. *l.* 6.	damnatos, quod aut.	damnatos, quod Chriſtiani eſſent; ſed quod aut

Cetera, quæ aut minoris momenti ſunt, aut noſtram fortaſſe diligentiam fugerunt, ipſe per ſe Lector deprehendet & corriget.

EXCUDEBANT ROMAE
NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI,
BIBLIOPOLAE ET TYPOGRAPHI ROMANI
AD THEATRUM POMPEII
ANNO CIↃ. IↃ. CC. XLIX. MENSE SEPTEMBRIS
SEDENTE
BENEDICTO XIV. PONT. OPT. MAX.
PONTIFICATUS EJUS
ANNO X.